Lo dio a esta Libreria de el Colegio Mayor de santos, su Colegial el Yllmo. Sr. Dr. Dn. Juan Gomez de Parada Obispo q. fue de Yucatan, y Goatemala, y oi lo es de Guadalaxara su Patria Año de 1750



F Mathias Irala del et sculp.

QUINTA ESSENTIA MEDICA
THEORICO-PRACTICA;
IN DUOS LIBROS DIVISA,
QUORUM PRIOR
THEORICÆ FUNDAMENTA CONTINENS
PRÆCLARISSIMO DOCTORI,
CATHOLICORUM HISPANIARUM REGUM
VIGILANTISSIMO ARCHI-MEDICO,
D. D. JOSEPHO CERVI
NUNCUPATUS,
NUNC PRIMO IN LUCEM PRODIJT.

AUCTHORE
D. FRANCISCO SUAREZ DE RIBERA A CUBICULO REGIS Medico; Doctorali Laurea in Salmantina Academia insignito, ac Regiæ Hispalensis Societatis Medico-Chimicæ Alumno, &c.



MATRITI: Ex Typographia Viduæ Francisci del Hierro. Anno Virginei partus 1732.

Judicum Cap. 12. Verſ. 6.

Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur ſpica. Qui reſpondebat, Sibboleth: Eadem littera ſpicam exprimere non valens.

Proverbium Toloſatum.

Fac benè, & non carebis Æmulis; fac melius, & vinces omnes.

Senec. in Proverb. Græc.

Solum qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.





PRÆCLARISSIMO

INTER CATHEDRARIOS APOLLINI,
(PARMENSEM INTERROGA ACADEMIAM)
INTER APOLLINEOS NOBILI HEROI,
(ÆQUITES PARMÆ TESTANTUR)

D. D. JOSEPHO CERVI,

HISPALENSIS ACADEMIÆ SOCIO, AC PRÆSIDI,
A REGIJS CONSILIJS,
(UTQUE PAUCIS MULTA COMPLECTAR)
CATHOLICORUM HISPANIARUM REGUM
ARCHIMEDICO,
PHÆNICI, &c.

D. O. C. Q.

Doct. D. Franciſcus Suarez de Ribera.



Rocúl, ac velocitèr recedat Cervus ille, eiuſque torques cum Epigraphe: *Noli me tangere, quia Ceſaris ſum.* Ecce (ut Auctor ſileat loquente Libro) ecce, inquit, ò Zoile: *Noli me tangere, quia Cervi ſum.* Sed Ceſaris, an Cervi? Imò, quia *Cervi*, Ceſaris, Catholici in quam noſtri Hiſpaniarum Monarchæ

D. D. Philipi V. (quem Deus beatum faciat) cuius Archi-Medicum agit D. D. Josephus *Cervi* primas referens inter Apollineæ Facultatis Giganteos Heroes. In huius ergo clarissimum sinum (cur ergo alterius ?) spontè dilabitur , non quasi ad fontes aquarum *Cervus*, sed ad *Cervi* fons salubrium aquarum huius *Quintæ Essentiæ Medicæ Theorico-Practicæ*. Sanè *Cervum* si aspiciam, *Cervi* si spectem , nescio , quo me vertam. Est in *Cervo*, naturalibus testantibus , Medicinæ Quinta Essentia. Est *Cervi*, fama per compita , & platèas clamante Quintæ Essentiæ Medicus. Abs re non esset *Cervi* tanto adaptare , quæ de *Cervi* exuvijs Schroderus scripsit. Sed audire præstat Abbatem Picinnelum hæc verba facientem : *Præstantem Medicum, occultos morbos detegere , & detectos è corpore humano fugare solitum Cervi emblemate exornabis*. Quid aptius, & Cervi cognomine , & *Cervi* insignibus pollenti ? Sileant inter Academicos Intentos Ludovicus Lanzavechia, Marcus Antonius Adelpha , Scipio de Cella, Ludovicusque Sforzia

Picinnel. *lib.5.cap. 15. num. 88.*

zia ſymboli loco *Cervum* præferentes. Vel (ut iam iam, Libro tacente loquatur Auctor) Lemmate Cardinalis Doria ſuo *Cervi* emblemate, nempe, *Vigilantibus* ; vel S. Caroli Borromæi in Academia Salvatorum Papiæ, etiam ad *Cervum*, videlicet, *una Salus* feliciſsimè gaude; pariter in ſinu tuo fovens, quam in lucem traho *Medicinæ eſſentiam*. Accipe gratitudinis ergo tibi oblatum, & merito tibi debitum opus, & creſcens, ut *Joſeph*, Longevus, ut *Cervi*, vive Neſtorianos annos, & iube. Matriti, ex hoc noſtro Muſſæo, anno 1732. die 6. Decembris.

CEN-

CENSURA R. R. P. M. F. FRANCISCI UVALIA, Ordinis Præmonstratensis Jubilati, & S. C. M. Concionatoris, ac Cœnob. Santissimi P. N. Norberti Matritensis Abbatis.

EX commissione D. Lic. D. Michaelis Gomez de Escobar, Vicarij Generalis huius Matritensis Curiæ, &c. Vidi opus, prælo paratum, cuius Titulus: *Quinta Essentia Medica Theorico-Practica.* Authore, de Orbe Litterario iam diu optime merito, *Sapientissimo D. D. Francisco Suarez de Ribera, Salmanticensis Academiæ Doctore, Hispalensis Socio, Catholicæ Maiestatis Medico.* E cuius fæcundissimo Musseo, ceu amenissimo Viridario, Apolineæ facultatis floribus, ac fructibus variegato, post tot, tantaque opera in lucem, publicamque utilitatem edita, nihil iam, nisi *Quintas essentias*, sperandum supererat.

Mirantur, & meritò, plurimi, qui fieri possit, ut Salmantinus hic noster Doctor tot voluminibus, ijsque accuratissimè elaboratis, edendis suffecerit, quot ediderit. Quibus id unum respondendum occurrit, quod Theodosio Sapientissimo Imperatori scripsit Sozomenus: *Interdiu scilicet rem Militarem* (nostrum autem Medicam) *& corpus exercere, subiectorum causas exacte disceptare, iudicare, simul & agere, modo seorsum, modo publice, quæ sunt agenda considerare, totis verò noctibus Libris incumbere.* Id ipsum, & ego olim sæpissimè miratus sum; at vero cum iam lucernæ eius, veluti qua Hispania nostra opus habet, è Regio ærario oleum instillari contueor, nullus miror.

Lib. 1. Hist. Eccles.

Sed nec Patriæ amore ductus extemporanei laudatoris Censuram incurram, utque Censoris muneri

neri ſatisfaciam, ingenue fateor; nihil in hoc opere à ſana Catholicæ Eccleſiæ Doctrina offendiſſe alienum, nibil bonis moribus non conſonum, nihil prælo non dignum. Sic cenſeo, ſalvo, &c. In hoc Santiſsimi P. N. Norberti Præmonſtratenſis Ordinis Matritenſi Cœnobio. Die 29. Martij. Anno Domini 1732.

Fr. Franciſcus à Uvalia.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Lic. D. Miguèl Gomez de Escobar, Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido, &c. Por la presente, y lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima el Libro intitulado: *Quinta Essentia Medica Theorico-Practica*, compuesto por el Doct. D. Francisco Suarez de Ribera, Medico de Camara de su Magestad; atento que de nuestra orden, y comission ha sido visto, y reconocido, y no contiene cosa opuesta à nuestra Santa Fè, y buenas costumbres. Dada en Madrid à 14. de Noviembre de 1732.

Lic. D. Miguèl Gomez de Escobar.

Por su mandado.

Joseph Fernandez.

EPIS-

EPISTOLA DOCTORIS D. Michaelis Gregorij Garcia, ex Regia Hispalensi Societate Medico-Chimica, Medicinam primariam Soriæ facientis, ad Doctorem D. Franciscum Suarez de Ribera, Regium Medicum, huius operis Auctorem, &c.

A Te invitatus, Præclare Doctor; aliquantisper mentem fingens silentium reperi, tuas consulens litteras, quin necesse sit, ut tibi dicatur, quæ Julio Cæsari sunt dicta: *Quæ miremur habemus, quæ laudemus spectamus.* Sed quia verùm est, *quod pauci res ipsas sequuntur, plures nomina rerum, plurimi nomina Magistrorum*; ac pariter verúm, quod *transeunt ab ignorantia ad præiudicium*: Præ oculis habui Arnaldi monitum: *Libros non ita legas animo contradicendi, & disputationum prælijs concertandi; neque rursus omnia pro concessis accipiendi; aut in verba Auctoris jurandi; neque denique in sermonibus te venditandi, sed ut addiscas, ponderes, & iudicio tuo aliquatenus utaris.* Idcircò perlectis tot prioribus voluminibus, ac diligentèr opus recens evolvens, addiscentibus utile, ruminantibus gratum, cunctisque Apollineæ facultatis Professoribus necessarium fore, minime in dubium vertam; naturam enim litteræ tuæ perficiunt, & ab experientia ipsæ perficiuntur: ergo:

Has tractent avidi, has volvant, manibusque revolvant
Invenient, æger quod Medicamen amet.

Certe, si cui placet observationem expergefacere suam, & huic *Quintæ Essentiæ* obviam ire vult, compos eius fiet, de quo ait Poeta:

Et quoniam variant morbi variabimus artes,
Mille mali species, mille salutis erunt.

Quod eo magis facere debet, qui vetusta novè, & nova quam plurima, non in circulo, sed in experientiæ arcanis in-

¶¶ ven-

venta methodi lege distincta desiderat. Perge igitur, Eruditissime Doctor, & nunquam otiosus in publicum siste laboriosissimas tuas lucubrationes. Perge acriter, & alacriter, & prosperrime vive.

Vive ergo vitæ nostro Promotor amande;
Et post facta Tuo vive per æva Libro.

Ita iudicabam in hac Soriensi civitate, die 8. Septembris, anni 1732.

APPRO

APPROBATIO DOCTORIS D. Emmanuelis Herrero, ex Gremio, & Claustro Academiæ Salmanticensis, in eademque simplicium Medicamentorum Cathedræ Moderatoris.

OPus cui titulus: *Quinta Essentia Medica Theorico-Practica*, Auctore D. Francisco Suarez de Ribera, huius Salmanticensis Universitatis (quà non felicioris, celebriorisque ubique?) fausta prole, eiusdemque Doctoris Laurea, in Facultate Apollinea decorato, & pro meritis à Regali Cubiculo; Regij Supremique Castellæ Senatus præcepto, & iussioni obsecutus sedulò pervolvi, avide lustravi, & perlegi. Opus est Auctoris quam pridem mihi amicissimi: *Nunc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides.* (a) Ergo censorem agam? ast quis non iudicem recusabit amicum? encomiastem? sed quis non laudes suspectas habebit?

(a) Ovid. 12. Met.

Verum enim vero, Auctoris, cuius iam dudum *magnas it fama per urbes*: (b) cuius in litterario *iam canitur toto nomen in orbe suum*: (c) cuius, quot exarata volumina (est hoc iam vigessimumquintum) *tot linguæ, totidem hora sonant:*

(b) Virg. 4. Æneí.

(c) Ovi. Ep. 21.

 (d) *Quis*

(d) Virg. 4. Æneid.

(d)*Quis valet verbis tantum, quis fingere laudes*
Pro meritis eius possit, qui talia nobis
pectore parta suo quæsita volumina liquit. (e)

(e) Lucret. 1.

Sed quod tenuitatem meam exsuperat incomptumque modum dicendi, publici iudicij suffragium est.

Reprehendet tamen crediderim me nemo, si Auctoris admodum mihi venerandi, dum non valeo laudes referre, grates ipsi persolvam debitas (& quidem immortales persolvo) pro tot, tantisque laboribus in communem nostræ facultatis utilitatem, & commodum susceptis: Quis enim non gratuletur Scriptori, qui se ipsum totum tradidit, ut communi, & publico bono consulat? quod ut assequatur, quæ non tulit? quos non devoravit labores? noverint sanè, qui nostræ facultatis pensa portaverint, & vel à longè prospicient cæteri, si maturè contemplentur, quemlibet Doctum Medicum, vix sibi vivere, ne moriantur alij. Qui enim considerent sedulo Sapientissimo Riberæ, vel Ribetio nostro, nullam diei, & vix quidem, aut ne vix, noctis partem relictam, quam lectioni tribuat, aut sibi vindicet quies, obstupescent meritò, qui fieri potuit, ut tanta, & adeo ingentia volumina talibus, & tam selectis doctrinis referta confecerit? Fas sit mihi in præsentiarum illud Salmanticensis Doct. nostri, Santissimi pau-

pauperum Villanovani Thomæ; paulo alitèr usurpare. (f) *Quando, obsecro, Auctor noster meditatur, quod scribat? quando meditata scribit? quando dormit?* Et si hæc, quamvis ægre, consumari valent; quando tot infirmorum domos adire potest? quando invisere? paucis tamen dicam, *quando*, aut quomodo infirmos invisit; meditatur, scribit, sed vix dormit, *quia adeo brevissimo somno utitur* (& hoc non nisi beneficio, & iuvamine artis) *ut satis ipsi, vigilare desiisse*, ut aiebat Hieronymus. (g)

(f) Conc. 2. de Di. August.

(g) Ep. 87.

Sic capacissima Riberij nostri mens, & ingenium ea consumare valet, quæ plurimos gravarent forsan plurimum. *Dulcis est somnus operanti*, scriptura, & experientia edocent; (h) & cum tot, tantaque operetur Sapiens noster, *nec dulci declinat lumina somno*, (i) sed laborioso studio impensius in dies incumbens, diviti librorum suppellectili studiosos artis iuvat, & omnes edocet. Hinc si *famæ semper aliquid adijciendum, ne collabatur*, (j) tanta Auctor noster adjicit, quod fæcundæ menti, & pennæ ipsius meritò adaptari valeat, quod Libro *Primo*, *avulso, non deficit alter*: aureus, *& simili frondescit virga metallo*. (k) Alumnus est Doctor noster Universitatis, & Civitatis Salmanticensis, quas non nisi talis fausta decebat proles, quarum laudes, ut unà complectar dicam, (l) *quis genus ænea-dum*,

(h) Ecclesi. 5.

(i) Virg. 4. Ænei.

(j) Plutar. in moral.

(k) Virg. 6. Ænei.

(l) Virg. 1. Ænei.

dum, quis Troiæ nesciat urbem, virtutesque, virosque.

Iam ergo ad propositum accedens, & munus censoris adimplens, brevi iudicium meum quale quale promam. Opus hoc ingenio, acumine, doctrinæ soliditate, copia, claritate, & omnibus, quæ desiderari queunt, cæteris consonat Auctoris. Ipsum opus de se in se loquitur, quia perfectissimè elaboratum, nihil continens non luce dignum, nihil non laudabile, nihil non utile. Sic sentio, sic iudico. Salvo, &c. Salmanticæ XXIV. Kal. Augusti, anno Domini M.DCC.XXXII.

Doct. Emmanuel Herrero.

CEN-

CENSURA DOCT. D. EMMANUELIS JOLI DE Orozco, ex Gremio, & Claustro Academiæ Salmanticensis, & in eadem Vespertinæ Cathedræ in Facultate Medica Moderatoris.

POTENTISSIME DOMINE.

Supremi vestri Senatus iussu, vidi opus, cuius Titulus est: *Quinta Essentia Medica Theorico-Practica*, Auctore D. D, Francisco Suarez de Ribera, Catholicæ Maiestatis Medico à Cubiculo, &c. Et quidem vidi, & legi opus istud ea iucunditate & fructu, quo prius latè discurreram per copiosa eiusdem Auctoris scripta, queis in omnibus specimen in venio incessantis studij, quocum, nec sine ingenti labore, sedulo notavit, quidquid observatione dignum occurrit, quod plurimum certè est, in diuturna Medicinæ praxi. Nec minus in eis emicat Christianus zelus, quo ægrotis sibi commissis consulit, quemque curationes eximiæ, & magna Auctoris gloria sequta est. Cum verò id fieri nequeat sine solicitudine valdè impensa, tum in evolvendis selectissimis aliorum Scriptorum voluminibus, tum in scrutanda qualitate morborum, ut indè causa dignoscatur, tum in servanda aptiori methodo istam debellandi; duo hinc liquidissimè emanant, scilicet Auctorem nostrum, & vitam suam studio in proximorum utilitatem devovisse, & nihil non tentasse, ut mortales plena confidentia sibimet subveniri sinant, dum morbis præmuntur, dumque Deus ipse confidentem ab eis erga Medicum exigit submissionem. O! quot de Auctore nostro referre possent, quod de solicito quodam Medico gratulabundus referebat Seneca: (*lib. 6. de Benef. c. 16.*) *Ex Medico in amicum transit... Solicitus assedit, ad suspecta tempora occurrit: Nullum ministerium honeri illi, nullum fastidio fuit: Gemitus meos non securus excepit... Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.* Adeo solicitum, nec minus doctum se ubique exhibet Auctor noster, & sibi integerrimè constat in hoc opere, cui congruentissimè aptatur titulus: *Quinta Essentia Medica*; in eo quippe expressum est quidquid in Medicis disciplinis utilissimum, & hinc inde ab Scriptoribus ingeniosè discussum invenitur. Propterea igitur, & quia nihil in ipso opere invenio, quod Fidei Catholicæ, & bonis moribus discordet, illud luce publica dignissimum censeo. Salmanticæ die 2. Septembris. Anno Domini 1732.

Doct. Emmanuel Joli de Orozco.

EL

EL REY.

POR quanto por parte del Doct. D. Francisco Suarez de Ribera, Medico de Camara de mi Real Persona, se representò en el mi Consejo, tenia compuesta la Obra intitulada: *Quinta Essentia Medica Theorico-Practica*, y para poderla imprimir sin incurrir en pena alguna, se me suplicò fuesse servido concederle licencia, y Privilegio por tiempo de diez años para su Impressión; remitiendole à la censura à quien pareciesse conveniente, y en su vista concederle dicho Privilegio. Y visto por los del mi Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias, que por la Pragmatica ultimamente promulgada sobre la Impressión de los Libros, se dispone, se acordó expedir esta mi Cedula. Por la qual concedo licencia, y facultad al expressado Doct. D. Francisco Suarez de Ribera, para que sin incurrir en pena alguna por tiempo de diez años primeros siguientes, que han de correr, y contarse desde el dia de la fecha de ella, el susodicho, ù la persona, que su poder tuviere, y no otra alguna, pueda imprimir, y vender el referido Libro de la Obra intitulada: *Quinta Essentia Medica Theorico-Practica*, por el original, que en el mi Consejo se viò, que và rubricada, y firmada al fin de D. Miguel Fernandez Munilla mi Secretario, Escribano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Consejo, con que antes que se venda se traiga ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la Impressión està conforme à èl; trayendo assimismo fee en publica forma, como por Corrector por mi nombrado se viò, y corrigiò dicha Impressión por el original, para que se tasse el precio à que se ha de vender. Y mando al Impressor, que imprimiere la referida Obra, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que una sola con el original al dicho D. Francisco Suarez de Ribera, à cuya costa se imprime, para efecto de la correccion, hasta que primero estè corregida, y tassada la citada Obra por los del mi Consejo; y estandolo assi, y no de otra manera pueda imprimir el principio, y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta licencia, y la aprobacion, tassa, y erratas, pena de caer,

è incurrir en las contenidas, en las Pragmaticas, y Leyes de estos mis Reynes, que sobre ello tratan, y disponen. Y mando, que ninguna persona, sin licencia del expressado Doct. Don Francisco Suarez de Ribera, pueda imprimir, ni vender la citada Obra, pena que el que la imprimiere haya perdido, y pierda todos, y qualesquier Libros, Moldes, y pertrechos que dicha Obra tuviere, y mas incurra en la de cinquenta mil maravedis, y sea la tercia parte de ellos para la mi Camara, otra tercia para el Juez que lo sentenciare, y la otra para el Denunciador; y cumplidos los dichos diez años, el referido Doct. D. Francisco Suarez de Ribera, ni otra persona en su nombre quiero no vse de esta mi Cedula, ni prosiga en la Impresion de la citada Obra, sin tener para ello nueva licencia mia, so las penas en que incurren los Concejos, y personas que lo hacen sin tenerla: Y mando à los del mi Consejo, Presidentes, y Oìdores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Casa, Corte, y Chancillerias, y á todos los Corregidores, Asistente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Jueces, Justicias, Ministros, y Personas de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de estos mis Reynos, y Señorios, y acada uno, qualquier de ellos en su distrito, y jurisdicion, vean, guarden, cumplan, y executen esta mi Cedula, y todo lo en ella contenido, y contra su tenor, y forma, no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la mi Camara. Dada en Sevilla à diez y nueve de Septiembre de mil setecientos y treinta y dos. YO EL REY. Por mandado del Rey nuestro Señor. Don Francisco de Castejon.

MENDA CORRECTA.

PAg. 1. col. 1. lin. 10. *Post*, lege *Quod*. Pag. 3. col. 1. l. 17. *dinstiguit*, lege *distinguit*. Pag. 6. col. 1. lin. 17. *mixcibilium*, lege *mixtibilium*. Pag. 14. col. 2. lin. 26. *porosus*, lege *porosa* Pag. 17. col. 2. lin. 34. *temporis*, lege *temporibus*. Pag. 22. col. 2. lin. 30. *ponendum est motum*, lege *ponendus est motus*. Pag. 34. col. 1. lin. 20. *in lib*. 2. lege *in tract*. 4. Pag. 34. col. 1. lin. 28. *alitu*, lege *halitu*. Pag. 53. col. 2. l. 18. *aliquando ratione alterius materiæ*, lege *aliquando accidentia ratione alterius partis materiæ*. Pag. 57. col. 1. lin. 14. *causantur*, lege *causant*. Pag. 77. c. 1. l. 7. *impulsu*, lege *in pulsu*. Pag. 81. col. 1. lin. 14. *certo*, lege *certè*. Pag. 81. col. 1. lin. 27. *motus*, lege *motum*. Pag. 105. c. 1. lin. 22. *&*, lege *est*. Pag. 142. col. 1. lin. 24. *simpthomata*, lege *simpthoma*. Pag. 169. col. 2. lin. 16. *vero*, lege *utero*. Pag. 262. col. 1. lin. 4. *male*, lege *malæ*. Pag. 297. col. 2. lin. 2. *hepete*, lege *hepate*. Pag. 329. c. 1. l. 9. *in illi*, lege *in illis*. Pag. 330. c. 1. lin. 8. *putridinis*, lege *putredinis*. Pag. 333. c. 1. l. 18. *vehimentia*, lege *vehementia*. Pag. 337. c. 1. l. 36. *homorroides*, lege *hemorroides*. Pag. 339. c. 2. l. 16. *ligituris*, lege *ligaturis*. Pag. 346. c. 2. l. 26. *Gelenus*, lege *Galenus*. Pag. 357. c. 2. lin. 8. ℥j. lege ℈j. Pag. 373. c. 1. l. 28. *Alkandali*, lege *Alkandal*. Pag. 408. c. 1. l. 11. *semm*. lege *seminis*. Pag. 411. c. 2. l. 8. *assistenda*, lege *à sistenda*. Pag. 415. c. 2. l. 19. *negavit*, lege *negabit*. Pag. 417. c. 1. l. 32. *emeticotum*, lege *emeticorum*. Pag. 424. c. 2. l. 20. *saueci*, lege *succi*. Pag. 442. c. 2. l. 3. *Scorbuticis*, lege *Bechicis*.

Quintæ Essentiæ Medicæ Theorico-Practicæ, Librum Primum, in quo fundamenta Theorica continentur, cuius Auctor est Doctor Salmantinus D. Franciscus Suarez de Ribera à Cubiculo Regis Medicus, &c. Diligentèr vidi, demptisque mendis correctis, ac nonnullis alijs parvi momenti, suo prototypo correspondet. Matriti die 3. Decembris, Anni Domini M.D.CC.XXXII.

Lic. D. Emmanuel Garcia Alesson.

C. M. Corrector Generalis.

SU-

SUMA DE LA TASSA.

TAssaron los Señores del Real Consejo este Libro intitulado: *Quinta Essencia Medica Theorico-Practica*, su Autor el Doctor D. Francisco Suarez de Ribera, Medico de Camara de su Magestad, del Gremio, y Claustro de la Real Universidad de Salamanca, &c. à ocho maravedis cada pliego, como mas largamente consta de su original, firmado por Don Miguèl Fernandez Munilla, Secretario de su Magestad, y su Escribano de Camara mas antiguo, &c. Madrid, y Diciembre 6. de 1732.

INDEX

UT LECTOR FACILE INVENIAT TABULAS in hoc opere contentas.

IN LAUDEM AUCTORIS accinebat suus Germanus Frater Fr. Petrus à S. Bonav. ex Discalceata S. Pauli Provincia, Concionator Theologiæ, quæ ad mores spectat, quondam Lector, Apostolicus Notarius, ac Ex-Guardianus.

EPIGRAMMA.

NOn hic Riberius, quantumque Ribera vocatur:
Nec Valles, quanquam vallet utrinque malum:
Iste nec Eximius, quanvis Suarius esto;
At Suarez, meritò non minus eximius.
Riberius cedit, cedit Vallesque Riberæ
Cui cedunt omnes; omnibus idque patet:
Quippè patent longè sex quinque volumina rerum
In quibus ars Medici pharmaca cuncta sapit.

ALIUD.

ALIUD.

ARguit, exponit, callet, docet, erudit, orat
Suarez Theologus, sive Ribera Sophus.
Inde Sodalitio Sacro sub nomine Jesu
Suarez eximium, datque Ribera decus.
Sicque sodalitio Medicus, Chimicusque Ribera
Fert alij laudes eximiumque decus.
Panditur eximius meritoque Ribera Suarez,
Qui solus tantis sufficit esse decus.
Ille fit eximius conclavi gloria Jesu;
Iste sed eximius gloria Pæonio.

Ita, Auctoris quoque Germanus Frater,

Fr. Joseph à S. Bernardino,

Ex Discalceatis Prov. S. Pauli, munere Concionator.

FR.

FR. JOANNES A SANCTO ANTONIO, AUCTORIS etiam Germanus Frater, Strictioris Observantiæ Discalceatorum Provinciæ S. Pauli, Theologus, Historicus, Ex Diffinitor, ac Custos duarum Provinciarum, Visitator in suisque Commitijs Præses, Supremi Senatus S. Inquisitionis, à Theologicis Censuris, ac totius Ordinis Seraphici Chronographus concinnebat.

EPIGRAMMA.

Mercurius reperit Medicamen Apolloq; primus;
Apis, & Arabo, Phæbi genusq; Pater.
Hypocrates multis dederat præcepta medendi:
Archagathon primum Roma tenet Medicum.
Mussæus sapiens, Chiron, floresq; Galenus
Queis Avicenna dedit doctus in arte sales.
Casius, & Orpheus, Zacutus, Aruncius, Hermes;
Enriquez, Valles, Riberiusque vigent.
Et Maroja simul, fœlix Heredia fato,
Et Medicatorum cætera turba patens.
Sed cunctos, veteresq; novos medicamine doctos;
Ecce liquefactos hoc tibi præstat opus.
Omnibus ex illis melius digesta sub uno
Jussa Ribera tenet, datq; bilingue decus.
Ergo cupis cunctos Doctos Medicaminis artis
Unus pro cunctis ecce Ribera valet.

LEC-

LECTORI.

EN candide Lector, post tot tantaque volumina Medica, Chyrurgica, & Chymica libentissimè, sudoribus meis, vernaculè tibi oblata, adhuc illos respuo, qui lucis publicæ exosi, volumina sua inter tenebras tradere malunt; unde ad horum aliquem conversus canit.

In van con segli oscuri
La notte del oblio vincer procuri
Come puo chiara fama
Trobar Colui, ch' esser oscuro brama?
Quasi notturno augello
Sei dell' ombre seguace, al sol ribello;
Ma se vovi luce in parte
Donar à le tue Carte,
Porgi le al foco in dono,
Poiche d' ogn altra luce indegne sono.

Qua propter, etiam nunc ante oculos tuos latiali sermone Medicinæ fundamenta novè jaciuntur. Quid ergo? Quid tibi cum hac lucubratione? *Quid* quæris vel *Quale*, cum de Medicinæ Essentia igitur? Opus proficuum à me requiris, vel versicolorem, discolorem, ac multicolorem, ut Pavo Stylum? Primum si spectes, stabis simul. Si secundum, sine me ibis, & Liber ibit sine te in oppida, Castella, & Urbes. Malo, ut me reprehendant Grammatici, quam, quod Medici infimæ latinitatis non intelligant. Nunquid stilus Ciceronianus, Manucij elegantiæ, Regulæ Donati, Arsque Nebrisensis saluti publicæ præferenda sunt? Absit. Notum illud Juvenalis, Satyra 10.

.... *Multis*
Et sua mortifera est facundia:

Sed scitè Poeta alter:

Lumine perculsæ cessant maledicere Ranæ;
Et victus veri luce sophista tacet.

Tibi, ò Zoile, & Rosa, & Viola, & Lilium, & Hiacintus, floresque omnes placeant, placeat mihi, gra-

tior-

lorque sit Panis. Sed Græci Sermonis; haud ignaris, qui panem dicit, omne dicit: Commede ergo volumen istud, eo fruere, & posteriorem expecta una cum Dioscoride accessionibus, & illustrationibus locupletato, & maiora vita comite: *Rerum* enim *Natura* Seneca atteſtante, *Sacra sua non simul tradit. Illa arcana non promiscuè, neque omnibus patent, interiore Sacrario clausa; ex quibus aliud hæc ætas; aliud quæ post nos subibit, accipiet.* Monitum demum Andriolli amplectens: *Antiquos artis Progenitores non despiciemus, licet incultis verbis, & in aliquibus experimentis defectuosos fuisse nunc reperiamus.* In reliquo, vel *Vale*, vel *Ora*, sed utrumque concupisco.

Senec. *lib. 3. quæst. natur. c.* 31.

Andriolli *de Conserv. Valetud. in præfat.*

QUIN-

Estanpa II.


Medicina Ilustrada
Tessoro Medico
Reflexiones Astrol.
Escrutinio Medico
Cirugia Natural Infalible
Tratamiento Anti Galico
Febrilogia chirurgica
Cirugia Methodica
Clavicula Regulina
operibus credite
Theatro Chirurgico Anatomico
Medicina Elemental
Escuela Medica
Theatro de la Salud
Cirugia Sagrada
Cirugia
Medicina Invencible
FRANCISCUS SUARIUS DE RIBERA DOCTOR
salmanticensis, et socius Regiæ societatis Hispalenssis,
Ætatis Annorum LII.



QUINTA ESSENTIA MEDICA THEORICO-PRACTICA.

LIBER PRIMUS.

IN QUO FUNDAMENTA THEORICA continentur.

EXORDIUM.

Cornelius Celſ. in Præfat. lib. 1. pag. 13.

Medicina eſt ars coniecturalis, neque reſpondet ei plerumquè, non ſolum coniectura, ſed experientia.



CUM Medicina Adamo unà cum perfectiſsima rerum omnium naturalium cognitione fuerit infuſa, & poſt ipſius lapſum non penitus in illo extincta, ſed obnubilata tantùm meritò, tam rationis, quàm experientiæ filia, nuncupatur. Poſt Medici Plures aſſerunt primos Medicæ artis inventores deduxiſſe ex veris rationis principijs, tam falſum eſt, quàm id quod falſiſsimum eſt.

Probatur: Omnia artis Medicæ inventa, in principio, nullo ratiocinio, ſed mera experientia nitebantur. Omnes uno ore concedunt eam, uſque ad Divini Hyppocratis ſæcula empi-

piricam fuisse; neque aliter fieri potest in ea re, cuius effectus ab ijs dependent; quorum vires nemo solo naturali lumine assequitur, & id circo Div. Thomas á Villa-Nova, ita scripsit: (in Concion. de Part. Virg) *Neque enim putandum est Hyppocratem, Galenum, & Avicenam proprijs viribus, tanta de natura herbarum attigisse, sed quodam supernaturali instinctu, propter bonum hominum fortè, hanc peritiam consecutos fuisse.* Ineunte ætate Medicæ artis varia remedia varij homines tentabant, & cum in hoc, vel illo morbo iuvisse experientia comprobaverat, id in simili casu posteà in usum veniebat, & ad comprobationem ante multa secula suos ægrotos Ægypti in publicas deferebant vias, populum prætereuntem de morbi curatione consulturi: prompti Sacerdotes Ethnicorum erant, quo quisquam remedium sanatus esset, scriptis mandantes, observationes suas in templorum Adytis, etiam cum alijs subinde ægrotis communicandas reponebant; remedijs sic post longam experientiam repertis, inceperunt homines de eorum effectibus, secundum tùm temporis nota principia, ratiocinari: ergo non ponenda est Medicina post rationem, sed post inventam Medicinam ratio eius est quæsita: ergo tota via errant, quorum sententia est, ratione à priori probare posse, omne, quod in Medica facultate occurrit: & ut tales eorum errorem confiteantur, legant, atque perlegant has divinas literas: (Eccles. cap. 8.) *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam posset homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet, etiam si dixerit sapiens se nosse non poterit reperire.* Nemo hucusque fuit, qui ostendere potuit necessariam dari connexionem inter huius, vel istius medicamenti usum, sive naturam, & effectum, qui inde sequitur. Inquiro nonnè: quis erit, qui nunquam aliquid vidit audivitvè de incredibili, in humano corpore, effectu vitri Antimonij, qui solo suo ratiocinio posset explicare unum eius effectum, quem eius pulvis, vel infusio in œconomia animali producit?

Non tamen id ita dictum volumus, quasi pro ijs militaremus, qui omnibus viribus conantur in hac Medica scientia, seu arte, ut plurimi asserunt, suffocare omne id quod ratiocinium, id est, Philosophiam sapit. Nec illam Themisonis sententiam fovemus, nullius causæ notitiam ad morborum

cu-

curationem pertinere. Perſcrutatio naturæ rerum quamvis per ſe ſola non faciat Medicum, ea tamen eius artem certiorem facit. Tamen falluntur, & fallunt, qui putant, & aſſerunt Medico ſufficere lectionem, & experientiam ſcriptorum veterũ, illi non minùs delirant, quam qui præcipua fundamenta, & ornamenta alicuius domus inutilia iudicant. Veraciſsima loquor, quia experientia ſine vera Philoſophia nihil, niſi mera eſt nocens ignorantia, quum hac non ultra Agyrtas Medicus ſaperet: Qui nec dinſtinguit ſexum, ætatem, vires ægrotantium, nec anni tempora, nec regiones, tempeſtates, &c. Et idcirco legitimè, & ex fundamento praxim exercere non poteſt, adeoque nec illi, qui vera Philoſophia non imbuti ſunt.

Hæc Medica ars, ſeu ſcientia, quum in ſe conſiderata, ſecundum certas, & determinatas leges motus, ſeu naturæ agat, certiſsima dici debet. Prout verò ſpectat Medicorum cognitionem, cui multa latent, immò infinita, queat dici incerta, ſeu coniecturalis ars: ita ut incertitudo Medicinæ ab ipſa arte non dependeat, quæ ſemper determinatè agit ſecundum voluntatem Authoris naturæ, ſed ab hominum ignorantia hanc artem exercentium. Scire licèt quod Medicina in certum Methodum redigi cepit accreſcente in dies obſervationum cumulo. Diverſæ circa morbos obſervationes de die in diem, tanquam totidem membra, corpus illud compoſuerant, quod hodiè Medicam artem appellamus. In eo ſenſu dicitur ars, prout quantum fieri poteſt, præſentem conſervat hominis ſanitatem, & amiſſam reſtituit. Vocatur ars, quantum fieri poteſt, tùm quia multa latent limitato ingenio humano; tùm quia dantur incurabiles morbi, reſpectu cognitionis Medici: Ex hoc infertur Medicum poſſe præſtitare officium ſuum, ſi egerit ea, quæ occurrunt in arte, licèt non ſempér curaverit morbum: propter idque Doctiſsimus Zacutus Luſitanus dixit in lib. 4. Hiſtor. Medicor. Princip. *Nulla enim cenſetur imperfectio, quod Medicus finem ſuum non aſſequatur.*

His iam ſuppoſitis præmeditatis ſcire licèt, quod Medicina à medendo dicitur, cuius definitio ita eſt: *Nobiliſsima ſcientia, ſeu ars, eſt Medicina, qua diſpoſitiones humani corporis cognoſcuntur, ut ſanitas præſens conſervetur, & amiſſa recuperetur.* Eſt nobiliſsima tripliciter; primò reſpectu originis, quæ eſt Deus, largitor, ac fons omnis boni; ſecundò reſpectu ob-

obiecti, quod est homo, nobilissima omnium creaturarum; tertió respectu finis, qui est sanitas, thesaurus pretiosissimus.

Circa obiectum Medicinæ afferunt ferè omnes Professores esse humanum corpus, sed oportet scire non tantum esse corpus humanum, sed totum hominem ex mente, & corpore organico constantem; quia nemini latere potest animam corpori iunctam, quam plurimis morbis obnoxiam esse; & eius argumenta non solum experientia nobis tradit, sed eorum mutuæ actiones, & passiones; hoc est, quod anima agit in corpus, & corpus in animam: ergo ex hoc infertur quod corpus vivens est circa quod agit Medicina.

Oportet scire, quod corpus humanum vivens, est quædam machina ingeniosa, mirabiliter constructa ad exercendas varias operationes, videlicet nutritio, generatio, sensatio, &c. Finis Medicinæ totus dirigitur ad medendum, & idcirco cum certitudine dicitur, quod Medicina tota est practica, seu factiva, quia omnes partes eius diriguntur ad medendum; unde plurimi affirmant esse artem, & non scientiam, cuius finis igitur est simpliciter contemplari, & intelligere: finis dupliciter considerari debet, dumtaxat proximus, & remotus: finis proximus Medicinæ est mederi corpori humano: finis remotus est corporis humani sanitas; quæ si sit præsens, per Medicinam est conservanda, & restauranda si absens sit.

Ex iam dictis manifesta est Medici nobilitas, cum Medicinæ obiectum sit corpus, & anima; & finis amborum sanitas: & supponendo quod Medicina non ex omni parte, & per se coniecturalis est, quia habet multa certa æquè, ac Phisica, ex qua oritur: sed incertitudo, ut iam dictum est, oritur ex defectu tantum exercentis, qui ex meris coniecturis cognoscit multotiès, & coniecturando falli potest: & hac caligne cognita transeamus iam ad assignandas Medicinæ partes.

Quinque sunt partes Medicinæ; scilicet Physiologia, Pathologia, Semyotica, Hygiena, & Therapeutica. Phisiologia est illa, quæ considerat corpus humanum secundum eius naturam, seu structuram, & hæc pars Medicinæ, quæ communiter dicitur pars naturalis, quia considerat ea omnia, quæ naturaliter concurrunt ad constitutionem prædicti corporis est, quæ agit de materia, de forma, de ortu, de interitu, de elementis, de temperamentis, de principijs Chimicis, de influentijs Astrorum, de temperamentis humorum, de

par-

partibus, de spiritibus, de facultatibus, & funtionibus.

Pathologia, est quæ considerat corpus humanum in statu præternaturali, quæ pars Medicinæ primò agit de natura morbi, & de eius speciebus, tàm essentialibus, quàm accidentalibus; secundò de causis, & de earum differentijs; tertió de natura symptomatum, & eorum differentijs, & causis; quartò tractat de crisibus, seu mutationibus morborum.

Semyotica est tertia pars Medicinæ, quæ agit de signis, & primò agit de signis in genere, scilicet de natura, & differentia signorum. Secundò tractat de signis diagnosticis humoris in corpore dominantis; de signis partis affectæ per primariam pasionem, vel per consensum partis laborantis; de signis speciei morbi, videlicet parvi, magni, maligni, contagiosi, & benigni, chronici, acuti, peracuti, & exactè peracuti; & de signis causarum morbificarum, bilis, pituitæ, melancholiæ, substantiæ serosæ, & flatuum, temporumque morborum. Tertiò agit de signis prognosticis morborum, longi, brevis, salutaris, læthalis, & de modo quo morbus finietur per Crisim, de tempore quo finietur, de loco, per quem futura est Crisis, vel per alvi fluxum, vel per vomitum, per lotium, per sudorem, per emorragiam, per menses, aut per hemorrhoidas; de signis futuri abscessus, nempè Parotidis, Bubonis, &c. de signis futuræ Paraphrenitidis, seu delirij, futuræ convulsionis, & futuræ recidivæ.

Hygiena est prima pars Medicinæ practicæ, & vocatur sanitas, vel valetudo, quæ agit de sanitate tuenda, ut sanitas præsens conservetur, quæ agit de rebus non naturalibus, videlicet, de aere, cibo, potu, motu, quiete, somno, vigilia, animique patematibus, &c.

Therapeutica, quæ est secunda pars practicæ Medicinæ, est idem ac habens vim curandi, quæ agit de Methodo medendi, ut sanitas amissa recuperetur, ubi docet quid methodus medendi sit, quid curatio; agit de indicationibus, & earum differentijs; etiam de indicantibus, & contra indicantibus; de inventione remediorum, agit de evaquatione, de revulsione, de derivatione; etiam de sanguinis misione, de purgatione, de præparatione, & concoctione humorum. Et in fine huius exordij notare debemus, quod iste liber primus, claritatis gratia; dividitur in quinque tractatus continentes, iam asignatas Medicinæ quinque partes.

TRAC-

TRACTATUS PRIMUS
DE PHYSIOLOGIA.
CAPUT PRIMUM
DE ELEMENTIS.

Elementa sunt simplicissima corpora ex quibus omnia alia corpora huius mundi spectabilia componuntur, & in quæ ultimò resolvuntur. Elementa sunt quatuor, videlicet Terra, Aqua, Aer, & Ignis, ex quibus componitur mixtum. Unio, seu coniunctio quatuor elementorum in corpore vocatur mixtio, quæ iuxta communem opinionem Philosophorum est mixtibilium alteratorum unio. Per ly *mixcibilium*, intelliguntur elementa, quæ inter se alterantur per suas contrarias qualitates, ut ex mixtione eorum procedat, quod vocatur mixtum, seu compositum.

Requiruntur quatuor conditiones, ut fiat vera mixtio: Prima, quod ea quæ miscentur, contrarias qualitates habeant, taliter ut quælibet operari posit in alia, & pati operationes contrarias. Secunda, quod res mixcibiles in tempore mixtionis habeant debitam proportionem, tàm in quantitate, quàm in qualitate. Tertia, quod in tempore mixtionis in minutissimas partes dividantur, & quod quælibet particula mixti, licèt minima, habeat in se partes mixtarum rerum. Quarta, & ultima conditio est, quod ea, ex quibus mixtum fuit compositum, maneant in illo, ad minus virtualitèr.

Ab aliquibus inquiritur: An quatuor elementa sint necessaria simpliciter pro mixtis? Affirmativè respondeo, & ita probo ex hoc axiomate Phisico: *Unumquodque resolvitur in ea ex quibus componitur*; sed dum homo moritur, eius corpus resolvitur in ignem, aerem, aquam, & terram: ergo, quia tale corpus ex dictis quatuor elementis erat compositum. Et idcirco in lib. de Natur. human. dixit Hyppocrat. *Quando corpus humanum moritur, necesse est singula secreta reverti ad naturam suam, calidum ad*

ad calidum ; ſiccum ad ſiccum, &c.

Inquiritur : Utrum elementa maneant in mixtis formaliter, vel virtualiter ? Opinio communis, eſt quod formaliter non manent, ſed tantùm virtualiter: nam continentia virtualis ſtat in hoc, quod quælibet forma mixta virtualiter contineat formas elementorum, quatenus in ſe habet virtutem producendi debitas qualitates unicuique elemento, & in intenſione debita, ut producatur eius forma, quatenus eſt ex parte ſuæ virtutis. Neque eſt vana opinio eorum aſſerentium formaliter contineri in mixtis : nam formalis continentia videtur, quod ſit neceſſaria ; quia aliás falſificaretur compoſitio mixti ex quatuor elementis.

Dictum iam eſt, quod quatuor ſunt elementa pro mixtis neceſſaria, videlicet *terra*, *aqua*, *aer*, *&* *ignis* ; ex quibus oritur temperies conſervationis, & cauſa interitus : es his qualitates, quæ primæ vocantur, procedunt, tàm activæ, ut calor, & frigus, quám paſsivæ, ut humiditas, & ſiccitas.

Terra eſt elementum frigidum, & ſiccum ; *Aqua* eſt frigida, & humida ; *Aer* eſt calidus, & humidus ; *Ignis* eſt calidus, & ſiccus. Scire oportet, quod duo priora, nempè terra, & aqua ſunt talia, ut omnia corpora mixta, velut quædam materiæ fundamentales, magiſque firmæ conſtituant, & in quæ tandem poſſunt reſolvi. Duo verò poſteriora elementa, talia ſunt, ut quidem in mixtis reperiatur, eaque componant, ut aer, & ignis, qui, né aliquid vacuum ſit, omnia interſtitia, & poros corporum mixtorum replent, omniaque perfluunt, atque ita terram, & aquam, quæ de ſe velut mortua ſunt, movent, ac vegetant, ſed alio modo, hoc eſt, minus firmitèr, neque alijs ita ſe commiſcendo, & connectendo, ac qualiter aqua molem aquaticam, ſine qua talis non eſt, & ventus molam velarem, ſine qua etiam talis non eſt, conſtituit.

Notandum eſt, quod in elementis ſunt conſiderandæ conditiones, & proprietates ; eorum conditiones ſunt tres : Prima eſt, quòd ſint corpora ſimplicia : nam elementa componuntur ex materia, & forma, quę corpora ſimplicia ſunt; quia materia, & forma ſunt partes corporis. Secunda, quòd elementa exiſtant, & ſubſiſtant per ſe. Tertia conditio eſt, quòd habeant qualitates ad facienda, & refacienda inter ſe mixta. Proprietates elementorum etiã ſunt tres. Prima, quòd elementa à nobis non attinguntur pura, ſed

ſed impura, v.g. aqua habet aliquam mixtionem terræ; aer habet mixtas partes aliquas vaporoſas corporum, &c. Secunda, quòd elementa extrema ſint contraria medijs, v.g. terra, quæ frigida, & ſicca eſt, contrariatur aeri, qui calidus, & humidus eſt, &c. Eſt tertia proprietas, quòd habeant elementa unam qualitatem in gradu ſummo, & alteram in propè ſummum: in ſummo idem eſt ac habere qualitatem in ſupremo gradu; ponamus exemplum in igne, qui calidus, & ſiccus eſt; calidus in ſummo gradu, hoc eſt in octavo; ſiccus in propè ſummum, hoc eſt, in ſexto gradu, & ſic debemus de alijs elementis coniecturare.

Attentis iam prædictis conditionibus, & proprietatibus, ita aſsignantur definitiones elementorum; Terra eſt frigida, & ſicca, quæ habet ſiccitatem in gradu ſummo, & frigiditatem in propè ſummum. Aqua eſt frigida, & humida, fluidaque, frigiditatem in gradu ſummo habens, & humiditatem in propè ſummum. Aer eſt calidus, & humidus, qui habet humiditatem in gradu ſummo, & calorem in propè ſummum; Ignis, qui calidus, & ſiccus eſt, habet calorem in gradu ſummo, & ſiccitatem in propé ſummum.

Terra habet præ alijs elementis particulas, in quibus innumerabiles, quoad figuram, & magnitudinem poſſunt concipi diverſitates, ut craſſas, tenues, graviores, leviores, duras, molles, rigidas, flexiles, acutas, obtuſas, pungentes, ſcindentes, ramoſas, non ramoſas, amuloſas, &c. quales in metallis, vitro, ſale, aceto, alijſque corporibus reperiuntur. Aqua habet particulas ſuas magis conformes, flexiles, & oblongas, inſtar minutiſsimarum aliquot anguilarum, indèque fit, quod aqua tàm facilè ſe linteis, & panneis inſinuet, ex eiſque iterum, ſine ulla macula ſe extricet.

Aer particulas habet duplicis generis, ſcilicet globulos æthereos, ſeu particulas aliquas rotundas, politas, ac exiguas quidem, ſed maiores, quam ſint particulæ ignis, flexiles, tenueſque, quæ globulis ſupradictis facilem tranſitum concedunt, ac pro vario ſuo impulſu in auris tympanum auditum in nobis faciunt. Globuli ætherei dum à corpore luminante protruduntur, ac in fibrillas nervi optici impellunt, ſuper illas ſtatim motus aliquis, ad ſedem animæ propagatur, qui ſenſum illum, quem viſum vocamus in nobis excitat, eumque varium, pro motu vario radiorum, ſeu globulorum in linea, iuxta ſe poſitorum.

Ig-

Ignis est calidus, & siccus, habetque calorem in summo gradu, & siccitatem in propè summum, & habet particulas subtilissimas, & tenuissimas celerrimè semper motas, & agitatatas, indefinitæ parvitatis, hoc est quarum aliæ alijs in infinitum sunt minores, estque purior in Sole, & perfluit, ut mundum alter Occeanus, quævis corpora, etiam vim suam exercendo, ubi satis liberè non transit, ac eatenùs in liquidis est causa fermentationis. Animadvertendum est, quod subtilis hæc materia, etiam est causa caloris, & frigoris, nam agitando quædam corpuscula, eaque vehementiùs in fibrillas nervorum nostrorum impellendo causat in nobis sensum caloris, sicut è contrà sensus frigoris in nobis excitatur, ubi fibrillæ nostrorum nervorum moventur à quibusdam corporibus à materia subtili minus agitatis. Ultimò notandum est, quód triplex est ignis; primus enim est qui lucet, & calidus est, ut in candela. Secundus est qui non lucet, & calidus est, ut in calce aqua irrorata experimur, item in sanguine nostro. Tertius est qui lucet, sed non ardet, ut ille qui invenitur in aliquibus vermibus, & lignis putridis lucentibus.

Transeamus iam ad quatuor primas qualitates de quibus constant elementa. *Calor* est qualitas prima activa, cuius effectus est iungere res homogeneas; & separare ætherogeneas; *frigus* est qualitas prima activa, quæ iungit res homogeneas, & ætherogeneas: *humiditas* est qualitas prima passiva, quæ efficit, ut res humida difficilè retineatur in suo termino, & faciliter in alieno: *Siccitas* est qualitasprima passiva, quę efficit ut includatur res sicca faciliter intra suũ terminum, difficultèrque in alieno: ut in lignis, & lapidibus experimur; namque lapides, & ligna per multum temporis spátium propriam figuram servant, & difficilimè alienam figuram contrahunt.

Primæ qualitates considerari debent dupliciter; videlicet universales, & particulares: pono exemplum in calore, & in humiditate. *Calor universalis* est, qui diffussus est per universum mundum, & facit ad universalem productionem, & idcirco vocatur Macrocosmicus; etiam dicitur influens, quia diffunditur ex astris igneis; sed præcipuè ex Sole. *Particularis calor* est, qui à re particulari procedit; talis est in animalibus, ut calor uteri, calor gallinæ ova incum-

bantis, &c. *Humiditas universalis* est, quæ per totam universitatem mundi est diffussa; unde sat copiosi vapores elevantur, & hinc pluvia, ros, nix, &c. gignuntur. *Particularis humiditas* est, quæ in rebus particularibus deprehenditur, & in eis determinata est, ut humiditas, quæ invenitur in cepa, in pomo, &c.

In elementis etiam reperiuntur aliæ qualitates, quæ vocantur secundæ, & ab aliquibus dicuntur irradiantes: Porrò istæ procedunt ex primis qualitatibus, tàm activis, quám pasſivis, ex earum temperie, & mixtione: propter idque terra est gravis, & densa; aqua est fluida, & rara; aer subtilis, & rarus; & ignis subtilisſimus, & rarisſimus. Numerus secundarum qualitatum, seu earum ordo, quæ oriuntur ex prædicta temperie, & mixtione primarum est ita: Raritas, subtilitas, levitas, densitas, gravitas, crasities, mollities, lentor, durities, ariditas, friabilitas, asperitas, suavitas.

Raritas est qualitas secunda producta à calore, per quam res quæ habet eam attenuatur, & disſipabilis fit; patet in aqua, quæ iam attenuata à calore Solis, rarefit, & disſipabilis fit. *Subtilitas* est qualitas secunda, quæ oritur à calore, siccitate, raritateque, per quam res quæ habet eam, fit tenuis, subtilis, & penetrabilis. *Levitas* est qualitas secunda habens ortum à siccitate, per quam res quælibet habens eam, efficit suũ motum supra. *Densitas*, est qualitas secunda à frigiditate producta, per quam res, quæ habet eam infra suum motum exercet.

Gravitas est qualitas secunda, quæ originem habet à frigiditate, & densitate, ratione cuius quælibet res, ubi invenitur, suum motum infra exercet. *Crasities* est secunda qualitas à frigiditate, & densitate orta, per quam res, habens eam, fit solida, & minùs penetrabilis. *Mollities* est qualitas secunda, quæ habet originem ab humiditate, per quam quælibet res, in qua invenitur, tactui non resistit. *Lentor* est qualitas secunda producta ab humiditate, sed minori, quam in mollitie, per quam res fit tenax, & glutinosa. *Levitas* est secunda qualitas, quæ originem habet à siccitate, per quam res facit suum motum supra. *Durities* est secunda qualitas à siccitate producta, ratione cuius res tactui resistit.

Ariditas est qualitas secunda à siccitate orta, per quam res quæ habet eam fit aspera, &

& ſine ſucco. *Friabilitas* eſt ſecunda qualitas orta ex ſiccitate, per quam res fit parum glutinoſa. *Aſperitas* eſt qualitas ſecunda à ſiccitate producta, per quam res fit in ſuperficie inæqualis, & offenſiva tactui. *Suavitas* eſt qualitas ſecunda, quæ originem habet ab humiditate, & per eam res fit æqualis in ſuperficie, & delectabilis tactui.

Præter aſsignatas qualitates dantur etiam aliæ quæ tertiæ vocantur; & iſtæ non immediatè oriuntur à primis qualitatibus, ſicut ſecundæ; ſed ſolum lato modo; inter quas numerant aliqui calorem, odorem, & ſaporem; nam iſtud plus attinet ad tractatum ſenſuum externorum. Præter manifeſtas has qualitates elementorum in mixto, dantur etiam occultæ, ab illis modo agendi omninò diverſæ, & ab ipſa forma ſubſtantiali immediatè fluentes. Scire licèt, quod hæ occultæ qualitates ſunt altioris ordinis, quam elementales; & occultæ vocantur, quia eorum origo non attingitur. Ponamus exemplum in lapide magnetico, & in qualitate maligna febrium, quæ malignæ dicuntur: in Magnete reperitur qualitas attractiva, per quam Magnes vim habet attrahendi ferrum. In maligna febre invenitur maligna qualitas, quæ ita definitur: *Eſt quædam qualitas præter naturam intendens vitæ deſtructionem, elevatiori, & ſuperiori modo, quam in qualitatibus manifeſtis experimur.*

CAPUT II.

DE TEMPERAMENTIS.

Temperamentum eſt congrua mixtio elementorum ad actiones proprias uniuſcuiuſque rei. Eſt optima definitio, quia temperamentum in genere conſiſtit in congrua mixtione elementorum, aliàs functiones illius mixti non eſſent naturales, & ritè proportionatæ; & quia ad maiorem claritatem ſcire debemus, quod temperamenti eſſentia conſiſtit in ſymmetrica proportione qualitatum corporis, ſupponendum eſt, antequam tranſeamus ad differentias, quod *qualitas eſt certa diſpoſitio, ſeu contextus particularum inſenſibilium partes ſenſibiles conſtituentium, à qua noſtrum corpus poteſt denominari quale.* In capite elementorum iam de primis qualitatibus loquitur, ex quibus ea qualitas, quæ in temperamento ſuam contrariam ſuperat, temperamentum nominatur.

Dividitur temperamentum in

in simplicem, & compositum: *simplex* est quod ab una simplici qualitate dependet, & istud quadrupliciter consideratur; videlicet temperamentum calidum; frigidum; humidum; & siccum: simplicia dicuntur, quia in prædictis quatuor temperamentis una tantùm qualitas prædominatur suę cõtrarię.

Compositum temperamentum dicitur, quod à duabus primis qualitatibus combinatis procedit, & sunt quatuor; videlicet, *calidum, & humidum*; *calidum, & siccum*; *frigidum, & humidum*; *frigidum, & siccum.* Dicuntur composita quatuor afsignata temperamenta; quia in illis plures qualitates primæ prædominantur suis respectivè contrarijs.

Temperamentum aliud est *naturale*, aliud *præternaturale*: temperamentum *naturale* est, quod conducit adesse, & conservari formæ, ut operetur naturali modo. *Præternaturale* est, quod ex se conducit ad formæ corruptionem, ut malè operetur. Datur etiam temperamentum cum materia, & sine materia; *temperamentum cum materia* est illud, quod ab aliquo humore conservante procedit. *Temperamentum sine materia* dicitur, quod à nullo humore conservante pendet, & vocatur immateriale temperamentum. Etiam est duplex temperamentum, scilicèt, actuale, & potentiale: *actuale temperamentum* est, quod actu temperat, seu disponit pro forma. *Potentiale* dicitur, quando non temperat in actu, sed habet qualitates, quæ ad temperandum requiruntur.

Dividitur etiam temperamentum in *qualitativum*, *&* *substantificum*, & hæc divisio fit, ut clariùs intelligatur quod supradictum manet. *Qualitativum* temperamentum est congrua mixtio qualitatum orta ex elementorum mixtione, tanquam instrumentum necessarium ad omnes perfectas operationes illius mixti. *Substantificum* est congrua mixtio partium materialium elementorum in mixto, ut ex illa in congrua mixtione resultet qualitativum temperamentum, pro actionibus proprijs uniuscuiusque rei.

Temperamentum dividitur in temperamentum ad *justitiam*, & ad *pondus*. Ad *justitiam* est, quando quatuor qualitates adquisiverunt talem proportionem, quæ mixto est necessaria ad suum esse, & operari. *Est ad pondus*, quando primæ quatuor qualitates in equilibrio sunt, quin una qualitas alteri qualitati excedat. Scire licét, quod aliqui asserunt non da-

dari temperamentum ad pondus, & fundamentum eorum ſtat in eo quod prædictæ qualitates non poſſunt eſſe æquilibratæ. Certiſsima eſt opinio Medicorum aſſerentium dari prædictum temperamentum, iuxta conſenſum Soriæ Granatenſis, & aliorum Authorum, in vola manus hominis ritè temperati; quæ ſententia eſt admittenda ab omnibus, qui ſciunt quod cutis noſtri corporis temperatiſsima eſt, præſertim in vola manus, ac ſummis pulpellis digitorum.

SCHOLIA.

QUia temperamentum hominis non ut ſic, ſed individualitèr, ut Petri, Antonij, Franciſci, &c. Medicus cognoſcere debet, antequam eos curaturus eſt, oportet non ignorare hāc diviſionem temperamenti hominis, quod dupliciter conſideratur, ſcilicèt, *ſimplex, & compoſitum*: *ſimplex* quadrupliciter cōſideratur ratione quatuor humorum naturalium, ut ſanguineum, phlegmaticum, cholericum, & melancholicum: *compoſitum* vocatur mixtum temperamentum; & quodlibet ex quatuor ſimplicibus aſsignatis habet eius diviſiones, videlicet ſanguineo-cholericum. Sanguineo-melancholicum, & ſanguineo-phlegmaticum. Aliud eſt cholerico-ſanguineum, & cholerico-melancholicum. Alterum eſt phlegmatico-ſanguineum, & phlegmatico-melancolicum. Ultimum temperamentum compoſitum eſt melancholico-ſanguineum. Melancholico-cholericum, & melancolico-phlegmaticum.

Animadvertendum eſt, quod prædicta temperamenta vitalia hominis, eiuſque partium, à diverſa fibrarum textura, & craſi ſanguinis dependet; unde ſi ſanguinis maſſa, ſit calidior, & ſiccior, ac eius particulæ tenuiores, ſulphureæ, & valdè fermenteſcibiles prædominentur in ea, temperamentum cholericum emerget. Si particulæ craſiores, aquoſæ, & crudiores ſuperent reliquas, tunc pullulat phlegmaticum temperamentum. Si viſcidæ particulæ inter mixtis ſalinis terreis præ alijs caput extolant, inſurgit temperamentum melancholicum; etſi ſanguis temperatus fuerit, ac dulcificatus oleoſis particulis ſubtilibus, tunc emergit temperamentum ſanguineum, quod meliùs eſt ad vitam magis producendam, & operationes collectivè meliùs exercendas.

Debet Medicus in promptu habere ſigna quatuor prædictorum temperamentorum; quæ indicant ſanguineum tempe-

peramentum, sunt habitus laxus corporis, floridus, porosus, & turgidus: vasa sanguifera exigua. Pulsus moderatus, & æqualis: sanguis fluxilis, & floridus; bonus appetitus; optima digestio ciborum, ac nutritio benè procedens. Somnus declinans ad profunditatem; animus liber, alacris, hilaris, & voluptatibus, otioque deditus.

Quæ signa indicant cholericum temperamentum, sunt habitus corporis strictior, durior, calidior, floridus quidem, sed minùs albus, & eius cutis præditus est minoribus poris: vasa sanguinea capaciora sunt, & ampliora. Sanguis floridus, & summè fluxilis, & calidus est. Pulsus fortis est, & vegetus: ob sanguinis fluxibilitatem, & vigorem motuum secretiones, & excretiones optimè procedunt: laudabilis est appetitus, & digestio alimentorum facilis; corporis nutritio sufficiens quidem, raró veró superflua, & propter id corpus non redditur obesum: somnus est brevior, quam in sanguineo temperamento: animus alacris, liber, promptus, & pronus ad laborem, impaciens, inconstans, ad iram pronus, vindictæ cupidus, audax, in periculis intrepidus, &c.

Phlegmatici temperamenti ista sunt signa. Corporis habitus laxus, spongiosus, & mollis est, turgidus, palidus, frigidus, & valdè porosus: vasa sunt angusta, sanguis tenuis, & aquosus est, ac hinc satis fluxibilis: pulsus languidus est, & rarus, cui etiam respondet tardior sanguinis motus, appetitus vagus, ut plurimum, digestio ciborum tardior, & ad obesitatem promptitudo. Somnus admodum profundus, & ad eundem magna propensio. Secretiones, & excretiones procedunt lento gradu; animus timidus, torpidus, & ad otium pronus, inconstans, &c.

Signa demonstrantia melancholicum temperamentum sunt constrictus, densus, & siccus habitus corporis ob rigiditatem fibrarum, macilentus, palidus, vel ex livido subnigricans, frigidus, & eius cutis minús porosus est: vasa sunt ampla. Sanguis eorum spisior est, & non adeò fluxibilis, quia est minùs dilutus ob multum terræ continens, & parum sulphuris: tardus est pulsus, & tamen fortis, appetitus est moderatus. Digestio ciborum est lenta, & eiusmodi est corporis nutritio. Somnus est brevis, qui sæpius interrumpitur in somnijs anxiosis: animus meticulosus est, suspitiosus, & taciturnus.

No-

Notandum est, quod ex supra dictis signis facilè veniet Medicus in cognitionem temperamentorum compositorum, seu mixtorum: prætereaque restat scire, quòd quatuor simplicia temperamenta habent suas mutationes, scilicèt, quod sanguineum temperamentum mutatur in phlegmaticum, cholericum, aut melancholicum. Cholericum in melancholicum, aut sanguineum mutatur. Phlegmatici temperamenti mutatio in sanguineum fit, aut in melancholicum. Et temperamentum melancholicum in cholericum mutatur, aut in sanguineum. Supponendum est, quod plures sunt causæ mutationum horum temperamentorum: videlicet consuetudo, nutritio deficiens, vel excedens, morbi, corporis motus, & ætas, sed ista est causa præcipua, ut in sequenti capite de ætatibus videbitur.

Summæ utilitatis est in Medicina consideratio temperamentorum, tàm ad cognoscendum, quàm ad curandum, quia exinde noscitur partium solidarum nostri corporis status, earumque maior, vel minor flexibilitas, porositas, & promptitudo ad motus per agendos, Item cognoscitur sanguinis status, & eius maior, vel minor fluxilitas. Item pulsus cordis magis, vel minus vegetus, item successus secretionum, & excretionum, à quibus proximè dependet vita. Item alacritas animi, maior, vel minor ad actiones suscipiendas, tam vitales, quam morales.

Medicus ignorare non debet aliquas observationes circa prædicta temperamenta, quæ necessariæ sunt ad benè medendum; & idcirco asserimus, quod sanguineum temperamentum meretur præferri reliquis, quia non adeo pronum est ad excessus, aut defectus. Notatur, non adeo frequentia esse temperamenta pura, seu simplicia, igitur frequentius observamus mixta, seu composita. Item scire licet, temperamenta non planè mutari, sed nativum præadscititio semper obtinere prædominium. Item experientia docet, quod mutatio temperamentorum dupliciter debet considerari. Una est in meliùs, v.g. quando mutatur phlegmaticum in sanguineum. Altera verò in peius, quando sanguineum convertitur in phlegmaticum, & sic se habet res in alijs. Item oportet considerare temperamenta frequẽtius mutari in peius, quam in meliùs, cui rei prægressi morbi, ætatis mutationes, & vitia dictæ præbent occasionem.

Ultimò restat scire tempera-

ra-

ramenta partium nostrum corpus cōponentiū. Calidæ partes sunt cor, sanguis, spiritus, simplex caro, jecur, lien, renes, pulmones, pinguedo, &c. Partes frigidę sunt, cerebrum, nervi, spinalis medulla, membranæ, tendines, ligamenta, cartilagines, ossa, &c. Sunt partes humidæ, sanguis, adeps, medulla ossium, caro musculorum, jecur, lien, testes, mammillæ, &c. Siccæ partes sunt, pili, ossa, cartilagines, ligamenta, tendines, membranæ, cor, &c.

CAPUT III.

DE ÆTATIBUS.

Ætas est mēsura vitæ humanæ sub determinato temperamēto orto ex ipsis, & variabili. Dividitur ætas in *Pueritiam*, *Adolescentiam*, *Iuventutem*, *Consistentiam*, & *Senectutem*. *Pueritia* incipit ab hora nativitatis, usque ad annum decimum quartum, & habet temperamentum calidum, & humidum. Scire autem licet, quod pueritia in quatuor partes ab aliquibus dividitur; nempè in Infantiam, Pueritiam, Pubertatem, & Adolescentiam. *Infantia* numeratur ab hora nativitatis, usque ad annum quartum, & ab alijs usque ad septimum extenditur. *Pueritia* ab anno septimo usque ad decimum quartum. *Pubertas* enumeratur ab anno decimo quarto, usque ad decimum octavum. *Adolescentia* incipit ab anno decimo octavo, & extensionem habet usque ad vigesimum quintum.

Iuventus, seu ætas florens enumeratur ab anno vigesimo quinto usque ad quadragesimum; & temperamentum eius calidum est, & siccum; & secundum opinionem Doctorum aliquorum est eius temperamentum calidum, & humidum, declinans ad siccum. *Consistentia*, seu virilitas enumeratur ab anno quadragenario usque ad quinquagenarium; cuius temperamantum est calidum, & siccum ad frigiditatem declinans. *Senectus* dicitur illa, quæ ab anno quinquagenario usque ad sexagenarium extenditur, & eius temperamentum est frigidum, & humidum.

Senectus dupliciter consideratur videlicet prima, & ultima: prima est quæ iam manet definita. Secunda est illa, quæ etiam vocatur decrepitus. Decrepitus est, quæ enumeratur ab anno sexagenario usque ad finem vitæ, eiusque temperamentum est ipsum, ac primæ senectutis. Differunt tamen in hoc, quod decrepitus frigiditas est intensior, quia maior est

re-

receſſus ignis vitalis, & humidi radicalis.

Mors naturalis eſt quæ ad ultimam ſenectutem hominis ſubſequitur; nam mors naturalis talis dicitur, quia eſt terminus ultimæ ſenectutis. Mors violenta eſt, quæ à cauſa violenta procedit. Repentina mors eſt extinctio caloris nativi á corde influentis in univerſum corpus ab aliqua cauſa, ſive interna, ſive externa affatim, occurrente cum maxima, & violenta celeritate id agente.

Oportet notare quod omnes hominis ætates variationem habent, admittuntque iam plus, iam minùs, iuxta individui vires.

Sexus etiam variat temperamentum: nam viri ſunt plus calidi, & ſicci quam fœminæ, & mulieres ſunt plus frigidæ, & humidæ, quam viri; & idcirco ratione humiditatis de aliquibus morbis minùs periclitantur, quam viri, v.g. de Pleuritide, &c. ob minorem fibrarum rigiditatem.

Notare etiam oportet, quod quatuor anni tempora habent temperamenta correſpondentia quatuor elementis. Vernale tumpus eſt calidum, & humidum, & correſpondet aeri. Tempus æſtivum habet temperamentum calidum, & ſiccum igni correſpondens. Autumnale tempus habet temperamentum frigidum, & ſiccum, ſicut terra. Hiemale veró tempus habet temperamentum frigidum, & humidum aquæ correſpondens.

SCHOLIA.

Licèt ſcire, quod eſſentia ſexus conſiſtit in diverſa conformatione, & temperie partium genitalium. Qui ſexus duplex eſt, videlicet maſculinus, & fœmineus; prior plerumque calidior eſt poſteriore, quod patet, quia habitus corporis eſt ſiccior, & partes ſunt firmiores; actiones robuſtiores, & perfectiores; maior facilitas ad febrem, minor abundantia cruditatum, &c. quæ omnia ut fiunt à maiori calore, ita eum indicant.

Dignum eſt conſiderationis, quod cauſa ætatum eſt diverſa proportio caloris nativi, hoc, & in illo tempore vitæ, ob res naturales, vel præternaturam: & idcirco in partiali tempore vitæ humanæ obſervatur notabilis mutatio. Unde ob diverſam aſsignatam proportionem ætates non circunſcribuntur in omnibus dictis temporis annorum, ſed alijs citiùs contingunt, alijs tardius. Pono exemplum in ſenectute, igitur frequentiſsimè videmus

alios citiùs ſeneſcere, alios verò tardiùs. Et unos ciciùs canos fieri obſervamus, alios verò tardiùs; quia cauſa canitiei in ſenibus eſt incoctæ humiditatis abundantia, adeòque incoloratæ, & albæ; atque ea præſertim circa tempora ex eo, quod ibi excrementa copioſiora ſunt.

Cauſam proximam mortis in ſenibus conſtat eſſe nimiam ſanguinis ſeroſitatem, remotam verò eſſe duritiem, & compactionem corporis, & remotiorem adhuc ipſummet calorem corporis prægreſſum eſſe: ergo in ſenibus calor nativus extinguitur, & ſunt frigidi ob exceſſum humiditatis, ſeu aquæ acceſſum; ut doctiſsimè exaravit noſter Princeps Coo in lib. 2. de Diet. *Senes autem frigidi ſunt, & humidi, quia ignis receſſus contingit, aquæ autem acceſſus.*

CAPUT IV.

DE HUMORIBUS.

Humor eſt corpus fluidum, humidumque, in quod in primis nutriens convertitur, & gignitur vi jecoris, pro corpore allendo. Hæc definitio eſt bona, quia conſtat genere, & differentia, & datur per omnia genera cauſarum. *Corpus* ponitur loco generis; *fluidum* denotat cauſam formalem humoris; *in quod in primis nutriens convertitur* explicat cauſam materialem, & talis cauſa materialis eſt chilus. Particula verò *vi jecoris* denotat cauſam efficientem. *Pro corpore allendo* cauſam finalem, & hæc ultima particula eſt differentia, per quam humor differt ab alijs naturalibus humoribus non alimentarijs, qui quidem ad alias noſtri corporis operationes ſubſerviunt. *Chilus eſt* quædam ſubſtantia alba genita intra ventriculum ex alimentis per primam coctionem.

Contra: chilus, lac, ſemen, & humiditates, quæ ex humoribus fiunt in partibus, & plures humores præternaturales, qui in ventriculo fiunt, & alij, qui à calore præternaturali generantur in alijs partibus, ſunt humores; ſed tales humores non definiuntur per dictam definitionem: ergo debet aſsignari definitio alia, quæ omnibus humoribus conveniat.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem; lac, ſemen, & humiditates, & aliæ huiuſmodi ſubſtantiæ ſunt humores equivocè, concedo maiorem: propria definitione humoris, nego maiorem. Hyppocrat. enim aliquando vocat humores quaſcumque corporis humiditates; nos verò in caſu præſenti tantùm lo-

loquimur de humoribus naturalibus, hoc eſt, de ſanguine pituita, bile, & melancholia; prout comprehendunt maſſam ſanguinariam, de quibus loquitur Hyppocrates in lib. de Natur. human. hæc ſunt eius verba: *At verò corpus hominis habet in ſe ipſum ſanguinem pituitam, & bilem duplicem, videlicet atram, & flavam, at hæ ſunt corporis natura, & per hæc ægrotat, & ſanus eſt.*

Maſſa ſanguinaria eſt commixtio omnium quatuor humorum naturalium ſub forma ſanguinis. Supponendo, quod humores naturales quatuor ſunt; ſanguis, pituita, bilis, & melancholia, debemus facere aliquas dubitationes.

Inquiritur, utrum omnes quatuor humores naturales immediatè generentur ex chilo? Et affirmativè reſpondetur, quod conſtat ex ipſa humoris definitione iam aſsignata: ergo eſt de intrinſeca, & eſſentiali ratione humorum, quod immediatè generentur ex chilo. Clariſsimè patet ex Galeni Doctrina, qui in lib. 3. Facultat. natur. docet: *Quod tres coctiones neceſſariò debent præcedere in alimento, ut poſsit nutrire, videlicet prima in ventriculo, in quo recipit formam chili. Secunda in jecore, & in omnibus venis, & arterijs ubi recipit formas humorum. Tertia verò in regione tertia, hoc eſt, in qualibet parte noſtri corporis; ut poſsit converti in ſubſtantiam partium.*

Contra: bilis, & melancholia poſſunt immediatè generari ex ſanguine: ergo non omnes humores immediatè generantur ex chilo. Reſpondeo, verum eſſe bilem, & melancholiam immediatè generari ex ſanguine, dum ſanguis putrefit, ac dum eſt in ſtatu præternaturali, & ita concedo antecedens; dum verò ſanguis eſt naturalis, ſeu in ſtatu naturali, nego antecedens: nam ſanguis dum putrefit, pars tenuis tranſit in bilem, pars craſſa in melancholiam; in præſenti verò non loquimur de ſtatu præternaturali, ſed de naturali.

Sanguis eſt humor calidus, & humidus, ſapore dulcis, colore ruber ſine fœtore, genitus ex parte perfectiore chili: *Sanguis eſt duplex*; venalis, & arterialis. *Venalis* eſt craſſus minùs calidus, & plus ruber, quam arterialis, & eſt reſiduus à nutritione partium. *Sanguis arterialis* eſt tenuis, plus calidus, & minùs ruber, quam venalis, pro nutritione partium deſtinatus.

Pituita eſt humor frigidus,

& humidus, colore albus, insipidus, genitus ex parte aquea chili, seu crudiori. Pituita est duplex naturalis, quæ manet definita; *præternaturalis*, est quæ non servit ad nutritionem partium, in quibus dominat elementum aqueum, sed potius causat morbum. *Pituita præternaturalis* datur ratione saporis, & ratione substantiæ; ratione saporis est duplex, salsa, & accida; salsa est illa, quæ saporem habet salsum, & fit ex pituita naturali alimentaria, per specialem putrefactionem, vel propter commixtionem bilis, vel ob mixtionem alicuius substantiæ salsuginosæ. Pituita acida, est illa quæ habet acidum saporem, & fit ex insipida, & dulci causa dissipationis caloris, & sic ponitur acida ratione frigiditatis.

Pituita præternaturalis ratione substantiæ, est quadruplex; videlicet mucilaginosa, seu lenta, cruda, vitrea, & gypsea. *Pituita mucilaginosa*, vel lenta est illa, quæ habet nimiam crasiciem, & viscositatem, & fit immediatè, tum à frigiditate congelante, tum à calore partes tenues resolvente. *Cruda* est quæ nondum adquisivit formam pituitæ; respectu cuius cruda appellatur. *Pituita vitrea* est illa quæ in colore, & modo substantiæ similis est albumini crudi ovi; dicitur etiam vitrea, non quia reverà sit similis vitro, sed quia in colore, & modo substantiæ assimilatur materiæ, ex qua fit vitrum; & hæc species est frigidissima, & solet producere acerbissimos colicos dolores. *Pituita gypsea* est illa quæ assimilatur gypso, & generatur ex pituita glutinosa, quando à calore resolvuntur partes aquosæ; soletque generari in articulationibus, ut experimur in arthritide nodosa, seu tophacea.

Bilis naturalis vocatur ab aliquibus spuma sanguinis, & est humor calidus, & siccus colore palidus, seu flavus, sapore amarus, genitus ex parte ignea chili.

Bilis præternaturalis est illa quæ destruit substantiam corporis, loco nutritionis, & eius species sunt quinque, videlicet vitelina, porracea æruginosa, cerulea, & isatidæa. *Bilis vitelina* est in colore similis vitelo ovi cocti. Porracea, seu prasina, est illa, quæ in colore assimilatur follijs porrorum, & prasij: *Æruginosa* similis est ærugini vulgò *cardenillo*. Cerulea est, quæ illum colorem habet, qui Hispaniæ dicitur *azul obscuro*. Omnes istæ species bilis præternaturalis generantur ex magna ustione bilis facta à ca-

calore adurente, & partes humidas, & serosas consumente. Sic vitelina generatur per magnam ustionem. *Porracea* gignitur ex maiore ustione, & interst notare, quod tales species gignuntur ex maiore, vel minori ustione, & sunt magis, vel minùs activæ, iuxta maiorem, vel minorem mordacitatem, & acrimoniam, quam adquirunt, propter maiorem, vel minorem ustionem.

Sicut bilis naturalis vocatur flos sanguinis, ita melancholia vocatur fex sanguinis. *Melancholia naturalis* est humor frigidus, & siccus, colore niger, sapore medio inter acidum, & ponticum, genitus ex parte terrestri chili. *Melancholia præternaturalis* est humor frigidus, & siccus, colore niger, & sapore amarus: notare autem licet quòd generari solet *atra bilis*, quæ nihil aliud est, quam permixtio humoris melancholici cum bilioso humore.

Notandum etiam est, quòd dantur humores naturales non alimentarij, qui licet non inserviant ad nutritionem, valent tamen ad alias operationes faciendas, necessarias ad vitam conservandam; & sic bilis, quæ continetur intra vesicam feleam per ductum colidocum descendit ad intestinum duodenum, ad separationem chili, & ad irritanda intestina, ut valeant expellere fecalia excrementa. Melancholia naturalis non alimentaria continetur in liene, & per vasa brevia transfunditur ad ventriculum ad famem excitandam. Pituita naturalis non alimentaria continetur in articulationibus ad humectanda ligamenta, ut maneant flexibilia, ut motus facilè fiant.

Humores secundarij, seu secundæ humiditates nostri corporis sunt quatuor; prima humiditas vocatur innominata, & ab aliquibus capillaris, & oritur ex prima mutatione, quam recipiunt humores alimentarij, quando existunt in capitibus venarum capillarium dispositi exire ex vasis ad celebrandam nutritionem partium. Secunda vocatur Ros, & oritur ex prima humiditate per mutationem, quam recipit, quando expargitur per omnes partis poros, sicuti Ros. Tertia vocatur Gluten, & originem ducit à rore per mutationem, quam recipit, quando unitur partibus, & ipsis aglutinatur. Quarta vocatur Cambium, & oritur ex glutine, per mutationem, quam recipit, quando ex toto convertitur in partium substantiam, & eis assimilatur.

SCHO-

SCHOLIA.

QUamvis humores generentur in jecore, iuxta communem opinionem, licèt scire, quod non solum in jecore; sed in corde, & in toto corpore generantur, quia in toto corpore inveniuntur venæ, & arteriæ, quæ sunt vasa, per quæ sanguis movetur, & non solum de jecore debet dici, quod sit colatorium sanguinis: sed etiam de reliquis partibus, in quibus vasa sangui-fera sunt intertexta. Dicitur in corde, quia in eorum cisternis, seu ventriculis maximè agitantur partes chili à materia subtili, se invicem concutiunt, & immutant.

Dictum manet, quod pituita est humor frigidus, & quod melancholia est humor frigidus; sed hoc cum grano salis scire licet, quia omnes humores actu sunt calidi: ergo nullus est frigidus. Non infertur ex hoc, quod malè dictum sit, pituitam esse frigidam, & item melancholiam: ratio est evidentissima; igitur nullus humor frigidus est, nisi comparativè, hoc est, quod pituita, & melancholia non sunt humores tam calidi, sicut sanguis, & bilis.

Præter sanguinem venalem, & arterialem, animadvertendum est, quod sanguis dupliciter à Medicis considerari debet, in abstracto, & in concreto: sanguis in abstracto est illa substantia, quæ colorem rubrum habet, per quem à reliquis humoribus distinguitur. Sanguis in concreto est ille, qui vocatur massa sangninea.

Dictum manet, quod arterialis sanguis determinatus est pro nutritione partium nostri corporis; & istud non dicitur de sanguine venoso, quia arteriosus sanguis tantum est omnium partium corporis nutrimentum; venosus autem dicitur, quod à nutritione est residuus, & hic est, qui per venas reddit versus cor. Fiat demonstratio: veterinarij liberant Equos ab scrophulis, urendo, vel seccando arteriam, per quam nutrimentum communicatur; quia prohibito transitu sanguinis arterialis, exicantur schrophulæ: ergo quia prædictus sanguis est nutriens.

Nec oblivioni ponendum est motum sanguinis, quia huius motus ad vitam custodiendam necessarius est, tàm præcissè, ut ille impeditus, naturaliter homo vivere non posit: sanguis constat duobus motibus: unus dicitur intestinus, alter vocatur localis, proiectilis, progressivus, & circulatorius.

rius. *Motus intestinus* appellatur, quando sanguis movetur ad lateramina vasorum sanguiferorum. Circularis motus, seu circulatio sanguinis, est motus, quo sanguis indesinentèr abit per arterias à corde, iterumque per venas reddit versus illud.

Prædicti motus differunt inter se, in eo quod in intestino sanguis tantum movetur quoad latera vasorum; & in progressivo, seu circulatorio movetur versus eorum longitudinem. Iste motus circulatorius appellatur progressivus, localis, & proiectilis, quia sanguis per eum in eodem loco, nec subsistit, nec permanet; sed movetur successivè ab uno loco, tanquam à termino à quo ad alium locum, tanquam ad terminum ad quem. Etiam circulatorius vocatur, quia per hunc motum, tanquam per quendam circulum sanguis reddit ad locum ipsum, unde exivit; hoc est, ad cor, tanquam ad eius fontem.

Hic est modus circulandi: sanguis ex vena cava, tàm ascendente, quàm descendente fertur ad dextram cordis auriculam, inde in ventriculum dextrum cordis, post sui in hoc ventriculo rarefactionem in arteriam pulmonariam, ex hac in venam pulmonariam, & sinistram auriculam cordis, inde in sinistrum ventriculum cordis, inde post alteram sui in hoc rarefactionem pellitur in arteriam Aortam, tàm ascendentem, quàm descendentem, & per totum corpus dispersam, ex qua denuò in correspondentes ramos venæ portæ, & cavæ, ad auriculam dextram, vel ut ante ducitur, idque secundum dicta quatuor modis, nempè immediatè per inosculationem ramorum, & transudationem, ex arteria, in adiunctam venam; vel mediatè per carnem mediam inter venosos, & arteriosos ramos, & per sinus, eorumque ramos in cerebro, ubi sanguis ex arterijs carotidibus, & vertebralibus, à sinubus absorvetur, & ex his adiugulare amandatur.

Quatuor sunt fines circulationis sanguinis; primus, ut fiat nutritio partium. Secundus, ut corpus calefiat. Tertius ad generationem spirituū, tàm vitalium, quàm animalium. Quartus, ut à coagulatione præservetur sanguis.

Ultimò advertendum est, sanguinem in concreto esse Occeanum, à quo separantur variæ partes fluidæ per glandulas in diversis partibus corporis, v. g. succus Pancreaticus in glandulis Pancreatis. Saliva in ductibus salivalibus. &c.

&c. Et sicut sanguis iam satis constat, quod continuò circulat per arterias, & venas; ita succus Pancreaticus, saliva, & alij fluidi, qui segregantur à prædicto Occeano, non destituuntur circulari motu sui generis, quoniam omnes alternis vicibus à corde veniunt, & ad illud revertuntur excepta bile, iuxta opinionem aliquorum, Anathomicorum.

CAPUT V.

DE PARTIBUS.

P*Ars est corpus toti cohærens communi vita coniunctum ad illius functionem, usumve comparatum.* Pars dividitur in similarem, dissimilarem, & organicam. *Similaris* est illa, quæ similes in se habet partes, v.g. arteria, vena, nervus, os, cartilago, fibra, vasa lymphatica, vasa lactea, &c. Et idcirco, quælibet pars arteriæ est arteria, quælibet pars venæ est vena, & sic de reliquis. Pars autem similaris dividitur in partes sanguineas, & spermaticas. *Sanguineæ* sunt, quæ generantur ex sanguine, ut caro, pinguedo, & spiritus vitalis. *Spermaticæ* sunt, quæ ex spermate gignuntur sicut venæ, nervi, ossa, & alia similia.

Partes dissimilares sunt illæ, quæ si separentur, nec nomen, nec definitionem retinent cum ea parte, ex qua separantur, v. g ossa, cartilagines, ligamenta, tendones, arteriæ, venæ, nervi, caro, pinguedo, &c.

Partes organicæ, seu compositæ illæ sunt, quæ componuntur ex dissimilaribus, & similes non sunt in suis partibus, v. g. caput, manus, &c. nam quælibet pars capitis non est caput, nec quælibet pars manus, manus est, &c. Partes organicæ dividuntur in Principes, & non Principes; Principes sunt de quibus procedit aliqua facultas ad omnes corporis partes conservandas, & idcirco tres numerantur Principes nostri corporis; & hæ sunt jecur, cor, & cerebrum, & dicuntur principales, quia sine illis homo naturaliter vivere non potest, & non solum prædictæ sunt partes principales, sed etiam aliæ; ut ventriculus, lien, intestina, &c. quia sine his vita conservari non potest; quare scripsit Hyppoc. hunc aphorismum: *Vesica discisa, aut cerebro, aut corde, aut præcordijs, aut aliquo ex intestinis tenuioribus, aut ventriculo, aut jecore, aut liene, lethale est.*

Cerebrum, & cor dicuntur partes principaliores, quia ab illis dependet aliqua facul-

tas;

ctas, & quia ab ipsis partibus influit aliquid necessarium pro operatione gradus sensitivi, pro vitaque conservanda; & hoc patet experientia: nam ligato nervo partes supra ligaturam moventur, & sentiunt, & contrarium contingit infra ligaturam; ligata arteria, partes, quæ sunt infra ligaturam ipsam non pulsant;in morbis in quibus impeditur transitus spirituum animalium à cerebro in subiectas partes, quemadmodum contingit in paralisi, & apoplexia, quia obstructus est exortus nervorum, partes infra obstructionem non sentiunt, nec moventur, non ob aliquam rationem, nisi quia deficit aliquid,quod necessariò debet communicari à cerebro parte principali, pro operatione gradus sensitivi.

SCHOLIA.

Certissimum est compositum esse nostrum corpus ex partibus humoralibus, seu fluidis, & solidis: fluidæ, seu liquidæ iam dictæ manent in capite præcedenti. Reliquæ partes sunt solidæ, & unæ firmæ sunt magis, quam aliæ.

Omnes solidæ partes de se sunt albæ; patet hoc ex illarum ablutione, aut commaceratione in aqua, per quam extrahitur tinctura sanguinis, quo omnes nutriuntur. Infertur ex hoc, quod sanguis circuletur per carnem; quia si ita non esset, in eius tubulis non contineretur, nec albesceret per supra dictam ablutionem, aut commacerationem in aqua.

Iam sunt assignatæ partes principes, sed adhuc sciendum est, quod sicut sanguis, & spiritus sunt partes principaliores inter fluidas; similiter inter solidas sunt principaliores cerebrum, & cor: quia toto corpori largiuntur aliquid absolutè necessarium ad vitam. Cerebrum videlicet toto corpori spiritum,& cor etiam sanguinem largitur. Nisi enim cor det sanguinem, cerebrum citò patitur eclypsim omnium suarum actionum, & sine hoc partes aliæ non vivunt. Cerebrum autem, nisi cordi spiritus supeditet, quibus per vices constringatur, mors ostium pulsat.

Ministræ partes duarum principaliorum partium sunt hæ, quæ deferunt id, quod absolutè necessarium est ad vitam, v.g. nervi, arteriæ, & venæ; nervi sunt ministri cerebri; arteriæ, venæque ministræ sunt cordis.

Iam dictum manet, quod dantur partes sanguineæ, qua-

rum materia ex qua in prima sua conformatione totalis est sanguis: & quod spermaticæ partes sunt, quarum materia ex qua totalis in prima earum conformatione semen est. Sed scire oportet, quod etiam dantur partes mixtæ, hoc est, inter sanguineas, & spermaticas, quæ factæ sunt in prima earum conformatione ex æquis portionibus seminis, & sanguinis.

Solet dividi pars tripliciter ratione officij, videlicet in naturalem, vitalem, & animalem. *Naturalis* est pars ad functiones naturales eliciendas principaliter comparatas. Sunt tales ventriculus, intestina, hepar, lien, pancreas, &c. *Vitalis* est principaliter comparata ad eliciendas vitales functiones; & numerantur tales cor, & pulmones. Animalis est pars principaliter comparata ad functiones animales eliciendas, v. g. cerebrum, animales spiritus, nervi, spinalis medulla, oculus, membranosæ partes, nervosæ, & aliæ quæ ad animales actiones faciunt.

Ignorare non debet Medicus ea, quæ requiruntur, tàm ad bonam constitutionem partium dissimilarium, quàm ad earum optimam conformationem: Ad constitutionem bonam quinque requiruntur: prima est conformatio; secunda magnitudo; tertia numerus; quarta situs; & quinta unitas; quæ omnia etiam competunt ad constitutionem bonam similarium partium. Ad conformationem necessaria sunt tria, prima est figura: secunda meatus, & cavitates; tertia est superficies.

Animadvertendum est, quod in hoc capite non loquitur de partibus tàm fluidis, quàm solidis in specie, quia agendum erit in Anathomica introductione ad librum secundum in quo fundamenta practica continentur.

CAPUT VI.

DE SPIRITIBUS.

Spiritus est corpus tenuissimum, & levissimum eorum, quæ in nostro corpore sunt. Spiritus duplex est, vitalis, & animalis. *Vitalis* est corpus mobile à corde per arterias in totum corpus diffusum, genitum in sinistro cordis ventriculo ex aere cum vapore sanguinis commixto, ut facultas vitalis conservetur, & calor nativus in sua temperie custodiatur. *Spiritus animalis* est corpus tenuissimum, & levissimum, genitum intra cerebri ventricu-

culos ex ſpiritibus vitalibus ad ſenſum,& motum corporis efficiendum, & conſervandum.

Scire licèt, quod ſpiritus vitales ſunt calidiores animalibus, & probatur: ſpiritus vitales fuerunt à natura ordinati in ſubſidium caloris; nativi ſed ſpiritus animales in hunc finem non ſunt à natura producti: ergo ſpiritus animales ſunt frigidiores vitalibus.

Amplius probatur: Pars privata ſpiritu vitali redditur frigida; pars verò ſpiritu animali privata, licèt ſenſu motuque privetur, ut apparet in paraliſi, ſuum tamen debitum calorem ſervat: ergo quia ſpiritus vitales ſunt calidiores animalibus.

Contra: Lux eſt cauſa productiva caloris, ut patet de luce à Sole communicata; ſed ſpiritus animalis eſt lucidus: ergo eſt calidior ſpiritu vitali. Reſpondeo: diſtinguo conſequens, eſt calidior in actu virtuali,concedo conſequentiam, in actu formali, nego conſequentiam. Lux enim non continet formaliter calorem, ut patet in aere lucido frigido, ſed in actu virtuali, quatenus valet in alium ſubiectum illum producere, & in hac conſideratione ſpiritus animalis poteſt dici calidior, quantum eſt ex ſe, licèt in actu formali, & de facto minùs de calore poſsit communicare, quia rarioris eſt materiæ; & quia vitalis cum in actu habeat calorem perfectiore modo illum communicare valet.

SCHOLIA.

QUamvis aliqui aſſerant in noſtro corpore non dari ſpiritus; contrarium defendere debemus; igitur mille experimentis comprobatum eſt: iam manet dictum, quod ſpiritus eſt corpus tenuiſsimum, & leviſsimum; ſed etiam eſt aſſerendum,quod eſt ſubtiliſsimum, puriſsimum, & calidum, genitum ex ſanguine in ſubtiliſsimam ſubſtantiam reſoluto, ac exactè volatiliſato, quod eſt maximè neceſſarium inſtrumentum omnium actionum edendarum.

Manet dictum, quod in corpore dantur ſpiritus animales, & vitales: uſus animalis ſpiritus eſt ad efficiendas ſenſitivas operationes, & loco motivas. Uſus vitalis eſt, ut circulatio ſanguinis conſervetur, & ut ſupeditet calorem vitalem cunctis partibus inſitumque ſpiritum reſtauret.

Licet ſcire, quid ſit ſpiritus inſitus, & quid influens: inſitus ſpiritus dicitur ille, qui omnibus partibus implantatus eſt à primæ vitæ exordio. Spi-

ritus influens dicitur ille, qui à partibus principalibus communicatus est partibus ad restaurationem insiti. Animadvertendum est, quod spiritus insitus, & influens essentia est unus, cum idem, qui influus est in parentibus, & in generatione semen fecundat, sit in filijs maxima ex parte insitus.

Sugilari non debet, quod in memoriam non traditur spiritus naturalis, sed nemo mirari debet, quia talis spiritus non datur; quamvis ab aliquibus in hunc modum definiatur: *Est spiritus in jecore genitus ad functiones naturales eliciendas.* Hoc evidentissimum est, quia specialis sanguificatio, aut spirituum generatio non fit in hepate, quod infertur ex Scholijs iam factis in capite de Humoribus.

Ex cerebello potissimum veniunt spiritus inservientes actionibus non voluntarijs, atque monstrant hoc medullosæ striæ ex hoc, ad nervos vagi paris. Hinc ratio habetur, quare pulsus, & respiratio omninò non pereant in apoplexia, quæ partim fiunt per illos nervos. Etiam talis spiritus conducit ad partium nutritionem, & idcirco animalis spiritus vocatur succus nutritius, & conducit ad nutritionem, separando non nihil partium fibras, & latera pororum ad se invicem, & sic sanguini viam sternendo.

Quin videatur vanus philosophandi modus, & quin opponam admissioni spirituum vitalium, animaliumque, asserere debeo, quod hi spiritus essentia sunt unus, nomine tamen diversi, qui dum micant, & gliscunt in sanguinaria massa, dicuntur vitales, sicut animales appellantur, dum se extendunt in cerebro, & nervis liberiori radio, ad hoc, ut partes nostri corporis moveantur, & sentiant.

Enodaté loquor iterum, tantum unum esse spirituum in nostro corpore, & ut non videatur ridicula opinio, dico: Unum esse spiritum tantùm, qui prout facit animales actiones est animalis, isque dicitur iterum sensorius, vel motorius, prout in partem nervi medullarem, quæ motui, vel membraneam, quæ sensui inservit; & qui est vitalis, prout facit actiones vitales, & naturalis, tunc vocatur ab aliquibus, prout facit actiones vulgó naturales, & sic de cæteris, idque sine ulla specifica distinctione: nam animalis spiritus sanguini commistus denuó est vitalis, & ab illo in cerebro sequestratus, est iterum animalis.

Im-

Immò absolutè aliqui Anathomici asserunt, quod unus tantum est spiritus in corpore, videlicet animalis; dicunt quod iste est spiritus solus, utpotè eius essentia consistit in celeberrimo motu aliquarum particularum tenuissimarum à sanguine separatarum. Tales Authores assertivè dicunt, quod vitalis spiritus non est verus spiritus; sed tenuissima pars sanguinis, atque de eius essentia, ut ab eo non sit separabilis: eo modo, quo vinum extracto spiritu, desinit vocari vinum, sed benè, ut à spiritu illud dicitur spirituosum, & ita sanguis à spiritu vitali spirituosus, vivensque nominari potest. Licèt scire, quod quælibet opinio ex prædictis potest admitti.

CAPUT VII.

DE FACULTATIBUS.

Facultas est principium proximum alicuius operationis ad quam ex natura sua est constitutum, & ordinatum. Facultas dividitur in naturalem, seu vegetativam, in animalem, seu sensitivam, & in vitalem. Naturalis residet in jecore, animalis in cerebro, & vitalis in corde.

Hoc supposito sciendum est facultates naturales dividi in Principes; seu ministratas, & in non Principes, seu ministrantes. Ministratæ facultates sunt tres: Generatrix, Autrix, & Nutrix.

Facultas Generatrix est ea vis animæ, qua homo producit similem sui ad ipsius speciei conservationem. Facultas Autrix est ea animę vis, per quam corpus augetur ob conversionem alimenti in propriam substantiam. Facultas Nutrix est ea vis animæ, per quam mediante calore naturali alimentum convertitur in substantiam nostri corporis, ad restaurandum quidquid dissipatur, resolvitur, & consumitur eius functio; actio, seu operatio est ipsa nutritio. Nutritio ita definitur est restauratio substantiæ corporis deperditæ.

Facultates ministrantes sunt quatuor, atractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix. Facultas atractrix est ea vis animæ per quam partes attrahunt ad se alimentum utile ad ipsas, & talis facultas fit per fibras rectas; & ratione caloris, & siccitatis. Facultas retentrix est ea vis animæ, per quam partes alimentum retinent atractum, & talis facultas non solúm fit ratione caloris, & siccitatis, sed etiam per fibras obliquas.

Facultas concoctrix est ea animæ vis per quam partes immu-

mutant alimentum retentum, & assimilant sibi ipsis. Expultrix facultas est ea vis animæ, per quam corpuscula inutilia nutritioni partes expellunt, & fit per transversas fibras.

Facultas vitalis est animæ vis, per quam in corde spiritus vitales generantur, & in toto corpore vita conservatur. Facultates, quæ vitali facultati inserviunt sunt duæ, dumtaxat, facultas pulsifica, & respiratoria: pulsifica facultas est illa dilatans, & contrahens cor, & arterias, cum qua dilatatione, & contractione facultati vitali inservit. Facultas respiratoria est ea vis animæ per quam aer attrahitur ex cerebro per nares, & fauces in pulmonem, & ipsum cor.

Facultas animalis est ea vis animæ, per quam homo exercet sensum, & motum, functionesque animæ in partibus. Principales facultates, quæ in cerebro resident sunt tres, videlicet imaginatio, ratiocinatio, & memoratio; imaginatio est illa animæ actio, qua omnium obiectorum species, per sensus externos ministratas, percipiuntur. Ratiocinatio, aut intellectio est actio animæ per quam homo intelligit, discurrit, & ratiocinatur; & facultas hæc est peculiaris homini, & solum illi convenit; reliquæ verò hominibus sunt communes, & brutis. Memoratio est operatio quædam animæ ad retinendas, & conservandas obiectorum species.

Aliæ sunt facultates, quæ animali inserviunt, & hæ minùs principales sunt, videlicet sensitiva, & motiva: sensitiva est ea vis animæ per quam obiecta externa percipiuntur in proprijs organis, eius actio sensatio vocatur, & species eius dumtaxat quinque sunt, nimirum visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus. Visus sensus est, per quem obiectum visibile diaphano illuminato, tanquam causa mediata per oculos percipitur. Auditus est quidam sensus, quo homo obiectum audiendi aptum per aures percipit. Odoratus est sensus quo obiectum odorandi aptum per nares homo percipit. Gustus est sensus, quo per linguam, & palatum obiectum gustabile, dumtaxat sapores, percipitur. Tactus est sensus quo per quamcumque corporis partem medijs nervis, obiecta tangibilia, & qualitatem dolorificam, homo percipit. Facultas motiva est ea animæ vis, qua homo sua propria virtute movetur, & quando movetur sua propria virtute vocatur voluntarius motus; & id-

idcircò dupliciter motus consideratur in homine, videlicet animalis, & naturalis: Animalis est iam dictus voluntarius, quia si vult, pedem, aut manum movet, & si non, motum non mandat: Motus naturalis ille est, qui in corpore fit, aut homo velit, aut nolit, ut motus cordis, arteriarum, &c.

SCHOLIA.

EX iam dictis circa naturalem facultatem infertur, quod est ea, quæ elicit actiones naturales: ea iterum varia est, & nullus mirari debet, quia sicut actio nataralis est varia, estque à parte rei sanguis, & spiritus, alięque partium quoad magnitudinem, figuram, &c. dispositiones, quatenus eliciunt actiones naturales.

Non solùm admittit facultates Galenus, sed etiam Hyppocrates mentionem fecit de facultate; quamvis fremant aliqui contra Priscorum Doctrinam famosam, & decantatam facultatum. Legant illi moderni celebratissimum Coo, & in lib. de Veter. Medic. invenient verba sequentia: *Facultatem quidem intelligo extremas humorum qualitates, & vires nosse.* Unde cum nostro Principe nullas præter extremas humorum qualitates, atque vires facultates agnoscunt plurimi laureati, quæ in statu æquè naturali, ac morboso multum valoris, atque ponderis obtinent.

Ridicula non est opinio eorum, qui asserunt quod genericè tres facultates, videlicet naturalis, vitalis, & animalis non influunt à partibus principibus in reliquas partes corporis, quia omnes originaliter insunt in partibus omnibus, subiectivè tamen ob actiones eius magis apparentes in hac, vel illa parte, magis residere dicuntur; sic facultatis naturalis, & vitalis sedes est jecur, & cor; animalis verò cerebrum; sed adhuc restat scire, quod facultates distinguntur inter se per diversitatem actuum, & obiectorum, non autem ratione originis.

Ad elucidandam doctrinam facultatum, debemus animadvertere, quod nomina hæc, potentiæ, facultates, vires, & virtutes sunt synonima; sunt autem potentiæ animæ qualitates quædam effectrices omnium humanarum actionum: etsi enim prima, & principalis causa actionum sit anima hominis, tamen sine potentijs anima non agit. Oportet scire, quòd potentiæ differunt ab ipsa animæ substantia in hoc, quod potentiæ augmen-

mentum, & decrementum suscipiunt, & cessare possunt, animæ verò substantia, neque augetur, neque diminuitur, & per æternitatem durat. Cum itaque unica anima complures edat actiones, ad eas utitur varijs potentijs, virtutibus, seu facultatibus. Ex iam dictis infertur quam verum sit quod facultas nihil aliud est quam illa corporis dispositio, qua quid potest agere; non quod illud agitur, sed quod agi potest, adeò ut facultas æquè, ac potentia, sit res quæ non spectat præsens, sed futurum: & idcirco ritè dicitur, quod facultas sit potentia diversarum actionum, seu functionum, quæ in nostro corpore fiunt.

CAPUT VIII.

DE FUNCTIONIBUS, seu actionibus.

Functio est motus activus, seu effectus alicuius facultatis in parte aliqua corporis. Considerari licèt opus, & usum: opus est actionis obiectum permanens habentis effectus: est verò usus, cum pars ex se non actionem edit, sed alterius adiuvat.

Tot sunt differentiæ functionum, quot sunt facultatum differentiæ in nostro corpore; ita omnes actiones humanæ ad tria genera, tresque illas potentias, tanquam ad causas efficientes referuntur; suntque functiones omnes naturales, vitales, & animales; & prout fuerint tales actiones, talis nostri corporis erit status: ergo si sint inculpatæ, sanitatis erunt præludium; etsi viciosæ, tunc morbi sunt indices.

Quamvis functio est multiplex, tamen reducitur ad duas classes; videlicet materialis, & immaterialis: immaterialis est functio, quæ fit ab anima rationali independenter ab organis. Functio materialis est, quæ ab organis nostri corporis dependenter perpetuo conficitur, tanquam instrumentis sine quibus non.

Præter asignatas differentias transeamus iam ad explicandum quid sint naturales functiones: istæ sunt, quæ ex facultatibus naturalibus producuntur, veluti sunt generatio, partium conformatio, nutritio, augmentatio, sanguificatio, asimilatio, quibus subserviunt naturales propriæ actiones dictæ, attractio, retentio, concoctio, alteratio, & expulsio, quibus addi potest cibi potusque naturalis appetentia, quam famem, sitimque appellamus.

Vitales functiones sunt; quæ

quæ proferuntur ex corde per potentiam animæ, vitalem, ſive iraſcentem, veluti ſunt motus cordis, qui duplices ſunt, pulſus nimirum, & affectus. Conſtat cordis pulſus ex duplici motu, ſcilicet ex dilatatione, & ex conſtrictione cordis, quo motu, & arteriæ omnes pulſant. Affectus, ſive animi perturbationes ſunt motus cordis turbulenti orti ab obiectis bonis, aut malis, in quibus cor non tàm agit, quàm patitur. Scire reſtat, quod ſpecies affectuum ſunt *lætitia*, *triſtitia*, *ſpes*, *conſideratio*, *deſperatio*, *metus*, *amor*, *odium*, *miſericordia*, *invidentia*, *verecundia*, *pudor*, *humanitas*, *moroſitas*, *modeſtia*, *&c.*

Functiones animales ſunt, quæ excitantur à potentia animali in cerebro exiſtente, quæ triplicis differentiæ ſunt. Primæ enim ſunt inorganicæ, & fiunt in cerebri ventriculis, ſeu cavitatibus, quæ ſunt propriæ ſolis hominibus, veluti ſunt ſenſus communis, ſive receptio ſenſibilium qualitatum in abſtracto, imaginatio, ratiocinatio, ſeu dijudicatio, & memoria; his annumerari poſſunt ſomnus, & vigilia, quæ paſsiones potiùs, quam functiones cerebri dici debent. Secundæ ſunt organicæ, hominibus communes cum brutis, quæ extra cerebrum per nervos, & propria inſtrumenta perficiuntur, veluti ſunt functiones ſenſuum externorum, viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus. Tertiæ ſunt, quæ fiunt in omnibus partibus corporis, quemadmodum ſunt actiones motus voluntarij, ut ambulatio, aprehenſio, & partium extenſio, ac contractio.

Oblivioni tradendum non eſt, quod in noſtro corpore fiunt alij motus locales, qui non gubernantur à voluntate; ſed quia oriuntur à cauſis morbificis, & violentis, non numerari debent inter functiones animales, ſed potiùs inter paſſiones; tales ſunt *rigor*, *tremor*, *horror*, *pandiculatio*, *oſcitatio*, *iectigatio*, *tuſis*, *cordis palpitatio*, *vomitus*, *ſingultus*, *&c.* Quid autem ſingulæ functiones ſint, & quomodo quibuſque organis, & in quem finem in vita perficiantur, addiſcenda ſunt ex lib. de Anima.

SCHOLIA.

Magnæ utilitatis eſt quidquid agitur de functionibus, quæ ſunt exercitia facultatum: functiones, quæ inſerviunt individuo conſervando ſunt prædictæ tres, videlicet naturales, vitales, & animales, & quamvis ſatis dictum

fit de illis, oportet tamen clarificare.

Vocantur functiones naturales ita, quia inserviunt varijs mutationibus assumptorum, quatenus cum natura conveniunt, quia semper agunt eodem modo. Primò numeratur inter functiones naturales sitis, quæ est appetitus potulentorum, & partim oritur ex defectu humiditatis in sanguine, & partim ex obstructione salivalium vasorum.

Scire licet, quod eorum obstructio, seu coarctatio osculorum vasorum, salivalium, producit oris ariditatem, quæ excitat in cerebro motum, vel sensum, unde in anima sequitur illa forma cogitationis, quæ vocatur sitis.

Secundò inter naturales functiones occurrit fames, quæ est appetitus sculentorum, proveniens à velicatione orificij ventriculi; & talis velicatio excitatur ab alitu acidi, seu à melancholia, quæ vocatur naturalis non alimentaria. Tum à reliquis restantibus in ventriculo, tum à pancreatico succo in tenui intestino effervescente assurgente: Hæc veritas demonstratur ex iuvantibus, & nocentibus; & sic experientia constat acida excitare famem.

Inter functiones vitales numerantur dilatatio, & contractio cordis, talitèr, ut sine his non datur pulsus cordis, neque arteriarum. Pulsus dilatatio est motus à centro ad circumferentiam factus; sed contractio est motus, qui contrario modo fit. Restat scire, quod ille motus, qui vocatur pulsus non est in uno determinato loco, sed per totum corpus, ubi arteriæ dispersæ sunt, ut ex sanguine propulso ad quasvis partes fiat illa functio, quæ vocatur nutritio, cuius ope restauratur quod in corpore consumptum est, & eius consumptio causa est perpetua actionis ignis vitalis in omnes partes, uti in lampade flamma consumit oleum.

Parvi momenti non est scire quod animales functiones revocantur ad quatuor summa capita; prima ad sensus externos; secunda ad sensus internos; tertia ad animi motum, & quarta ad motum corporis. De externis sensibus iam egimus in capite de facultatibus, ubi numerantur, & definiuntur; sed restat scire, quod affectiones horum sensuum, somnus, & vigilia sunt. Etiam egimus de tribus sensibus internis, quorum promptuarium memoria est.

In prædicto capite de facultatibus tractati fuimus de mo-

motu voluntario, & involuntario, qui attinent ad corporis motum; sed quia non egimus de motu animi, seu de eius pasſionibus, in præſenti aſſerimus, quod tales animi pasſiones, ſeu motus, poſſunt referri ad ſeptem claſſes: in prima, reſpectu obiectorum, tanquam oppoſita, ſunt *amor, & odium*. In ſecunda ſunt *lætitia, & triſtitia*. In tertia *ſpes, & deſperatio*. In quarta *ira, & metus* ſunt. In quinta *crudelitas, & clementia*. In ſexta *gratulatio, & invidentia*. Suntque in ſeptima claſi *commiſeratio, & inſultatio*. Advertendum reſtat, quod omnes animi pasſiones elucidabimus in lib. 2. huius operis.

Quam optimum ſit contemplare dependentiam varietatis externorum ſenſuum, in Medicina, nemo integri judicij ignorat: talis varietas dependet tantùm à varietate nervorum, qui afficiuntur à diverſis obiectis, & prout nervi collocati ſunt in varijs corporis partibus, ſenſationes, & perceptiones inde provenientes nanciſcuntur varia nomina; adeò ut ſenſationes omnes in hoc ſolo conveniant, quod mediante illo, quod nervi afficiuntur ab obiectis eas affectiones, uſque ad cerebrum promovent. Et idcirco cum afficiuntur nervi oculorum, hæc affectio vocatur *viſus*. *Auditus*, cum nervi aurium. *Odoratus*, cum narium nervi afficiuntur; cum afficiuntur nervi linguæ, vocatur *guſtus*, & cum afficiuntur nervi ſuperficiei noſtri corporis dicitur *tactus*.

CAPUT IX.

IN QUO ENODANTUR definitiones aliquarum rerum, quæ ad Phyſiologiam attingunt.

NUllo alio modo incipientes Propheſſores Apolineæ ſcientiæ brevisſimè in ea poſſunt imponi, ſi inſtructi fuerint brevibus ſermonibus: optimum enim in artibus, ſcientijſque omnibus genus docendi; id eſt, quod non verboſa oratione, atque in infinitum excurrente, ſed paucis contenta perbelle dignoſcitur, in ulla tàm neceſſarius non eſt modus docendi, quàm in Medica facultate; cum Medicina conferat ad vitæ uſum, ſitque inventa ad ſalutem hominum, ac pulchra, nec contineat, tàm pauca præcepta, nec eam aſſequi videatur facilè eſſe; quare utiliſsimæ ſunt definitiones, ut quæ multa docere paucioribus poſſunt. Certiſsimum eſt, quia definitio eſt, quæ brevi ſub

monitione nos ducit vocibus in rerum subiectarum notionem.

SECTA, est assensio ex dogmatum multitudine, sequelam inter se ad unum finem habentium.

DOGMA, seu DECRETUM, est consensio rei in actu; communiter ita dicitur; sed propriè magis vocatur Dogmatica rationalis secta. Tres sunt Sectæ Medicinæ; videlicet Empirica, Rationalis, & Methodica.

EMPIRICA, est earum rerum, quæ sæpissimè, ac secundum idem, atque eodem pacto quodammodo visæ sunt.

RATIONALIS, est scientia abditarum rerum, atque operibus constat; quæ hanc in medendo consequuntur.

METHODICA, est ratio quæ apparente progreditur, & incomperti, comprehensionem facit; ut si sunt sudores, sunt exigui cutis meatus, apparens enim res. Sunt sudores: esse autem meatus incompertum est.

EPILOGISMUS, est ratio, quæ id quod ab intelligentia divertit in firmam, certamque notitiam adducit.

THEOREMA, est proloquium universale Medicinæ completivum.

OPINABILE, est id cuius perinde evenire contrarium potest.

FINIS IN MEDICINA, est id quo si assequuti fuerimus, nihilo præterea egemus.

MEDICUS CONSUMMATUS, est is, qui in speculatione, & actione numeros omnes explevit.

OPTIMUS MEDICUS, est, qui omnia in Medicina agit recta ratione.

ANIMAL, est substantia animata, sensu prædita, quæ impetu movetur, ac voluntate.

CORPUS, est magnitudo constans triplici dimensione; quippè cum longitudinem in se ipso, & profunditatem, & latitudinem habeat.

SANITAS, est actio minimè impedita naturalium viriũ, & ideo in sanitate videtur bona temperies, & bonus habitus.

SENSUS, est affectus animæ per corpus, nuntius rei, quæ movere idonea est.

SENSORIUM, est instrumentum, quod sensum aliquem creditum habet.

INGENIUM, est operatio mentis, cuius operationes, convenientias, & diversitatem agnoscimus; ita ut ratiocinatio sit functio ingenij, quæ versatur in rerum rationibus, & causis inveniendis.

IU-

IUDICIUM, eſt functio mentis, dijudicans de ſoliditate ingenij ratiocinantis.

EXPERIENTIA, eſt memoria, & obſervatio eius, quod ſæpè, & eodemmodo fieri viſum eſt.

CALOR NATIVUS, eſt qualitas propria, & familiaris omnibus animalibus, cuius beneficio vivunt, & ſuas actiones exercent.

CALIDUM INNATUM, eſt ſubſtantia primigenia calida, pinguis, oleoſa, per omnes corporis partes diffuſſa, per ſpiritum adiunctum, & nativum calorem.

HUMIDUM RADICALE, eſt ſubſtantia humida, pinguis, & oleoſa, in primo eſſe viventis adquiſita ex partibus aereis, & oleoſis principiorum generationis, ut ſit ſubiectum caloris nativi.



TRAC-

TRACTATUS SECUNDUS DE PATHOLOGIA.

CAPUT PRIMUM.

DE MORBO.

Morbus est affectus *præter naturam, lædens actiones naturales nostri corporis sensibiliter, primò, & per se.* Triplex est morbus; similaris, organicus, & communis; similaris morbus est, qui partium similarium nocet actiones; estque duplex, simplex, & compositus; simplex est, qui ab una simplici qualitate dependet, v. g. morbus ab intemperie calida, frigida, &c. Compositus est, qui ab intemperie composita procedit, v.g. ab intemperie calida, & sicca, ab intemperie frigida, & sicca, &c. lædente actiones partium similarium.

Morbus organicarum partium ille est, qui partium organicarum actiones lædit, & in quatuor species dividitur; primus morbus vocatur in conformatione, eiusque tres assignantur species, nempè in cavitate, in figura, & superficie; in cavitate, tunc est morbus, quando pars, quæ plana esse debet, cavitatem habet, & è contrà; in figura, quando pars, quæ in naturali statu figuram habere debet rectam, eam habet obliquam, & è conversò: in superficie morbus est quoties illa pars, cuius superficies debet esse aspera, suavis redditur, & è contrà.

Secundus morbus in conformatione, morbus in numero vocatur, v. g. sextus digitus, tres pedes, &c. Tertius vocatur morbus in magnitudine aucta, & imminuta, v. g. lingua tumefacta morbus in magnitudine aucta vocatur: defectus linguæ dimidiei vocatur morbus in quantitate diminuta. Quartus vocatur morbus in situ mutato præter naturam, v. g. quando intestina descendunt ad scrotum, quod etiam experimur in prolapsu uteri, intestini recti, &c.

Morbus communis est, qui actiones nocet, tàm similarium par-

partium, quàm organicarum, v. g. solutio continui. Dividitur morbus in longum, & brevem. Morbus brevis est, qui quatuordecim diebus terminatur; longus autem appellatur, qui longo tempore extenditur: morbusque brevis est duplex sine periculo, & cum periculo; sine periculo ut febris ephemera, dummodo ista pestilens non fuerit; cum periculo morbus acutus dicitur, ut in pleuritide apparet, Peripneumonia, Phrenitide, causu, seu febri ardente, &c.

Ut morborum acuties clarissimè intelligatur, notandum est, quòd datur morbus acutissimus, exactè peracutus, peracutus simpliciter, acutus simpliciter, acutus non simpliciter; & acutus ex decidentia. Morbus acutissimus est ille, qui tempore brevissimo terminatur, scilicet, in spatio decem horarum, vel unius naturalis diei, &c. Exactè peracutus est ille, qui quatuor dierum spatio terminatur, ut Hyppoc. lib. Prognosticor. docuit per hæc verba: *Simplicissimæ febres securissimis signis firmatæ, quarto die, aut citius desinunt, deterrimæ vero quarto die, aut citius interimunt.* Morbus peracutus simpliciter est ille, qui septem dierum spatio est terminabilis. Acutus simpliciter est, qui quatuordecim dierum spatio terminatur, ut Hyppoc. asserit in Aphor. 23. lib. 2. *Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.* Acutus non simpliciter ad diem vigesimum extenditur. Acutus vero ex decidentia est ille, qui ad quadragesimum prolongatur.

Dupliciter debet considerari morbus acutus: alter coniunctus cum febre; alter vero sine febre. Coniunctus cum febre est duplex, alter sine inflammatione, ut sinocha febris orta ex efervescentia sanguinis. Alter vero cum inflammatione, ut Pleuritis, Phrenitis, &c. Morbus acutus sine febre est apoplexia, convulsio, epilepsia, &c. Etiam morbus acutus est duplex unus est mali moris, seu malignus; alter vero boni moris, seu benignus. Boni moris est ille, qui servat exquisita sua signa, ut causus cum vigilia, site, & ardenti calore. Mali moris, est qui sua exquisita signa non servat, ut causus, seu febris ardens, dum est sine site, vel cum somno, dicitur malignus.

Morbus acutus datur etiam, qui quidem vocatur extremus, & ille est, qui statim à principio extremos habet labores: estque duplex, vel in actu, vel in potentia; extremus in actu est

est morbus acutissimus, vel exactè peracutus; extremus in potentia est triplex: primus est quando materia turget: secundus, quando timor adest, ut superveniat morbus magnus: tertius denique est quando morbus habet periculum in mora, ut experimur in sputo sanguinis, quod in principio est sanabile; in fine vero nequaquam.

SCHOLIA.

COnsiderare debemus, quod morbus in cavitate, ratione magnitudinis est duplex; in excessu, & in defectu. Morbus in excessu est, cum cavitas ita dilatatur, ut lædatur functio. Pono exemplum in illa specie Hydropis, quæ vocatur *tympanitis*, ubi læditur expulsio ob ventriculi, & intestinorum distensionem. Morbus in defectu est cum præternaturam angustatur cavitas, ut eius functio lædatur.

Totidem sunt species morbi in superficie, quoties superficies partis mutatur contra consuetudinem, & functio inde læditur, v. g. quando protuberans fit, quod cavum est, & vice versa: quod molle est durum fit, & è contrà: quando densum fit, quod perspirabile, seu rarum est, &c.

Animadvertendum est, quod morbi soluti unitatis differunt: *Primò* ratione partis affectæ, quæ aut est mollis, aut dura: *Secundò* ratione causæ continuum solventis, quæ quintuplex considerari licet: *Prima* solvit continuum secando; *secunda* pungendo; *tertia* rodendo; *quarta* contundendo; & *quinta* tendendo, & idcirco, ubi solvitur continuum partis mollioris à causa secante vocatur *vulnus*: quando apungente causa dicitur punctura: dum fit à causa contundente nominatur *contusio*: vocatur *ruptura*, quando fit à tendendo rumpente; & quando ab errodente causa fit, dicitur *ulcus*.

Etiam morbos debemus considerare essentiales esse, & accidentales: essentiales dicuntur, qui à proprijs, & essentialibus causis immediatè dependent. Accidentales, qui petuntur ab ijs, quæ essentiam morbi insequuntur; talia sunt, sine quibus morbus potest esse, & cogitari, v.g. morbus intermittens est accidentalis, quia de essentia morbi non est intermissio, cum posit morbus esse continuus.

Morbi alij dicuntur legitimi, veri, & sinceri, & sunt, qui ex simplici humore ortum ducunt, & facilè dijudicantur, ut tertiana legitima, seu exqui-

quisita, quæ ex mera bile generatur. Alij expurij, seu illegitimi vocantur, & sunt, qui non ex simplici, aut unico humore generantur, sed ex commixtione plurium, v. g. tertiana, quæ vocatur nota maioris famæ, propter commistionem pituitæ cum bile, ex qua producitur.

Licet scire, quod morbi alij sunt simplices, alij compositi: morbi simplices sunt, qui ex unica, & eadem causa suboriuntur in una, eademque parte corporis, ut intemperies frigida ventriculi, obstructio simplex, vel renum, vel alicuius venæ, &c. Compositi morbi sunt, qui coniunguntur cum alio morbo, vel pluribus etiam alijs in uno corpore, ut calculus, & inflammatio renum.

Tamen sunt morbi universales, & particulares: universales dicuntur, qui totum corpus occupant, v.g. febris, cuius calore præternaturali totum corpus afficitur: etiam Anasarca, &c. Animadvertendum est, quod ad hoc, ut morbus universalis sit, requiritur, ut omnes actiones lædantur, quia difficilè est lædi unas actiones, & non alias, quoniam multum à se se invicem dependent. Particulares autem morbi sunt, qui tantum in quibusdam partibus hærent, & lædunt earum functiones, v. g. pleuritis ex læsione particulari pleuræ, &c.

Sumitur alia differentia morborum à subiectis, unde morbi dicuntur, & sic alij sunt interni, ut phrenitis, letargus, &c. alij dicuntur externi, ut ulcus, &c. Aliæ differentiæ petuntur á sexu, & ab ætate, & idcirco podagra dicitur morbus virilis; supresio mensium dicitur fœmineus, variolæ dicitur puerilis morbus. Gonorthea vocatur juvenilis, ut obtenebratio visus vocatur morbus senilis.

Morbi etiam sunt magni, & parvi: magni dicuntur, qui aggrediuntur partes nobiles, insigniter lædunt, ad interitumque, ut plurimum terminantur, v. g. apoplexia, suffocativus catharrus, morbus malignus, &c. Terminatur, ut plurimum ad mortem, quia oriuntur à graviori causa, & stipati sunt gravibus simpthomatibus. Parvi morbi sunt, qui facilè cedunt propter levitatem, & nullum portendunt periculum, v. g. emorragiæ narium, quæ periodice fiunt in juvenibus, vulnera cutis, &c.

Alij morbi sunt hidiopatici, & simpatici: hidiopatici dicuntur, qui dependent à causa morbifica hærente in ipso lo-

loco affecto, qui morbi vocantur per propriam passionem, v. g. vomitus à cruditatibus in stomacho hærentibus, in capitis dolore ab infarctu sanguinis in capite; obstructio renis à calculo. Morbi simpathici sunt, qui oriuntur ex aliarum partium consensu, v. g. delirium sequens inflammationem diaphragmatis; vomitus, qui sequitur in nephritico dolore, &c.

Tandem morbi alij vocantur salutares, & alij læthales ratione exitus. Salutares dicuntur, qui nullum minantur vitæ periculum; sed ab alijs gravioribus morbis sæpius præservant, v. g. hemorroides, diarrhea spontanea, &c. Nominantur læthales illi, qui egrum certò jugulant, vel in gravissimum vitæ periculum conijciunt, v. g. fortis apoplexia, catharrus suffocativus, inflammationes profundiores viscerum, &c.

Morbi alij vocantur ordinati; alij erratici, & alij recidivi. *Ordinati* sunt qui statis, certisque temporibus invadunt, ut tertiana febris, quartana, &c. *Erratici* dicuntur, qui incerto tempore, & per periodos incertas corripiunt, veluti sunt erraticæ febres. *Recidivi*, seu *recurrentes* appellantur, qui aliquantisper remittunt, & fiunt moderatiores, rursus posteà exacuntur.

Ab origine alij sunt morbi, qui vocantur hæreditarij, & ascitici: hæreditarij appellantur illi, qui à parentibus eidem speciei morbi obnoxijs in sobolem transfundi solet, ob vitium seminis, vel nutrimenti fœtus. Verum non putandum est, quod morbi ut sint hæreditarij debeant mox ab ortu in infante se manifestare, sed in adulta tantùm ætate aliquando se manifestat; eo quòd illa morbifica dispositio soboli impressa, tum tantùm, sive ob aliam victus rationem, sive ob aliud temperamentum, sive ob aliquas causas externas, sive denique ob aliam dispositionem sanguinis, & solidarum partium, ob quorum omnium defectum inquinamentum morbosum, usque eo depressum fuit, devictum, occultatumque. Videtur ita in lue venerea per hærentiam adquisita, quæ in motum non ponitur, usque ad annum decimum, aut trigesimum, &c. ut quotidie experimur in monialibus, & in illis, qui à pueritia vitam agunt in austera Religione, & maximo cum Dei timore. Ita videtur in Phthisi hæreditariè contracta, quæ sæpius tantum ad annum vigesimum quartum, trigesimum, & trigesimum sex-

ſextum exacerbeſcere ſolet. Ita, & videmus variolas ex impuritate ſanguinis materni in ſobolis corpore relicta ſæpius ad octavum annum, decimum, duodecimum, & amplius excreſcere, & ſic de alijs hæreditarijs morbis judicandum eſt. *Aſcititij* morbi appellantur, qui originem trahunt, tàm à cauſis internis, ut à cacochimia, pletora, ſpiſitudine ſanguinis, &c. quàm ab externis.

Verum eſt, quod dantur etiam morbi contagioſi, pernicioſi, & epidemici. *Contagioſi* ſunt, qui propagantur per contagium ex uno corpore in aliud, v. g. lues venerea, ſcabies, hydrophobia, lepra, &c. *Epidemici* dicuntur, qui oriuntur ex cauſa communi, & plures uno eodemque tempore invadunt, v. g. febris punticularis, diſenteria, catarrhus, &c. Appellantur verò pernicioſi morbi illi, qui plures interimunt, & idcirco peſtis nominatur morbus epidemicus pernicioſus.

Porrò indiget Medicus non ignorare quid contagium ſit: iſtud verò eſt inquinamentum, ſeu quoddam effluvium emiſſum ex corpore ægro, diſtinctum à ſemine, ab alimento fetus, & lacte, quo morbus ex uno corpore transferri poſsit in aliud. Scire reſtat qualis naturæ ſit contagium, & cur non omnis morbus contagioſus ſit, ex definitione aſsignata infertur, quod contagium eſt velut quoddam morbi ſeminarium, debetque continere ſub minima molle magnam vim, & energiam, totamque ſuam eſſentiam; atque huius defectu contingit non omnem morbum eſſe contagioſum, non obſtante, quod vix ullus ſit, quin habeat aliqua ſua effluvia.

Dictum iam manet in definitione, quod tale inquinamentum eſt diſtinctum à ſemine, &c. quia morbus cum ſemine in prima conformatione effuſſus propriè vocatur conatus, ſeu hæreditarius, ut & communicatus fœtui cum nutrimento, aut infanti cum lacte, nuncupatur connutritus morbus. Dicitur quoque emiſſum ex corpore ægro, hoc eſt, ex corpore laborante ſimili conſtitutione morboſa, aliàs morbus non eſt contagioſus. Ita morbus inductus à viperino veneno contagioſus non dicitur, ſed potius venenatus; quia illud venenum viperæ eſt connaturale, & non morbificum.

Ex iam dictis colligitur contagium eſſe corpus, & non ipſam infectionem alicuius corporis ab altero. Porró à contagio morbus aliquis contagioſus dicitur, non quod debeat pri-

mò à contagio produci, sed quod contagium ipsum possit efficere, eoque mediante se transferre de uno corpore in aliud; pono exemplum in peste cœlitus producta, quæ est morbus contagiosus, non tamen producta eatenus à contagio.

Cæterum, ut contagium effectu, & morbum, non sufficit esse illud iam receptum in aliud corpus, sed requiritur insuper dispositio in alio isto corpore, ut illi debitè possit inhærere, ab eoque foveri; ea dispositio est velut conditio quædam sine qua non, cuius defectu accidit sæpè uni homini ab altero contagium immitti, nullatenus tamen hunc simili morbo corripi, sed per transpirationem, per sudores, sputa, urinas, &c. expelli iterum, aliquando etiam valdè diu sine effectu obluctanti eius sanguini inhærere.

Verum ubi illa dispositio corporis favet, hoc est, ubi conformitas est quoad magnitudinem, figuram, &c. tum in poris cutis, tum in partibus sanguinis, aliarumque corporis partium, ibi contagium se promptissimè insinuat, & insidias suas extruit, atque hinc deducenda est ratio, cur, v. g. contagium Phthisis promptius de fratre in fratrem, consanguineum, &c. item de pulmone in pulmonem, quam in alium, qui de parentela non est propagetur, aut vim suam corrosivam exerat æquè benè in cutem, vel hepar alterius, quam in ipsius pulmones, solent enim corpora fratrum, aliorum de parentela similia esse quoad poros, aut suasque particulas, atque idem est de partibus similibus in uno, & altero homine, v. g. de pulmone in Ioanne, & de pulmone in Francisco.

Alij morbi dicuntur endemi, & sporadici; endemi sunt illi, qui ex communi causa certis regionibus, & populis proprij vocantur, ut Scorbutus, Hollandiæ, Daniæ, Sueciæ, & Norovegiæ est proprius: Lues venerea Indiæ, Bronchocelæ locis Alpinis, &c. Appellantur sporadici, seu dispersi, qui neque communiter grassantur, neque certis regionibus proprij sunt, sed alijs grassantibus, hos, vel illos corripiunt ob causas particulares. Dicuntur morbi diversæ speciei, quia plures invadunt eodem tempore, & in eadem regione, ut pleuritis, & opthalmia, quæ licet ambæ sint inflammationes, apud Medicos tamen appellantur diversæ speciei, quia sumunt diversitatem ab affecta parte, & simpthomatibus specie diversis.

No-

Notare licet, quòd à temporibus anni ſumuntur aliæ differentiæ morborum: videlicet Vernales, Æſtibi, Autumnales, & Hyemales. Vernales dicuntur, qui propriè invadunt in tempore veris, ut febres intermittentes, quotidianæ, tertianæ, & reliqui de quibus mentionem facit Hyppoc. in Aphor. 20. lib. 3. Æſtibi morbi dicuntur, qui propriè invadunt in tempore ſtatis, uti febres variæ, diartheæ, & alij plurimi, quos numerat Hyppoc. in 21. Aphor. lib. citat. Morbi Autumnales ſunt, qui eveniunt frequentèr in tempore Autumni, ut dyſenteriæ, quartanæ, alijque de quibus loquitur Hyppoc. in Aphor. 22. eiuſdem lib. Hyemales vocantur, qui propriè contingunt in tempore Hyemis, v. g. tuſes, pleuritides, & multi alij, quos narrat Hyppoc. in Aphor. 23. dict. lib.

Ultimó animadvertendum eſt, quod morbi alij ſunt curabiles, alij incurabiles: curabiles dicuntur, qui reſtituuntur ſpontanea methodo, & artificiali, uti pleraque pars morborum, v. g. hemorragiæ, febres continuæ, & intermittentes, &c. Appellantur incurabiles, qui nullam admittunt medelam, ut fortiſsima apoplexia, læſiones graviores viſcerum, paraliſes conſummatæ cum inflatione partium affectarum, aut cum conſumptione earum; & idcirco dixit Hyppoc. in lib. Prorreticor. *Paralitici, quibus præter motus impotentiam, pars affecta extenuatur, incurabiles ſunt.*

CAPUT II.

DE FEBRIBUS IN GENERE.

PОrrò numeratur febris inter universales morbos, quia universaliter lædit actiones noſtri corporis, quod patet ex eius definitione, quæ eſt ita: *Calor extraneus accenſus in corde, & procedens ab eo mediantibus ſpiritibus, & ſanguine per arterias, & venas in totum corpus, & inflammatur in eo, inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus, non ſicut caliditas iræ, aut laboris, cum non ultimatur.* Hæc eſt genuina definitio Avicenæ.

Ratio vero generica, & eſſentialis febris eſt calor, & patet; quia accidentia, quæ à morbo ſubſequuntur, atteſtantur illius naturam; ſed accidentia, quæ à febre ſubſequuntur teſtificant, quod febris ſit calor: ergo natura febris conſtitui debet in calore extraneo. Probatur minor: Accidentia à febre ſubſequentia, ut experientia demonſtrat, ſunt calor tactui intenſior, ſeu mordax,

quam naturali: urina usta, aut conturbata, adest sitis, cibi fastidium, vigilia insolita, perturbatus somnus, inquietudo, & alia; sed accidentia ista nullus fatetur non provenire à calore: ergo accidentia febri subsecuta testificant febrem esse calorem, & idcirco in lib. de Hist. Phylos. dixit Galenus: *Est autem febrilis intemperantia, excessus in caloris abundantia.*

Contra: Quicumque in accessione patitur frigorem, fateri debet, quod habet morbum; sed morbus talis est pars febris, & habet quidquid est febri intrinsecum: ergo cum non habeat calorem, non est calor quid intrinsecum febri.

Respondeo, quod, qui frigorem patiuntur in accessione, simul habent febrilem calorem in partibus internis; qui quidem calor, donec augeatur febris, ad externas partes non extenditur; & ideo in toto tempore excedentis frigiditatis, dicitur, quod est in principio accessio febrilis, non quia consistat febris in illa frigiditate, sed in caliditate interna complicata cum illa.

Docet Avicena, quod calor sit accensus in corde, ubi ultimari, aut subiectari debet, ut salvetur, quod sit de essentia febris *calor extraneus accensus in corde*; & ideo calor iræ, & laboris non est febris constitutivus. In hoc supposito ignorare non licet intelligentiam ultimationis caloris: verum ad hoc, ut calor ultimetur, requiritur, quod radicatus, sit in substantia aliqua humorali, aut in spiritibus, aut in aliqua parte solida.

Ex supra dicta ultimatione, seu radicatione, & ex sequentibus verbis Hyppoc. *Continentia, contenta, & impetum facientia*, dividitur febris in tres genericas species, scilicet in diariam, putridam, & hæcticam, quas genericas appello; quia ex qualibet dantur plures species: Pono exemplum in diaria; igitur datur febris diaria ex usu ciborum calidorum; alia datur ex vino; alia ex soliditate, vel cutis condensatione à frigore causata; alia ex apostemate; alia ex facietate, seu repletione alimenti; alia ex fame; alia ex ira; alia ex vigilijs; alia ex timore; alia ex dolore, &c.

Diaria est, cuius calor ultimatur in spiritibus. *Putrida*, cuius calor ultimatus est in substantia humorali; vocatur etiam humoralis febris: ista febris humoralis dupliciter consideratur, nempè putrida, & non putrida; *putrida* est, quæ oritur ex putredine alicuius substantiæ humorosæ corpus adintegrantis. *Non putrida* est illa, quæ sine

ſine putredine fit in aliqua parte corpus adintegrante, ut videtur in ſinocho ſimplici, quia tantum producitur ex ſanguinis effervefcentia; & idcirco vocantur febres non putridæ omnes ſpecies diariæ, & omnes hæcticæ, quatenus fiunt ſine putredine. *Hæctica febris* eſt, cuius calor in partibus ſolidis ultimatur.

Etiam dividitur febris in febrem morbum, & in febrem accidens: *febris morbus* eſt, quæ immediatè dependet ab humoribus putreſcentibus, in vaſis ſanguiferis, aut in ambitu corporis, vel in eius prima regione. Accidens febris eſt, quæ alium morbum ſequitur, ut illa, quæ conſequitur inflammationi pleuræ, vel pulmonis, vel jecoris, &c.

Tamen in ſimplicem, & compoſitam dividitur febris: *Simplex* eſt, quæ ortum trahit ab una ſimplici cauſa, ut tertiana exquiſita, quæ fit à ſincera bile: quartana exquiſita, quæ tantum oritur à melancholia: cauſus; ſeu febris ardens legitima, quæ procedit à bile ſincera, &c. *Compoſita febris* dicitur, quæ producitur à compoſita cauſa, ut tertiana duplex, quæ dependet ab humore birioſo, & pituitoſo. Etiam dicitur compoſita, quando una febris alteri febri adiungitur, ut experitur in emitriteo, ſeu ſemitertiana, hoc eſt, quando in eodem ægrotante ſimul inveniuntur tertiana febris, & quartana.

Tandem dividitur febris in continuam, & intermittentem. *Continua* eſt illa, quæ nullam habet intermiſsionem, ſed continuò affligit à principio, uſque ad perfectam eius terminationem. Iſta duplex conſideratur; videlicet legitima, & illegitima: legitima, quæ appellatur continens, eſt quæ non habet remiſsionem, uſque ad univerſalem declinationem, de qua in lib. de Natur. human. Hyppoc. mentionem facit, per hæc verba: *Continens itaque appellata à plurima, ac meraciſsima bile provenit; non quieſcit ullo tempore, & corpus nullo tempore perfrigeratur.* Continua illegitima eſt, quæ in continuatione remiſsionem habet, & idcirco remittens vocatur, quia in declinationibus acceſsionum præciſsè calor remittitur: iſtud experitur in tertiana continua, in qua non percipitur rigor, nec extremarum partium refrigeratio, ſed tantum febris remiſsio, donec ſubſequatur nova acceſsio, ratione cuius novum incrementum accipit febris.

Intermittens febris dicitur, quæ in diebus certis invadit cum rigore, horrore, aut extre-

tremorum refrigeratione; & post venit æger ad perfectam infebricitationem per determinatum spatium, ut videtur in quotidiana febre, in qua per spatium aliquarum horarum sine febre existit æger: tum in tertiana simplici, ubi observatur unus dies intermissionis; tum in simplici quartana, ubi experiuntur duo dies infebricitationis.

Scire restat, quod febres omnes sunt mordaces, vel mittes, vel non mordaces, vel acutæ. Per febres mordaces intelligere debemus hæcticas, & eas quæ à melancholico humore, & ab attrabile, aut à bile nimis acri dependent; nam siccitas calori adiuncta causat mordacitatem, & idcirco febres hæcticæ, & quæ ab humore melancholico procedunt, dicuntur mordaces.

Per febres mittes intelligimus diarias, & sanguineas, quia distinguntur per mittem, & suavem calorem à febribus putridis, quæ calorem mordacem habent. Notandum est, quod sanguineæ febres, quæ vocantur mittes sunt tantum illæ quæ sine sanguinis putredine fiunt, quia istæ mordacem calorem non habent, sicut illæ, quæ ex putrescente sanguine dependent.

Per febres non mordaces, sed postea insurgentes intelligere oportet pituitosas, seu flegmaticas; quia pituitosus humor ex natura sua frigidus est, & humidus; & ideò non tàm facilè accenditur, sed lentè putrescit, sicut lignum viride lentè accenditur, & ideò pituitosæ febres in primis diebus calorem mordacem non habent, usque ipsius causa flegmatica accendatur, & ista ratione non mordaces, sed postea insurgentes dicuntur.

Per acutas febres intelligant Tirones biliosas febres, quia in eis per tactum calor acutus percipitur, & satis mordax, quamvis transacto tempore brevissimo non soleat percipi tanta acuties, & mordacitas; igitur earum calor ob tenuitatem humoris biliosi facilè à temperie manus pulsantis vincitur.

SCHOLIA.

PER calorem extraneum manet iam definita febris ex Avicena; tamen dictum est, quod essentia eius consistit in calore ultimato; verum non desunt Professores asserentes non consistere essentiam febris in calore; sed in perturbata sanguinis mixtione; hoc est in perversa, ac irregulari commotione, & agitatione partium massam sanguinis componentium;

tium; unde calor sequitur prętet naturam.

Evidentissimum est, motui inordinato sanguinis sequi calorem, quem Doctores contrariæ opinionis asserunt esse simpthomaticum, & non essentialem febris, velut sitis, capitis dolor, & alia, quæ sunt febris accidentia; ob idque Uvilis febrem definivit ita: *Est motus inordinatus sanguinis, eiusque nimia effervescentia cum calore, & siti aliisque prætereà simpthomatibus, quibus æconomia naturalis variè perturbatur.*

Prædicta doctrina satis vetusta est; igitur Galenus in lib. de Histor. Philosoph. dicit: essentiam febris in perturbato sanguinis motu consistere, & infertur ex sequenti definitione: *Febris est motus sanguinis, per conceptacula spiritus subintrantis, & est velut turbatio in sanguine à spiritu suscitata*: ergo si non turbatur sanguinis mixtio, hoc est, non commoventur irregulariter particulæ eius massam componentes, nullo modo sequi potest calor auctus, qui febrilis vocatur: quamvis in illo essentia febris non consistat: idcirco Pompeius Saccus in cap. 3. Irid. Febr. ad hoc intentum dixit: *Et ita verum est in febre calorem cordis augeri, in eo tamen non consistere essentiam febris, sed esse quid consequens, ad effervescentiam inordinatam sanguinis, quæ est essentia febris, cum sit prior calore cordis.*

Quidquid dicant Authores, qui prohibent febris essentiam consistere in calore, imitando sequentem negationem Doctissimi Pompeij, quam in citato loco refert: *Nego tamen, iuxta recentiorum placita febrem primario in huius caloris accensione consistere.* Non obstat contra hanc sententiam Galeni Commentar. 1. ad lib. 6. de Morb. vulgar. *Febres tactu deprehenduntur, ut sapores gustatu.* Ex qua infertur, quod febris essentia consistit tàm in motu sanguinis inordinato, quàm in accensione caloris præternaturam; quia statim ac turbata est sanguinis mixtio, seu auctus eius motus, calor præter naturam augetur: ergo talis qualis fuerit prædictus motus, talis erit calor febrilis; sed per tactum deprehenditur motus inordinatus, & talis calor, quin Medicus evidenter agnoscat tempus in quo prius fit motus inordinatus sanguinis, ad hoc, ut valeat dicere: hoc est secundarium tempus in quo fit calor, ut affirmare possit calorem esse quid consequens ad inordinatum sanguinis motum: ergo verissimè Discipuli Galeni, & Avicenæ sequaces, valent affir-

mare essentiam febris consistere in calore præter naturam ultimato; quia quando dicunt in calore, debet intelligi in calore, & motu; igitur rectè sciunt non dari calorem absente motu.

Ad negandum, quod febris essentia consistat in calore aliqui occurrunt ad sacram ancoram febrium Algidarum, seu frigidarum, quarum essentiam asserunt consistere in frigore: ergo si ita est, sine dubio est mala definitio Avicenæ, & in gravissimum errorem incidunt Authores, qui dicunt febris essentiam in calore ultimato consistere.

Est verum dari febres Algidas in quibus ex sententia multorum Patronum nullus calor sentitur per totum tempus accessionis, sed frigus tantum. Patroni Medicorum ita opinantium sunt Ioannes Doleus, Franciscus Sylvius de Leboe, &c. Verum enim inter illos famigeratissimus est Michael Ettmulerus, qui apud hunc assertum sequentibus verbis loquitur: *Nec rarum est febres intermittentes solo frigore, & aliquali rigore statis temporibus invadere, sine eo ut nullum, vel levissimum vestigium æstus, superveniat.*

Quidquid dicant tàm Sapientes Doctores, & Author tàm Famigeratissimus in eius Collegio Practico; & quod Belgæ tàm frequenter experiantur prædictas Algidas febres, nihil obstat, nulliusque momenti est ad obnebullandam sententiam nostram circa calorem, in quo essentia febris consistit: Hoc opus, hic labor: Ettmulerus dixit, ut nullum, vel levissimum vestigium æstus superveniat: ergo si vestigium caloris apparet, quamvis levissimum, iam falsificatur fundamentum contra calorem, essentiam febris: & ut experiantur, quod laborant in vanum acerrimi hostes prædictæ definitionis Avicenæ, enodabo nullam dari febrem sine calore extraneo, accenso in corde.

Evolvant Pandectas Caroli Musitani, Galeni, & Galenicorum maximus hostis, & in tomo primo, lib. unic. cap. 7. ad nostrum intentum palam dicit: *Hunc morbum, quem febrem appellant nos definimus, quod sit motus cordis, & partium, sibi continuarum à materia præter naturam in corpore producta, depravatus, calorem naturalem aliquando, usque ad frigoris sensus imminuens, aliquando usque ad igneum gradum adaugens*: ergo ex eo quod nullus, aut exiguus calor persentiatur in prædictis Algidis febribus, non probatur caloris in existentia; quia in eis, sensibus occultatur calor, non quia deficit, sed quia

quia minuitur. Loquamur, ut Scholæ nostræ celebratissimæ solent, & postponamus vulgi calumnias, utamurque è verbis *materialiter*, & *formaliter*: Materialiter, febris est calor extraneus accensus in corde: Formaliter, est febris calida cordis intemperies; & ideò Galenus dixit in loco à me iam citato, febrilem intemperantiam esse excessum in caloris abundantia: ergo talis qualis fuerit in statu præternaturali motus cordis, talis erit in eo caloris accensio, seu talis erit calida intemperies cordis. Et ultimò asserendum est quod in febricitantibus percipitur plus, minusvè caloris, iuxta maiorem, vel minorem spirituum exspansionem; & quando minima est, nullus, vel levissimus calor sentitur.

CAPUT III.

DE TEMPORIBUS morborum.

PRius oportet scire, quid sit morbi tempus, & unde desumatur: Tempus morbi, *est tempus in quo observatur notabilis morbi mutatio.* Sumitur morbi mutatio pro diversa activitate morbificæ causæ in corpus, & è contrà, quæ ulterius dignoscitur ex intensione, & remissione simpthomatum.

Morborum tempora, vel sunt universalia, quibus includitur decursus totius morbi, vel particularia, quæ circunscribuntur paroxismi periodo. Utraque hæc tempora sunt quatuor: primum vocatur principium. Secundum dicitur augmentum. Tertium appellatur status, & quartum dicitur declinatio.

Universale morbi principium est, quando morbus agere incipit, sic ut actiones necdum ita multum lædantur; & tempus istud vocatur cruditatis tempus; quia nullum vestigium coctionis materiæ morbificæ apparet; quare Avicena in lib. 4. Fen. I. ita definivít initium morbi: *Et principium quidem est hora, in qua calor naturalis præfocatur à materia ipsa submergente in membro, & est hora, in qua non apparet digestionis, aut diversitatis eius contrariæ digestioni vestigium.*

Augmentum, seu universale morbi incrementum est, *quando simpthomata in morbo ingravescunt, & ille non summè lædit actiones; sed in isto tempore in morbo sanabili incipiunt apparere coctionis signa.* Verum istud tamen Avicena his verbis notavit: *Et augmentum quidem est hora, in qua commovetur caliditas innata ad resistendum materiei motu manifesto, aut signa digestioni contraria.*

Status, vigor, seu summum morbi, *est quando iste maximè lædit actiones taliter, quod neque augetur, neque diminuitur*. Hoc est tempus in quo invenitur maior conatus naturæ ad morbum vincendum; & idcirco appellatur universalis status hora pugnæ ad victoriam. Ista est Avicenæ doctrina, quæ infertur ex verbis sequentibus, quæ in citato libro inveniuntur: *Et status est hora, in qua vehemens est pugna inter naturam, & materiam, & apparet victoria earum ambarum super aliam, & est hora pugnæ.*

Declinatio universalis morbi, *est quando iam morbus non amplius ita lædit actiones, quia simpthomata diminuuntur, hoc est, quando magnitudo simpthomatum iam cessavit*: ita in lib. de Totius morbi temporibus, cap. 3. dixit Galenus loquendo de morborum declinatione: *In qua quidem, & simpthomatum magnitudo, & humorum copia cessavit.*

Quia in præsenti capite attinet paroxismus, periodus, & typus, scire oportet quid sint: Paroxismus autem, *est exacerbatio, quæ per vices fit in morbis.* Ita paroxismus febris tertianæ, est illud spatium cuiusque tertiæ diei, quo febris exacerbatur, habetque illud verè suum initium, augmentum, statum, & declinationem, secundum febris excandentiæ gradum. Unde infertur, quod tempus particulare morbi, est quod distinguit paroxismi decursum.

Periodus, *est tempus exacerbationis, & remissionis in aliquibus morbis.* Illi morbi dicuntur à Medicis servare suam periodum, qui statis temporibus regrediuntur, v. g. qui quotidie, ut quotidiana febris; qui singulo die tertio, ut febris tertiana; & qui singulo die quarto, ut quartana. Et ratione asignata nos dicimus morbum servare periodum tertianariam, quartanariam, &c.

Typus, *est ipse ordo intensionum, & remissionum.* Ita dicimus morbum servare suum typum, quando eius tempus intensionis, & remissionis ordinatè succedit. Notatur, quod non omnes morbi habent periodum, & typum; habent aliqui, sed evidentiùs intermittentes febres; istud non experimur in Paralysi, in Atrophia, & alijs, quia continenter affligunt.

SCHOLIA.

MOrbi principium vocat vulgus diem primum, vel horam, in qua morbum sentit; sed apud nos illud tempus est divisibile etiam in plures dies, saltèm in morbis maioris du-

durationis; & ideò celebratissimus Coo ad nostrum intentum scripsit in lib. 2. de Vict. ration. sequentem admonitionem: *Principium morbi non pro primo insulto eiusdem, sed pro tempore latitudinem habente*, & quia Galenus enodavit prædictam sententiam in lib. de Totius morbi temporibus licet palam facere eius verba: *Principium morbi non primæ accessionis impetum, sed longum magis tempus esse.*

Oportet scire, quod in omni morbo absolutè habentur illa quatuor tempora, sive ad vitam tendat morbus, sive ad mortem, sive medicamentis opugnetur, sive non; solent tamen tempora illa esse maxime inæqualia, quia unus morbus totalis cælerius totum suum cursum, & consequenter universalia sua tempora absolvit, quam alius, præsertim si benè, vel malè illi medeatur. Tamen vulgariter loquendo de morbi tempore, hoc est illud metiendo secundum consuetam huius, vel illius morbi durationem, possemus dicere illa quatuor tempora in omni morbo non haberi; sed aliquos ægros in principio, in augmento; vel in statu mori: alios vero à morbo liberari medicamentis in principio, vel incremento exhibitis.

Animadvertendum est, quod est veracissima illa doctrina Galeni, quod nullus æger moritur in universali declinatione, si credendum est rationi, & experientiæ. Verum nemo moritur in declinatione universali morbi, saltèm ab eo morbo, cuius ea est declinatio; quia morbi causa tunc iam est devicta, aut expulsa: posset tamen in illo adhuc mori ex alio morbo coniuncto, vel superveniente, & idcirco dixit doctissimè Hieremias Triberius in Comentar. Aphor. Hyppoc. *Licet morbus ad sanitatem expectet, tamen aliquando ratione alterius materiæ, quæ corrumpitur, exasperantur.* Etiam posset æger mori in declinatione universali ex defectu requisitorum ad vitam, ut in senibus experimur.

Memor estò verborum illorum Galeni, quæ scripsit in lib. 3. de Crisibus: *In declinatione vero propter virium imbecilitatem moriuntur.* Et prima fronte videtur, quod ex prædictis verbis infertur Antinomia Galeni; sed non verum est; quia Magister noster, quando dixit nullum ægrum posse mori in declinatione, si experientiæ credimus, tunc locutus fuit de universali declinatione morborum, & quando dixit quod ægrotantes moriuntur in declinatione propter imbecilitatem vi-

virium, tantum loquitur de particulari declinatione; prænoſcendo, quod tempora particularia non habentur in omnibus morbis, ſed tantum in illis, qui per paroxiſmos affligunt, ut tertiana, &c. Evidentiſsima ratio eſt Medico tantum experto; igitur iſte benè ſcit morbos omnes ſalutares, plerumque percurrere quatuor tempora univerſalia; ſicut læthales minimè pervenire ad veram, & debitam declinationem univerſalem: ergo ſtat optimè, quod non ſit Antinomia ſupra ſcripta animadverſio Galeni.

CAPUT IV.

DE MORBI CAUSIS, earumque differentijs.

CAuſa morbifica, *eſt res præter naturam, quæ quocumque modo confert ad conſtitutionē morbi, morbumque excitat.* Cauſæ morborum ſunt tres: *Primitivæ, antecedentes*, & *coniunctæ*. *Primitivæ, externæ*, ſeu *prochatarticæ* dicuntur illæ, quæ ſunt evidentes, & ſine coniectura cognoſcibiles, quia ab extrinſecis proveniunt: Ponamus exemplum in Bubone: nam Bubo producens febrem diariam dicitur cauſa procatharticа talis febris, quia ſine coniectura evidenter cognoſcitur.

Cauſæ antecedentes, ſeu *internæ* ſunt diſpoſitiones præter naturam præcedentes intra corpus, & illæ influunt in effectum; ut obſtructio jecoris; retentio evacuationis menſtrualis, &c. *Cauſæ coniunctæ* ſunt, quæ in ipſis partibus affectis exiſtunt, vel ſunt partes conſervativæ effectuum, quoad eſſe exiſtentiæ, ſeu à quibus continenter dependent morbi, v. g. ſanguis contentus in tunica adnata cauſans optalmiam dicitur cauſa coniuncta. Pituita impacta in cerebro cauſans apoplexiam, cauſa coniuncta vocatur, & ſic de alijs.

Scire licet, quæ ſint cauſæ morbi calidi, frigidi, ſicci, & humidi. Plures ſunt cauſæ morbi calidi, ut *motus, putredo, animi paſsiones, vicinia rei calidæ, obſtructio, & aſſumptio alimentorum calefacientium. Motus* eſt cauſa prædicti morbi, quia auget calorem, & idcirco calor febrilis eſt affectus turbati, & inordinati motus ſanguinis. *Animi patemata* etiam ſunt cauſa morbi calidi: pono exemplum in triſtitia, quæ febrem ſolet cauſare: Si ad iram attenditur, quæ inter omnes animi paſsiones ferociſsima eſt, conſtat experientia, quod inducit calorem, & ſanguinis effervеſcentiam circa cor, & patet ex cap. 9. lib. 2. de Sanit. tuend. ubi

ubi Princeps Græcorum, Galenus, animadvertit. Demonstratur tamen, quod ira sit causa calidi morbi, si memores fuerint, quod ex ira produci solet quædam species diariæ febris, quæ morbus calidus est; & ut non sequatur febris, vel dolor ingens calidus capitis ex præcedente ira necessariò requiritur, ut solvatur alvus, & in solutione illa evaquetur aliquid materiæ biliosæ.

Tamen est causa morbi calidi *vicinia rei calidæ*, quæ tripliciter contingit; quia omnia agentia calida approximata calorem communicant virtualiter, potentialiter, & formaliter: Virtualiter, ut lux, & aer, potentialiter, ut piper, piretrum, &c. formaliter, ut ignis.

Calidum alimentum etiam dicitur esse causam morbi calidi; quia assumptum valet communicare calorem, quem continet; & idcirco ex illo generantur humores calidi, & deprabati, ut bilis vitelina, porracea, &c. unde oritur morbus calidus, v. g. febris tertiana ex deprabata natura humorum.

Verum tamen est causa morbi calidi *obstructio*; quia spiritus vitales retinentur ratione obstructionis, & transpiratio, quæ continuò fit per cutis porositates, impeditur, & tunc habemus iam in obstructione viam compendiariam ad putredinem, & idcirco Magister noster Galenus notavit in eius Methodo, quod ea sunt apta putrefieri, quæ sunt calida, & humida, & in locis calidis, & humidis habitant, ac prohibitam eventilationem obtinent.

Nemo negabit, quod putredo est causa morbi calidi; quatenus partes igneæ, & aereæ separatæ, & deunitæ per putredinem à frigidis, determinant rei putrescentis formam ad eius productionem; quia calor nativus destruitur, dum extraneus calor, in quo essentia calidi morbi consistit, agit in eas partes, quæ propter humiditatem ad putredinem sunt dispositæ.

Quisque Medicorum scit, sex esse causas morbi frigidi: Prima videlicet *propinquitas frigidarum rerum*: Secunda est *quantitas, & qualitas alimentorum, & potionum frigidarum*, de quibus in nostra Hispania invenitur nimius abusus; quia in usu deprabato est asiduitas aquæ, & aliarum potionum nivæ infrigiditarum: Tertia est *constipatio*, quæ cum nimia sit, ex defectu ventilationis spiritus extinguntur, & frigiditas accidit. Quarta est *raritas* dum nimia est: nam ex nimia corporis rarefactione, resolvuntur

spi-

ſpiritus, & calor nativus, taliter ut corpus contrahat frigidnm morbum. Quinta cauſa eſt *motus excedens*; quia ex immoderato exercitio, ſequitur nimia raritas, & ex illa oritur reſolutio caloris: ergo ex diſsipatione calidæ cauſæ, præciſsè ad eius defectum debet ſupervenire frigiditas, eamque aſſequi morbum frigidum. Cauſa ſexta eſt *nimia quies*; quia ex ſedentaria vita enervatur nativus calor, & ſtupidi fiunt ſpiritus ob retardatum circularem ſanguinis motum.

Patentèr fit, quod cauſæ morbi humidi ſunt quatuor: prima, ſcilicet, eſt *nimius uſus alimentorum humidorum*: Secunda eſt *vicinia rei humidæ*; & idcirco ferè omnes, qui in locis humidis, & circa flumina magna habitant, corripiuntur cachexia, leucoflegmatica, & alijs morbis humidis: Tertia, *materiæ humidæ magna converſatio*, ut experimur in natatoribus, & in Piſcatoribus, & in illis, qui frequentiſsimè utuntur Balneis aquarum dulcium: Verum iſti incidunt in Hydropem, morbum humidum: Quarta eſt *otium*, ſeu *quies nimia*; obidque ſegnes, quia à labore effugiunt, quandocumque eorum corpora nimiam humiditatem contrahunt; ob eamque in morbum humidum incidunt.

Iam Princeps Coo munificè in lib. 2. de Diet. ita dixit: *Cum corpus non fuerit laboribus exercitatum, neceſſe eſt carnem humidam eſſe ad eum locum, ad quem non eſt aſſuetum ſe laboribus exerceri.*

Quatuor ſunt porrò cauſæ morbi ſicci; prima eſt *uſus alimentorum, quæ facultatem habent ſiccandi corpus*: Secunda eſt *vicinia rei calidæ nimis*; quia per nimium calorem reſolvitur noſtra humida ſubſtantia, ut experimur in coliquante febre, ubi intenſione, vel ineſione reſolvitur talis ſubſtantia ſenſibiliter, aut inſenſibiliter ſine evaquatione manifeſta: Tertia cauſa *reducitur ad res non naturales*, ut nimiæ vigiliæ, ſiccæ conſtitutiones aeris ambientis, motus localis nimius, defectus alimenti, &c. quia ſenſim ſiccatur corpus, & ad morbum ſiccum contrahendum diſponitur: Quarta eſt *nimia evaquatio*, ſive fiat per ulcus magnum externum, aut internum; ſive fiat per coitum, ſive per inſenſibilem tranſpirationem, ſive per ſenſibilem, ut in profuſis ſudoribus, tàm diurnis, quàm nocturnis contingit: obidque egregiè in lib. citat. de Diet. ſequentem animadverſionem ſcripſit: *Sudores enim abeuntes ſiccant, & attenuant, humore ex corpore deficiente.*

SCHO-

SCHOLIA.

CErtifsimum eſt morbificam cauſam eſſe rem, quæ materiali, vel immateriali ſuo concurſu perturbat animalem œconomiam, & ſtatum eius ſecundum naturam: ex hoc infertur, quod morborum cauſæ conſiderandæ ſunt immateriales, & materiales; immateriales, ut varia animi Patemata, ſive affectus animi, qui pro diverſa ſua indole varias anomalias cauſantur in œconomia animali. Ponamus exemplum in ira: iſte furor brevis excitat inſignem ebullitionem humorum. Pulſus cordis augetur, vaſa ſanguifera inflantur, & tumefiunt, oculi fulgent; in quibuſdam bilis efunditur in inteſtina, vel vomitus bilioſus, vel Diarrhea excipit. Ob hanc igitur nimiam commotionem gravia ſæpius mala ſequuntur, ut epilepſia, convulſiones, febres bilioſæ, Hemorragiæ, exacervatio, aut reſuſcitatio Podagræ, doloris nephritici, &c.

Materiales cauſæ morborum ſunt ſanguis in quantitate pecans, vel in defectu, vel in ſubſtantia, vel in motu, & in cacochimia; Bilis etiam, Pituita, Limpha, flatus, &c. Verum talis materialis cauſa, vel eſt antecedens, vel coniuncta, ſeu continens, ut iam dictum manet: antecedens dicitur, quia denotat præviam diſpoſitionem ad varios morbos. Continens, quia in actu, & continuò lædit, propter id quod hæret in ipſa parte affecta.

Aliqui claritatis gratia dividunt materialem cauſam in remotam, & proximam; & remotam cauſam dividunt, in eam, quæ antecedens dicitur, & in externam, quæ primitiva, aut procathartica vocatur, & ſicut remota interna conſiſtit in vitioſis humoribus in corpore exiſtentibus, ita externa conſiſtit in rebus extrà nos poſitis, ut ea quæ contundunt, vulnerant, vel noſtrum corpus afficiunt alio modo fortuito.

Proxima cauſa dicitur illa, inter quam, & morbum nulla alia cauſa intercedit: Verum eſt, quod in tantum nominatur proxima, ſeu coniuncta, in quantum ea poſita, ponitur morbus; ſed non eſt tam evidēs, quod ea ſublata morbus auferatur; quia conſtat experientia, quod aliquoties morbus ſubſiſtit ablata cauſa; v. g. poſita cauſa vulnerante, ponitur morbus, ſed manet tamen vulnus ea ſublata. Tamen contrarium in praxi obſervatur, igitur poſita cauſa ponitur morbus, & iſte tollitur, illa ſublata; & tunc diſtintionis cauſa apelatur

causa continens. Ponamus exemplum in calculo: posito calculo in meatu urinario, ponitur obstructio; sed hæc tolitur etiam sublato calculo.

Quisque animadvertat omnem morbum habere causam continentem, scilicèt, suam proximam, quæ nulli deest, sed non omnis antecedentem habet causam, quia non est ille, qui causam internam non habet, sed merè ab externis causis pendet, ut vulnus, fractura, &c. omnis verò morbus habet etiam causam suam procatharticam, cum in omni saltem ultimatè deprehendatur causa aliqua externa, à qua proveniat, eaque uti evidens cuique est: & idcircò plurimi Practicorum melioris notæ monent practicantes, ut ægros suos diligenter examinent circa cognitionem causæ procatharticæ, quæ internam (quæ quieta, & occulta erat) provocavit ad actum, & morbosam fecit.

CAPUT V.

DE PLENITUDINE, seu Plethora.

P*Lenitudo, est redundantia solius sanguinis, aut reliquorum humorum sanguini commixtorum.* Particula *redundantia* ponitur loco generis, prout comprehendi reliquas redundantias, videlicèt redundantiam cibi, quæ dicitur sacietas, & redundantiam humoris cacochimi, quæ vocatur cacochimia; & per illam particulam *sanguinis* difert à sacietate, & à cacochimia: quia redundantia, de qua in præsenti loquimur, idem est ac sanguinis abundantia ordinariam, & debitam proportionem excedens, atque ansam præbens multis morbis.

Dividitur plenitudo ab aliquibus in plethoram sinceram, & complicatam: *Sincera*, seu *simplex*, est redundantia solius sanguinis, aut reliquorum humorum cum sanguine comixtorum iuxta mediocritatem, hoc est, cum debita proportione. Plenitudo *complicata*, seu cum cacochimia adiuncta, est ubi, vel notabilis spisitudo adest in sanguine, vel ei accedit alia humorum discrasia. Communitèr talis plethora appellatur in Scholis plenitudo secundum quid, quam asserunt esse redundantiam alicuius solius humoris sanguini commixti.

Secundum speciem humoris redundantis dantur diversæ species talis Plenitudinis complicatæ, seu secundum quid, quæ tripliciter considerari debet: prima vocatur Plenitudo secundum quid *Biliosa*, si sanguini bilis commixta sit, redun-

dan-

dando. Secunda dicitur *Pituitosa*, quando redundando pituita ſanguini commixcetur. Tertia appellaturPlethora ſecũdum quid *melancholica*, dùm melancholia redudans eſt commixta ſanguini ſimul redundanti.

Non ignorare licèt, quod datur Plenitudo univerſalis, & particularis: *Univerſalis* eſt, quando redundat ſanguis in omnibus ſanguiferis vaſibus corporis. Plethora *particularis* eſt redundantia ſanguinis in vaſculis alicuius partis, vel alicuius regionis, aut corporis cavitatis, ut videtur in pleuræ inflammatione, in uteri inflammatione, &c.

Plenitudo univerſalis tripliciter conſiderari debet, videlicèt, quoad vaſa, quoad vires, & mixta: *Quoad vaſa*, eſt redundantia ſolius ſanguinis, vel reliquorum humorum ſanguini commixtorum, pluſquam vaſa in eorum cavitatibus continere poſſunt: *Quoad vires*, eſt redundantia ſanguinis, & reliquorum humorum pluſquam vires ferre poſſunt, ſubſtinere, & perficere. Plethora *Mixta*, eſt redundantia ſanguinis, & reliquorum humorum, quæ in eodem tempore reperitur reſpectu vaſorum ſanguineorum, & virium.

Prædicta ultima differentia, videlicèt *Plenitudo mixta* ſumpſit initium ab illâ quæſtione, quæ ventilatur in univerſitatibus: Utrùm Plenitudo quoad vires, & quoad vaſa ſimul ſanguini ſupervenire poſsint? Eſt communis opinio, quod poſſunt ſimul ſupervenire, & probatur: ſimul ab eodem ſanguine repleri vaſa ſanguifera, & vires opprimi puſſunt; ſed Plethora, quoad vaſa in repletione vaſorum conſiſtit, & quoad vires in virium vitalium oppreſsione: ergo Plenitudo quoad vires, & quoad vaſa poſſunt ſimul reperiri.

Amplius probatur: Ratione plenitudinis quoad vaſa diſtenduntur Venæ, & Arteriæ; ſed ratione plenitudinis quoad vaſa neceſſum eſt, quod ſimul opprimantur vires vitales: ergo neceſſe eſt cum plenitudine quoad vaſa, plenitudinem quoad vires reperiri: ergo ſtat optime diviſa univerſalis plenitudo in Plethoram quoad vaſa, quoad vires, & mixtam.

SCHOLIA.

PLethora, ſeu plenitudo dictum iam manet, quod eſt redundantia, hoc eſt, nimia quantitas ſanguinis, ſed ut clarius intelligentiæ detur, ſcire licèt quod talis nimia quantitas eſt maſſæ ſanguinariæ cum debita proportione humorum in illa. Cum debita proportione,

&c. dico, quia sine ista conditione non est Plethora, sed cacochimia: illud *nimia* importat respectum ad hunc, vel illum, cuius est massa sanguinea.

Quia plenitudo est fundamentum plerorum, & præcipuorum verborum, oportet scire, quod Plethora alia est vera, & propria, ut plenitudo quoad vasa. Alia est impropria, quæ primario á sanguine non dependet, sed tantum ab eius vasibus; istud demonstratur ita: quando ratione frigoris cutis corrugatur, & contrahuntur sanguifera vasa, tunc propter hanc contractionem habent vasa angustia spatia, & tunc non movetur proportionato motu, & spisescit; unde succedunt essentiales febres, & morbi inflamatorij, ut pleuritis, peripneumonia, &c.

Verum tamen datur alia species plenitudinis, quæ vocatur apparens, seu minus propria, & est illa, quæ experitur in vasibus sanguiferis eius, qui febre corripitur, aut alia simili efervescentia; quia vasa distendere facit turgescentia sanguinis.

Aliam speciem Plethoræ debemus considerare, quæ commota appellatur, cui, ut plurimum sequuntur congestiones ad loca hemorragijs destinata, quæ tamen facile solvuntur hemorragia subsequente. Porrò si cogestiones factæ circa loca hemorragica non solvuntur, facilè stagnationes degenerant in plenarias stasses, & corruptiones, quas interdum quidem præcavet natura per febres, non raró tamen instituere cogitur actum inflammatorium, ut id, quod actu corruptum est, sensim eluatur per fortiorem pulsum sanguinis.

CAPUT VI.

DE CACOCHIMIA.

C*Acochimia est redundantia alterius humoris à commixtione sanguinis separati, vel intra eius consortium supernatantis.* Cacochimia duplex est: prima *propriè talis* dicitur, dùm humores omninò separati existunt à sanguine circulante. Secunda vocatur *improprie talis*, & est, quando humores à sanguine separati sunt, sed tamen supernatant sanguini.

Verum tamen, ut fiat genuina divisio cacochimiæ attendere debemus ad humoralem substantiam, & ad locum, in quo talis cacochimia continetur. Ratione substantiæ humoralis est duplex: Benigna, & maligna; *benigna* cacochimia est illa, quæ caret deleterea qualitate. Ista species cacochi-

miæ sexies consideratur: prima videlicèt dicitur *Biliosa*, seu *Amara*, quæ à bile redundante provenit, ut occurrit in morbo regio; secunda vocatur *Pituitosa*, seu *insipida*, quæ ducit originem à redundante pituita. Tertia dicitur *Melancholica*, seu acida, quæ provenit à Melancholia redundante, ut contingit in Hypochondriaca affectione, &c. Quarta, dicitur *Salsa*, quia ducit originem à salsedine pituitæ, vel seri salsi, quod observamus in scabie, & in alijs affectionibus cutaneis pruriginosis. Quinta appellatur *Mucosa*, quam speciem observamus in affectionibus, quæ catarrhales vocantur, &c. Sexta nominatur *Serosa*, aquosa, seu limphatica, quæ provenit à sero redundante, ut experimur in febribus limphaticis, in hydrocephalo, in ascite, & in alijs speciebus particularibus Hydropis ab aqua procedentis. *Maligna* cacochimia dicitur, dùm in materia humorali subijcitur aliqua deleteria qualitas, ut observatur in malignis febribus, in lepra, in lue venerea, &c.

Ratione loci, in quo cacochimia continetur, capiuntur tres species duntaxàt. *Prima* dicitur cacochimia primæ regionis, quando cacochimi humores in prima regione continentur, & ibi geniti sunt, ut observatur in Melancholia hypochondriaca, quæ fit ex cacochimia succorum, qui generantur in ventriculo, & in alijs partibus primam regionem constituentibus: idem etiam observatur in alijs morbis, & in plurimis febribus tam continuis, quam intermitentibus. *Secunda* vocatur cacochimia secundæ regionis, & est quando humores cacochimi redundant intra vasa sanguifera maiora, & minora, supernatando; & quia non omnes dicti humores propter nimiam quantitatem commixcentur cum sanguine, ideo ista cacochimia vocatur supernatantia. *Tertia* appellatur cacochimia tertiæ regionis, quando succi, seu humores occupant regionem tertiam nostri corporis, ut videtur in malignis febribus, in quibus causa humoralis maligna in tertia regione existit, tamen experimur in Ictero flavo, in cachexia, &c.

Restat scire, quod cacochimia producitur, vel à causis internis, vel ab externis: *ab internis* generatur, quando adest intemperies aliqua, sive calida, sive frigida in ventriculo, vel in aliqua parte, in qua reperitur germen, à quo per cogestionem generatur cacochimia frigida, vel calida. *Ab exter-*

ternis causis etiam producitur, quæ quinque sunt. *Prima* est, si accipiantur prava alimenta, & bibatur aqua palustris, & non transparens, & minimè fœtida, & retenta, sed fluens, ut fontana, fluvialisque. *Secunda*, si post pastum immoderatè corpus exerceatur, quia tunc antè perfectam coctionem alimentum permeat in partes. *Tertia* est immodica vigilia, quæ, deficiente proportionato somno, adiuvante coctioni, coadiuvat, ut ante tempus fiat eadem distributio eiusdem alimenti. *Quarta* sunt animi Patemata immodica, ut ira, tristitia, &c. *Quinta*, & ultima causa externa est frequens usus alimentorum, quæ facilè corrumpuntur intra ventriculum; v. g. fructus horarij, cepæ, nuces, porri, &c.

SCHOLIA.

DIcunt aliqui, quod cacochimia est mala qualitas massæ sanguinariæ, sed malè dictum est, quia constituitur cacochimia ex abundantia humorum qualitate peccantium: istud evidentissimum est, igitur non tantum habetur cacochimia ex mala qualitate alicuius humoris; sed etiam ex mala quantitate alicuius á sanguine distincti; nam tũc tota massa non censetur suam qualitatem requisitã habere, seu temperiem, atque sic cacochimia est multiplex, prout diversi humores à sanguine distincti posũt in sanguinea massa sua quantitate peccare, vel prout omnes etiam ipse sanguis possunt qualitate peccare.

Oportet non ignorare distinctionem cacochimiæ à cacochilia, ne confundantur Practicantes, & isti iudicent idem esse Cacochimiam, & cacochiliam, ut indebitè sic aliqui tenent: verum debemus asserere, quod *Cacochilia* est depravata chilificatio, ratione cuius nec sanguificatio bona sequitur, neque nutritio debitè fit; & propter id diversi morbi oriuntur; v. g. *febris mesenterica*, *colicus dolor*, *&c.*

Animadvertendum est, quod cacochimia *improprie talis* est supernatantia, illa, quæ est terminus á quo turgentiæ; & licèt non ignorare supernatantiæ essentiam, quæ nihil aliud est quam *redundantia alicuius humoris, qui propter nimiam quantitatem, vel qualitatem supernatat in sanguine, sicut oleum supernatat in aqua, & butirum in lacte.*

Oportet notare, quod differentiæ cacochimiæ, præscriptæ ritè numeratæ sunt; quia tot sunt species cacochimiæ quot humores sunt possibiles separari à sanguinis commixtione. Et

ad

ad integram cognitionem huius veritatis ſcire reſtat modos, quibus fit ſeparatio humoris cacochimi à commixtione ſanguinis.

Quatuor ſunt modi, quibus humores à commixtione ſanguinis ſeparantur, ut cacochimi fiant. *Primus modus* eſt, dum generatur aliquis humor in tanta quantitate, talitèr ut totus non poſsit ſanguini commixceri: pono exemplum in hydrope, in qua excedit pituita intra venas; & quamvis eius aliqua pars fiat maſſæ ſanguinariæ pars, nihilominùs maior pars pituitæ ſupernatans redundat, & ideo ſic ſeparata à ſanguine fit cacochima. *Secundus modus* eſt, quando humor, qui prius erat ſanguini commixtus, poſtea putreſcit, & febrem producendo, tunc natura illum humorem concoquit in nocitivo, ut per iſtam coctionem ſeparetur utile ab inutili, & tunc illud inutile ſeparatum, & in nocitivo coctum, fit cacochimum.

Tertius modus eſt, quando ob nimiam uſtionem humores, qui ſunt intra venas, & ſanguini commixti, tranſeunt ad bilis formam, & in tanta quantitate, ut à ſanguine reprimi non poſſint, & ſic ſuperabundantes, manent intra venas ſeparati, & cocochimi, & in potentia ad turgentiam conſtituendam. *Quartus modus* eſt, quando ob pravam, & venenoſam qualitatem natura intendit humores, ab illa coinquinatos, ſeparare, & tunc natura eos ſeparat ab ipſius commixtione, quia tales humores infectos, vi deleterea, iudicat eſſe omnino ineptos nutritioni, & ideo fiunt cachochimi.

Scire licèt, quod quamvis in prima regione contineatur cacochimia, à qua varia ſimpthomata excitantur, ut vomitus, alvi fluxus, &c. non ſemper talis cacochimia genita fuit in ventriculo; ſed producta fuit in ſecunda regione corporis, & ex illa tranſmititur per venas ad ſtomachum, & inteſtina: iſta animadverſio maximè eſt neceſſaria ad exactam applicationem maiorum auxiliorum; hoc eſt, ad exercendam ſanguinis miſsionem, vel expurgationem.

CAPUT VII.

DE TURGENTIA.

SUpponendum eſt, quod in Medica facultate materia turgentiæ non eſt inanis, & nullius momenti; nec eſt rejicienda ex Scholis, minimèque ex noſtro Regio Prothomedicato Hiſpaniæ; quamvis Turgentia cuidam Licenciato certæ ma-

maioris Universitatis non placeat, & iste hostis noster velit in eius Praxi è Medicorum cætu fugare turgentiam, cacochimiamque.

Turgentia est *vehemens conatus alicuius humoris in corpore redundantis, tendentis in prosecutionem alicuius obiecti à partibus impelentibus eum.* Turgentia duplex est, propria, & impropria; *propria*, quæ manet definita, dividitur in analogam, & obiectivam: Analoga est quando aliquis humor separatus à commixtione sanguinis indeterminatè movetur de parte in partem corporis nostri. *Turgentia obiectiva* est, quando partes irritatæ vehementi conatu intendunt expulsionem humorum acrium, & mordacium eas velicantium. *Turgentia impropria*, quæ vocatur *vergentia, est inclinatio humoris spontanea ad locum expulsionis, duntaxàt versus ventrem inferiorem.*

Tres sunt causæ turgentiæ, videlicèt tenuitas, caliditas, & aliqua qualit. s. Ad hoc ut turgentes humores perpetuò moveantur ad unum locum, sive ad plures est prima causa, & principalissima *tenuitas*; hoc patet, quia tenues humores facilè per corpus moventur, & etiam fluere possunt: aliàs non posset dari turgentia. Secunda causa est *caliditas* humoris, quia ut materia valeat turgere, necessario debet esse calida in actu, igitur ista caliditas est, quæ concitat motum: verum hoc patet, si consideratur, quod motus humorum sistitur refrigerando, quando illi sunt in furioso motu.

Tertia causa est *aliqua qualitas*: porrò ut humores valeant turgere, in illis debet esse qualitas aliqua manifesta, vel occulta: *Manifesta*, ut siccitas calori coniuncta, quia sine his duabus primis qualitatibus non potest in humoribus inveniri acrimonia, & mordacitas simpliciter necessaria ad hoc, ut partes irritentur, & ita valeant expellere eos de parte in partem. *Occulta*, ut maligna, & venenata, quæ quidem qualitas, quamvis sit altioris ordinis, nihilominus in ea reperitur quædam acritudo, & venenosa corrosio mordicativa, ut experimur in succis venenosis corrosivis intra nostrum corpus genitis; qui stimulando glandulas, & fibras nerveas, eficiunt, ut tales humores expellantur indeterminatè ad plures partes; quia una pars velicata materiam turgentem expellit ad aliam partem: & postquam ista pars talem materiam recepit, fuit velicata, statimque transmitit eam ad partem alteram, & sic de reliquis partibus, taliter

ter ut materia furens expellatur, & agitetur per totum corpus, brevissimo tempore; igitur est in continuo motu determinato, aut indeterminato.

SCHOLIA.

PEr turgentiam non solum explicatur dispositio illa, quæ in humoribus viciatis vocatur cacochimia; sed per alia nomina synonima duntaxàt per turgorem, orgasmum, & furorem; ratione cuius motu effreni, indeterminatoque pelluntur tales humores, cum maximo periculo decumbendi in aliquam partem principem, ut contingit pluries in prima specie tertianæ pernitiosæ, quæ nominatur ob decubitum humoris in aliquod principale membrum.

Animadvertendum est, quod præter bilem, neque pituita, neque melancholia valent turgere, quia in his humoribus non adsunt conditiones, quæ requiruntur ad constituendam turgentiam tam Analogicam, quam obiectivam; istud clarissimè patet, igitur in pituita, & in melancholia non invenitur acrimonia, nec igneus calor, & mordax; nec tenuis substantia, cuius ratione moveri possint de parte in partem; & quamvis aliqui afferant, quod in præcipitatis humoribus acrimonia, & mordacitas inveniri solent, vel propter commixtionem bilis, vel quia ob putredinem specialem in eius progressu contrahunt exactam mordacitatem, ut valeant irritare partes, istud non sufficit ad hoc, ut valeant turgere; quia requiritur tenuis substantia, seu fluxibilitas, quæ est aptitudo, ut partes eos humores expellere possint.

Restat scire bilem non solum turgere, verum etiam sanguinem; ideoque turgentia est duplex ratione materiæ, videlicèt *Biliosa*, & *Sanguinea*, sed cum hac distinctione, quod *Biliosa turgentia* experiatur maxima frequentia, & sanguinea, minori; & ideò Doctissimus Comentator Hypocratis Hieremias Triberius in Coment. aphor. 22. lib. 1. dixit: *Bilis frequentissimè turget, deinde sanguis.* Ridicula minimè videtur *turgentia sanguinea*, nisi alicui Novatori scrupuloso, & hosti omnis turgentiæ: redicula non est scienti purgationem non semper esse evacuatorium remedium turgentiæ. Memor esto, sapientissime Licenciate, verborum sequentium, quæ Doctissimus Gallus Lazarus Riverius refert in lib. 17. prax. Medic. sect. 2. cap. 1. de febrib. putrid. cont. pag. mihi 431. *Illud tamen Hypocratis preceptum*

de purgatione in turgentia materiæ, in praxi ordinaria non observatur; sed potius apparente humorum orgasmo ad Phlebotomiam tutius confugimus, sicque faciliùs præcavemus, ne humores commoti irruant in aliquam partem nobilem, qui à medicamento purgante magis exagitati, promptius in eam præcipitari possunt. Et ita scies, illud præceptum Hypocratis de purgatione in turgentiam observandum non esse genericè, sed tantum in biliosa turgentia, à qua adequatè indicatur expurgatio; sicut in turgentia sanguinis, quia venæ sectio indicata est, tutius ad Phlebotomiam confugimus: ergo venia tanti Sapientissimi Licenciati sanguinis missio remedium specificum est in turgentia sanguinis, & idcircò laudatur ad coercendum eius orgasmum, & iracundiam ab Authoribus maioris notæ, quam Licenciatus: valeat pro mille Rodericus à Fonseca, Doctissimus, ac famigeratissimus Lusitanus, qui in coment. prædicti Aphor. Hypoc. pag. mihi 50. ita loquitur: *Propterea materia turgens non solum medicamento educi debet, sed Phlebotomia, quod plerumque fit magis, quam purgationes, quamvis utrumque remedium aliquando conveniat.*

Ultimo scire restat turgentiam impropriam, seu vergentiam, non solum deberè intelligi de illa inclinatione, qnam natura facere solet versus ventrem inferiorem; verum est, quod plurimi Practicorum conantur, vergentiam strictè intelligi per inclinationem humorum biliosorum iuxta inferiorem ventrem; sed non dessunt etiam experti Medici, qui rationabilius iudicant, quod vergentia determinatè non debet sub se comprehendere inclinationem versus ventrem inferiorem; quia dantur plures inclinationes naturæ versus alias partes determinatas, ad hoc ut morbi iudicentur per evacuationes; & idcircò communis consensus Authorum Priscorum, Iuniorumque melioris notæ, docent quod, quando necessum est adiuvare naturam, fiat per illum locum signatum ab ipsa natura, tanquàm commodum, ad hoc, ut expellatur materialis causa; iuxta sequentem sententiam, quam Hypocrates scripsit in lib. 1. aphor. 21. *Quæ ducere oportet, quo maximè vergunt, per loca conferentia, eo ducere.* Huius sententiæ veritas constat ex varijs historijs Hypocraticis, quæ in libris epidemiarum inveniuntnr.

CA-

CAPUT VIII.

DE PECCATIS SANguinis.

SAnguinis peccata ſunt quatuor, videlicèt *quantitatis, ſubſtantiæ, qualitatis, & motus.* Primum peccatum, quod conſiſtit in quantitate, dupliciter conſiderari debet.: *excesſivum, & diminutum*; & hic exceſſus ſanguinis ſequitur nimium uſum alimentorum optimæ nutritionis: tamen ſolet eſſe eius occaſio defectus exercitij, & ſupreſsionis alicuius periodicæ evacutionis ſanguinis, ſivè per nares fiat à natura, ſivè per hemorroidas, ſivè per uterum, &c. Peccatum quantitatis diminutæ eſt, quando in corpore ſanguis non invenitur neceſſarius ad partes alendas, quod contingit ob evacuationes nimias, aut propter exceſſum veneris, aut ob inediam magnam; ratione cuius deffectus extenuatur corpus, & ſolent ſubſequi aliæ affectiones, ut febris, &c.

Secundum peccatum, quod attinet ad ſubſtantiam ſanguininis duobus modis accidit; videlicèt per rarefactionis modum, & per modum ſpiſsitudinis, craſitiei, ſeu viſcoſitatis; peccat ſanguis *in rarefactione* ob cauſas plures occaſionales, ſed frequenter ſuccedit propter abuſum vinorum acrium, ſpirituoſorumque, & ob uſum ciborum cum ſpeciebus piperinis, & acribus conditorum: Huic rarefactioni ſequuntur orgaſmi, & magnæ efferveſcentiæ in ſanguinis maſſa; verum iſtæ eſſe ſolent occaſiones, ut graviora, periculoſioraque mala germinent, videlicèt furioſæ hemorragiæ, cordis palpitatio, hemotoica paſsio, &c. *In ſpiſsitudine*, craſitie, ſeu viſcoſitate ſatis frequenter peccat ſubſtantia ſanguinis, duntaxàt quando à magna frigiditate, á pituita acida, aut ab alio humore auſtero coagulatur; vel quando eius humiditas reſolvitur à nimio calore, quia tunc ſpiſsitudinem contrahit ſanguis ad modum gelatinæ, & ideò Galenus in lib. 2. prognoſt. ſcripſit ſequentem animadverſionem: *Humorum craſities tam à calido, quam à frigido fit.* Nam hic modus peccati non raro producit appoplexiam ſanguineam; & in alijs partibus principalibus alterius regionis graviſsimos morbos, non minoris periculi; quia ſpiſsitudini obſtructiones ſequuntur.

Tertium ſanguinis peccatum dicitur qualitatis; hoc eſt, quando legitima mixtio ſanguinis inquinatur cum varijs impurita-

tibus, ut biliosis, acidis, salinis, &c. Quartum peccatum sanguinis est motus, & eius motus peccat in diminutione, & in excessu; & ut Practicantes agnoscant incommoda, quibus exponitur natura, debent minimè ignorare motum sangninis duplicem esse, scilicèt intestinum, & progresivum; alias morbosas affectiones, quæ oriri possunt ex motus excessu, & diminutione, non agnoscent.

CAPUT IX.

DE PECCATIS ALIORUM humorum præter sanguinem in corpore redundantium.

PEccata pituitæ sunt tria: primum est viscositas; secundum est salsedo, tertium aciditas. *Viscositas pituitæ* oritur ab assumptis alimentis viscidis; à vita sedentaria, hoc est, sine cura, & labore; & à nimio somno. *Peccat salsedine*, cum redditur salsa propter commixtionem alicuius seri salsi, vel alterius substantiæ salsuginosæ. *Peccat aciditate* ob acidum sibi admixtum, & tunc contrahit substantiam instàr vitri fusi, ex qua colica pasio, & affectiones aliæ subsequi solent.

Quinque sunt peccata bilis: *primum* est crasities, quæ oritur à viscidis humoribus salsis & subausteris simul unde in calculos non raro concrescit. *Secundum* peccatum bilis est defectus, & defficit iste humor, quando massę sanguinis non insunt sufficientes particulæ biliosæ; aut dum adest constitutio talis biliariorum pororum occurrentium in hepatis glandulis, ut partes bilis nequeant eos subingredi, sed ante ostia, quasi hæreant; vel quando dictæ particulæ biliosæ, involutæ alijs viscidis humoribus, convenientiam non habent cum poris bilarijs benè alioquin constitutis. Periculo non caret ubi defficit bilis; tum minuitur intestinorum motus peristalticus; tum opus chilificationis non perficitur; tum alvus nimis adstricta redditur, &c.

Tertium bilis peccatum est, nimia eius quantitas; & nimia quantitate peccabit, quoties sanguini insunt plurimæ particulæ oleosæ, & igneæ, ortæ ab assumptis alimentis oleosis igneis, & sulphureis. Tamen periculosum est istud peccatum; quia à nimia bilis copia solito magis stimulatur intestinum, & alvus lubrica redditur, & excrementa nimis citò alimentis, & chilo permixta expelluntur, & ita enervatur corpus. *Quartum* peccatum bilis est vitiosa quali-

litas, quæ occurrit, quoties sanguis corripitur notabili intemperie: sanguis occeanus est nostri corporis; ergo qualis sanguis est, tales debent esse humores, qui á sanguine separantur; & ideò si sanguis fuerit fluidus, & aquosus, talis etiam erit bilis; si viscosus, glutinosus, acris, salsus, aut alio modo sanguis malè mixtus fuerit, necessariò sequestrabitur bilis, viscidior, glutinosior, acrior, salsior, &c. undè evidenter varij morbi sequi debent.

Peccatum quintum bilis est, eius depravatus motus, qui depravatur, quando circulatio eius ritè non procedit, & acrior bilis delata in duodenum intestinum non fertur in inferiora, sed versus superiora, & ideò creat in stomacho incommodá varia, duntaxàt ructus biliosos, ardorem, vomitum biliosum, &c. Vel quando versus inferiora fuit propulsa, sed celeriori motu venarum messeraicarum poros præterlabitur, in intestinis varias excitat tragedias, videlicèt colicum dolorem, diarrheam, dyssenteriam, &c. tandem si eadem vitiosa bilis movetur sursum pariter, atque deorsum, ita ut simul afficiat intestina, & ventriculum, tunc inducit choleram morbum; & pro varia constitutione huius morbosæ bilis superveniunt simpthomata varia, quæ indicant prædictos morbos intestinorum, aut ventriculi.

Peccata limphæ sunt quatuor, scilicèt substantiæ, qualitatis, excessus, & defectus. *Limpha peccat substantia*, dum contrahit viscididatem, vel ab acido admixto, vel propter ipsas caussas augentes viscidam pituitam in corpore. *Peccat qualitate*, dum adest nimis salsa, & acris, quæ sua acredine concitat dolores, convulsiones, & alia mala. *Tertium peccatum* limphæ est excessus, unde oriuntur hydropes, sudores nocturni copiosi, ut experitur in scorbuticis, intertianarijs, quartanarijsque, qui per excessum quantitatis febricitant. *Quarto peccat limpha* ex defectu, unde sanguis incrassatur, & aduritur, corpus attrophicum redditur, puerique tamen fiunt Rachytici.

Saliva, quæ est primarium menstruum chilificationis, peccat viscititate, aquositate, salsedine, aciditate, amaritudine, & alijs quam plurimis vitijs, unde Practicantes Medici veniunt in cognitionem, plurimum necessariam, tam ad inveniendam causam, quam ad præsagiendum, & curandum.

Pancreaticus succus peccat tribus modis, videlicèt in excessu, in defectu, & in qualitate, dum contraxit nimiam aciditatem,

&

& austeritatem, ab acido copioso existentem in sanguine, aut ex abusu alimentorum nimiam aciditatem, & austeritatem habentium; unde morbi diversi producuntur; sed præcipuè in intestinis, in ventriculo, in liene, & in iecore.

SCHOLIA.

SCire oportet, quod omnes humores nostri corporis peccant, *primo* in motu aucto, ut bilis in ira: *secundo* in diminuto motu, ut sanguis in menstruali evacuatione diminuta: *tertio* in abolito motu, ut videmus, quando humores obstruuntur in vasis, seu ductibus: *quarto* in depravato motu, ut bilis in cholera morbo.

Animadvertendum est, quod illæ substantiæ fluidæ, quæ ex sanguine separantur in varijs partibus, depravantur, & peccant, fiuntque aptæ ad hoc, ut varietas morborum sequatur: ergo vana præsumptio est eorum, qui succo nerveo tantum concedunt efficaciam, ut in nostro corpore morbi omnes fiant; sicut ridicula est eorum opinio, qui regidè admittunt pancreatium succum vitiosum, tamquam universalem causam productivam omnium ægritudinum, quas homó patitur: id circò Carolus Musitanus in tom. 3. cap. 6. de pancr. succ. maximo cum fundamento loquitur ita: *Ab hac una sola causa produci existimant non aliter, ac si nulli alij vitiosi humores, aliarum partium vitium geniti, tales morbos unquam producerent.* Et sine dubio sequeretur, quod ridicula foret, & superflua tanta varietas remediorum, igitur contra unam causam tantum unum contrarium valeret: unde iam possent canere sese invenisse universalem Medicinam contra omnes morbos, si eorum causa universalis existit.

CAPUT X.

DE PUTREDINE, ET EIUS differentijs.

QUamvis Philosophus in lib. 4. metheor. dicat, quod *putredo est interitus caloris nativi à calore extraneo agente in humidum*, nihilominus transeo ad enodandam definitionem aliam putredinis, quæ *est separatio humidi à sicco in unoquoque mixto, orta ex debilitate proprij, & naturalis caloris.* Essentia putredinis consistit in prædicta separatione humidi à sicco. Subiectum est mixtum, quod dicitur interire putredine. Causa propria putredinis est caloris naturalis debilitas; & hoc patet: verum pro-

proprium, immediatumque instrumentum mixtionis erat prædictus calor potens passivas qualitates regere: ergo causa proxima putredinis est calor non potens, propter eius enervationem, qualitates passivas regere.

Primo communiter putredo dividitur in totalem, & partialem: *totalis* est, quæ terminatur plena dissolutione humidi à sicco; *partialis* est, quæ non terminatur plena dissolutione prædictarum qualitatum passivarum: nam ante plenam dissolutionem calor residuus agens in humidum, & siccum producit aliam expeciem mixti: ideò docent aliqui talem putredinem partialem liquidis proprie convenire, & sic vinum per putredinem abit in acetum, & chilus in acorem: tamen non raro in alijs rebus contingit, ut plantis, carnibus, caseo, &c. in quibus experientia docet generari vermes per talem speciem putredinis. Ista est communissima opinio; sed contrarium demonstrabit veritas in huius capitis scholijs.

Etiam putredo dupliciter considerari debet, videlicèt *in fieri*, & *in facto*: putredo *in fieri*, quæ vocatur putrescentia, nihil aliud est, quam dispositiones ad ruinam, & rei destructionem. Putredo *in facto*, quæ dicitur putredo in termino, est ultima dispositio, ut corruptio rei introducatur, quæ eius extinctio appellatur cum id, quod ante fuit, non amplius est; sic lignum corruptum esse dicimus, cum non amplius videtur lignum, sed ignis in eius locum subijt; similitèr ovum corruptum esse dicitur, cum non amplius videtur ovum, sed in locum eius subijt pullus galinaceùs.

SCHOLIA.

Illud iam dictum de separatione humidi à sicco, benè dictum est; quia dum siccitas adest, tunc in actu impedimentum putredinis existit; ideò dicitur cum ratione, quod causa putredinis est calor agens in humidum: ob id noster Magister Galenus in lib. 2. meth. med. doctissimè dixit: *Ea enim apta sunt putrefieri, quæ sunt calida, & humida, & in locis calidis, & humidis habitant.*

Quod siccitas putredini sit opposita experientia constat: igitur corpora, quæ habent aptitudinem ad contrahendam putredinem, conservantur, introducendo in eis siccitatem: istud clariter demonstratur in cadaveribus, in quibus siccitas loci, in quo continentur præservat à corruptione, non tantum viginti, aut triginta annos;

sed

sed per spatium unius sæculi etiam videtur in ulceribus, quæ nunquam contrahunt cicatricem, in quantum superflua humiditas separata non sit, & maneat siccitas proporcionata; obidque communis Chyrurgorum consensus cum Galeno in lib. 4. meth. dicit: *Ulcera prius exicantur, quam ad cicatricem perducantur.* Ideò Doctissimi Medici ad corrigendam putredinem malignam, quæ in febribus mali moris accidit, ne irremediabiliter serpat, utuntur quam promptissimè medicamentis non solum refrigerantibus, & alexipharmacis appropriatis; verum etiam quæ habeant vim exicandi, & idcircò acida sive vegetabilia, sive minerabilia, maxima cum utilitate utuntur, quia moderata adstrictione gaudent.

Animadvertendum est, quod illa divisio putredinis *in fieri*, & *in facto* non est vacua; igitur putrescentia non parum ad curationem adiuvat, quia ista, quæ est putredo *in fieri*, est obiectum sanguinis missionis; & ideò cordati Medici cum Galeno, tam prisci, quam modernissimi, & omnes eius Antagonistæ sanguinem mittunt in febre ex sanguine putrescente pendente: sicut putredo in termino, seu *in facto* est purgationis obiectum, quia illa pura cacochimia est, à qua rectè purgandi indicatio sumitur.

Cum veritate refutatur opinio eorum, quia per putredinem asserunt in carnibus, & in vegetabilibus generari vermes, etiamque in nostro corpore per putredinem humorum, & alimentorum gigni lumbricos; quanvis sapientissimus Reverendissimusque Pater Atanasius Kirkerius affirmet: *Verminationem esse animatam putredinem.* Prædicta opinio est incerta; quia nullæ carnes, neque alimenta alia dant vermes, quanvis putrescant; evidentissimum est, si consideremus animalia omnia ex ovis generari, & non ex putredine: gignuntur vermes ex ovis tam muscarum, quam aliorum insectorum exiguorum volitantium, quæ invisibiliter cum aere ingrediuntur poris carnis, etiamque in poris aquæ, vini, lactis, panis, casei, &c. invisibiliter dico: quia sunt tam exigua, ut non incurrant in sensus, quæ ostendi, & demonstrari non possunt, nisi oculus microscopio muniatur.

Ut enerbetur opinio supradicta ponamus experimentum insigne: accipe duo vitra, quorum unum duplò latius est altero, & minori frustulum carnis impone, posteaque claude eius orificium cum linteo, satis den-

ESTAMP. III

FIG. I

Axies ♈

Tauxus ♉

Geminis ♊

Cancex ♋

Leo ♌

Vixgo ♍

Libxa ♎

Scoxpius ♏

Sagitaxius

Capxicoxnius ♑

Aquaxius ≈

Piscis ♓



P. sculp.

ſo: hoc impone vitro maiori, & ampliori, quod cooperiatur linteo ſatis raro, & ſic deponi debes hæc duo vaſa vitrea in loco, ubi adſint muſcæ multæ; & paulòpoſt illæ congregabuntur ad vitra odore illius carnis, & inſidebunt priori tegumento; quæ muſcæ illic infinita ſemina, ſeu ova deponunt, quæ per poros rari lintei decidunt in vitrum amplum, & integumentum minoris vitri; ex quibus ovis poſtea innumeri vermiculi procedunt actione ſolis, & caloris, vermiculi carnis odore trahuntur, & repunt ad minoris vitri integumentum, viam quærendo, qua pervenire poſſent ad eſcam, ad quam non poſſunt ulterius appropinquare; & innumerabiles vermes videbis inhærentes poris integumenti minoris vitri, in quo caro eſt incluſa; & quamdiù hoc cooperculum vitro minori manet applicatum, tamdiù nullos vermiculos in carne conſpicies; quo igitur experimento ſatis probatur vermes, & lumbricos non gigni per putredinem, niſi ex prædictis ovis; & ut curioſus Medicus poſsit experiri, quod dictum manet, demonſtrare volo modum in figura II. tabulæ III. vulgò *Eſtampa*: A. ſignificat vitrum amplum coopertum linteo raro. B. alterum parvum vitrum coopertum linteo denſo. C. fruſtulum carnis in vitro B. DDD. Muſcæ hinc inde obvolitantes ad odorem carnis, inſedentes linteo ampli vitri. EEE ova muſcarum, hinc inde in vitrorum integumentis diſperſa. FFFF. vermiculi producti ex muſcarum ovis, hincque inde repentes integumentis, & fundo vitri ampli.

CAPUT XI.

DE USTIONE, ET EIUS *differentijs.*

ANtequam veniamus ad explicandam eſſentiam uſtionis ſupponendum eſt, ignem eſſe calidum formaliter, & effectivè: eſt formaliter calidum, quidquid formaliter habet illud, in quo formalis calor conſiſtit; ſed calor formalis conſiſtit in certis ſubtiliſsimis particulis, quæ agitantur cum motu celerrimo, vibratorioque; & talis agitatio prædictarum particularum in igne experitur; ergo ignis formaliter calidus eſt. Quod ignis effectivè calidus eſt, patet experientia; igitur ſi manus igni ponitur, ſtatim eius calor percipitur; quia illa affectio, quam elementum ignis producit in tactus ſenſu, calor denominatur iuxta omnes Philoſophos; ex hoc infertur, demon-

C. M. D. M. D. S.

monstrative ignem effective calefacere.

Hoc iam supposito dico, quod Ustio *est violenta, & inordinata dissolutio mixti ab igne facta.* Ponitur in definitione *ab igne*, ut specificetur dissolutio; aliàs foret confusio; quia dissolutio mixti includit genericè omnes modos, quibus mixtum desinere solet, videlicet per putredinem, corruptionem, aut ustionem: dicitur ab igne ad hoc, ut salvetur opinio asserentium ustionem esse mixti dissolutionem, secundum quascumque partes evaporabiles, à calore violento procedentes: dicere à calore violento, idem valet, ac asserere ab igne; quia idem inters ad denotandam efficientem causam talis dissolutionis, calor violentus, ac ignis; & idcircò non calor utcumque præternaturalis est causa dissolutionis mixti per ustionem, sed violentus; quia ustivus est.

Dupliciter consideratur ustio, duntaxat actualis, & virtualis. *Actualis ustio* est illa, quæ ab igne libero fit, ut illa quæ per cauteria actualia inducitur. Alia vocatur *Virtualis*, quæ fit ab igne in mixtis existente; huc attinent aqua fortis, spiritus nitri, & omnia cauteria potentialia, à quibus, corpori per immediationem applicitis, provenit ustio.

SCHOLIA.

Evidentissimum est, ustionem specie physica differre à putredine, quod aliqui assertivè negant, quia principale fundamentum opinionis eorum stat in eo, quod ustio, & putredo, ab uno eodemque calore præternaturali fiant. Istud fundamentum parvi momenti est, si attendimus ad id, quod iam assertum manet, antequam ad scholia perveniremus. Specie physica distinguntur, si considerantur requisita, quæ necessaria sunt ad putredinem, & si etiam attendunt, requisita ustionis contrariari putredinis requisitis, quod evidentissimè patet ex causis putredinis, & ustionis, iam in earum definitionibus assignatis.

Animadvertendum est, ustioni sequi non posse putrefactionem; igitur ustio corrigit, & destruit eam, ècontra in ustione contingit, quia experientia docet multoties putrefactioni secutam esse ustionem; igitur à calore violento, seu igne, resolvuntur partes humidæ, quæ per putredinem à partibus siccis fuerunt separatæ: ob istam rationem Aristot. in lib. 4. Metheor. docuit ita: *Quæ putrescunt primò humescunt, deinde siccitatem contrahunt, & tandem ter-*

terra, & cinis fiunt: Ergo evidenter ex his verbis infertur, ustionem specie physica differre à putredine, quia licet præternaturalis calor sit, qui ad putredinem concurrit, sicut calor efficiens ustionem, est tamen diversus ratione intensionis, quia est violenter ustivus.

Verum istud dignissimum est considerationis, quia, ea deficiente, in gravissimos errores incident practicantes, dum ad curationes aggrediuntur, & præcipuè in putridis febribus, adhibendo semper remedia contra putredinem, ad hoc ut coctio consequatur; tunc errant, sed nec errore erudito, quia, cum putrefactioni ustio sequitur, iam inutilia sunt remedia contra putredinem; igitur evidentissimum est, quod tantum coctio facit cessare putredinem, sive *infieri*, sive *infacto*; minimè vero ustionem; quia, resolutis partibus humidis mixti, tantum remanent igneæ, siccæ, pravæ, & causticæ obingentem ustionem, ut experimur in quarta specie tertianæ perniciosæ, quæ vocatur ex depravata natura humorum, & in illa febre continente, quæ appellatur causus, seu ardens; in quibus febribus impossibile est impetrare sanitatis finem per auxilia, quæ faciunt cessare putredinem; quia dum existit ingens ustio, iam non adest putredo, contra quam valet coctio: ergo si putredini subsecuta fuit ustio, tantum adequatum remedium erit refrigeratio, & humectatio ad destruẽdam siccitatem contractam, ob resolutionem partium humidarum, factam à præternaturali calore violento, & ustivo; & ideo ad istud intentum notam scripsit Hyppocr. in lib. 3. de Morb. dicendo: *Frigefactoriæ potiones in febribus ardentibus sunt autem multarum operationum, &c.*

CAPUT XII.

DE PULSU, ET EIUS differentijs.

VEluti Sol inter Sydera est nobilissimũ corpus, quod suo calore vivifico, per radios, & motus salutari omnia inferiora fovet, vivificat, & conservat; ita cor in homine est pars nobilissima corporis, quæ suo innato calore, & motu vitali universum corpus fovet per arterias, vivificat, & conservat, omnesque omnium partium actiones dispensat, & gubernat.

Facta iam ista animadversione, dico quod Pulsus *est* (iuxta Galenum) *actio peculiaris præcipuè cordis, indeque arteriarum, quæ dilatatione, & contractione moventur à facultate vitali, ut*

mediocritas caloris nativi conservetur, & spiritus animales in cerebro gerentur. Dicitur quod pulsus sit actio, seu motus, per quam convenit cum reliquis communibus actionibus nostri corporis, quales sunt attractio, expulsio, &c. istud patet ex dilatatione, & contractione, quia *dilatatio* pulsus est motus à centro ad circumferentiam constitutus, & ordinatus pro aëris attractione. *Contractio, seu compressio*, est motus à circumferentia ad centrum constitutus ad fuligines expurgandos.

Causa efficiens pulsus est facultas vitalis pulsifica, inhærens in corde pro spirituum generatione, pro conservatione vitæ, & nativi caloris, sine quo animal conservari non potest. *Causa formalis* est ipsa actio cordis, & arteriarum, quatenus ex Sistole, seu Dilatione, & ex Diastole, seu contractione constituitur. *Causa instrumentalis* est ipsum cor, & simul omnes arteriæ. *Causa finalis* est conservatio caloris nativi, cordis refrigeratio, & spirituum animalium in cerebro productio; & ad id inserviunt dilatatio, & contractio; quia vi dilatationis tenuissimus, frigidusque ambiens aër attrahitur, quo cordis, & vitaliũ spirituum Æstus temperatur, ventilatur, ac refrigeratur, & cuius portio purissima fit pabulum spiritus vitalis, & animalis. Etiam vi contractionis arteriarum per poros cutis discutiuntur, & expeluntur fuliginosi, excrementitijque spiritus, ac vapores.

Antequam aggrediamur ad pulsus differentias, facere oportet aliquas notas: prima est, quod quietes pulsus dupliciter considerari debent: *Unæ sunt privativæ*, quæ in statu salutis non fiunt, sed tantum in morboso; aliæ quietes dicuntur *positivæ*, quæ à facultate pulsifica fiunt, & sunt partes essentiales pulsus. Secunda quod tam quietes positivæ, quàm motus, sunt partes essentiales pulsus, & ita probatur. Non solum per motum attrahitur aër, & vitales spiritus disperguntur per universum corpus; sed etiam per quietes positivas; & idcircò Doctor Angelicus ex doctrina Galeni, in Opusc. de motu cordis scripsit verba sequentia: *Pulsum esse motum compositum ex duplici motu, & duplici quiete.* Ergo quia tam quietes, quàm motus sunt partes essentiales pulsus. Tertia est, quod nec cor, & arteriæ comprimuntur, nec dilatantur eodem tempore; sed comprimitur cor, dum sanguinem, & spiritus transmittit in arterias: Arteriæ verò dilatantur eodem tempore compressionis cordis ad recipiendum

ſanguinem, & ſpiritus.

Duæ ſunt differentiæ pulſus, videlicet ſimplices, & compoſitæ, *ſimplices* dicuntur, dum ſimpliciter quælibet earum ſumitur ab aliqua ſimplici entitate reperta impulſu. *Differentiæ compoſitæ* nominantur, quando iſtæ conſiderantur complicatæ, ſeu ſimul ſumptæ, quod procedit ex varijs complicationibus ſpecierum ſimplicium pulſus; ut experimur in pulſu formicante, qui componitur ex parvitate, celeritate, debilitate, frequentia, & inæqualitate. Quia differentiæ ſimplices ſunt quinque, tranſcendamus iam ad eas enucleandas.

Prima differentia ſumitur ab ſpatio per quod inſtrumenta moventur, & eſt pulſus magnus, parvus, & mediocris; *Magnus*, ſeu *Plenus* dicitur quando arteria in ſuo motu magnum ſpatium occupat. Et tripliciter poteſt dici magnus iuxta tres dimenſiones, videlicet iuxta *latitudinem*, *longitudinem*, *& profunditatem*; & idem debet intelligi de pulſu parvo, & de mediocri. *Parvus* eſt, quando arteria in eius motu occupat parvum ſpatium. *Mediocris* vocatur, quando arteria in ſuo motu non progreditur, nec ad magnitudinem, nec ad parvitatem; ſed tantum mediat.

Differentia ſecunda pulſus, ſumitur à tempore, quod in motu locali arteriarum conſumitur, & dicitur celer, & tardus. *Celer* eſt, quando arteria celeritate movetur, & brevi tempore percurrit ſpatium. *Tardus pulſus* eſt, quando longo tempore arteria percurrit ſpatium.

Tertia differentia pulſus ſumitur à cauſa efficienti, hoc eſt à facultate pulſifica, qui eſt fortis, & debilis: *fortis*, ſeu *vehemens* appellatur, quando arteria vehementia, ſeu fortitudine movetur. *Debilis*, ſeu *languidus dicitur*, quando arteria movetur debiliter.

Differentia quarta pulſus ſumitur à diſpoſitione cordis, & arteriarum, quæ moventur; ſcilicèt durus, & molis. *Durus* vocatur, quando arteria difficile tactui cedit, & ideo ad iſtud intentum Philoſophus in lib. 4. Metheor. ita loquitur: *Illud eſt durum, quod per ſumam partem tactui non cedit.* Pulſus molis eſt quando arteria facile tactui cedit.

Quinta differentia ſumitur à tempore quietum intercedentium, inter motum dilatationis, & contractionis, & eſt frequens, & rarus. *Frequens*, ſeu *Creber*, dicitur, quando arteria in quietibus detinetur per parvum ſpatium temporis; *Rarus* eſt, quādo arteria in quietibus per multum temporis ſpatium detinetur.

An-

Antequam veniamus ad enodandas differentias compositas pulsus, prius scire restat, quid sit æqualitas, & inæqualitas pulsus: *Æqualitas* pulsus consistit in eo, quod pulsus non mutatur, nec in magnitudine, nec in frequentia, &c. Pulsationes sunt æquales, & ab statu naturali non separantur: ideoque dicitur ad explicandam æqualitatem pulsus ad esse raritatem naturalem, quam constituit pulsus *Rythmus*, qui est proportio durationis inter motum dilatationis, & contractionis. Ex hoc infertur quod pulsus æquales absolutè, & simpliciter dicuntur tales, dum omnes æquales sunt in omni genere simplicium.

Pulsus *inæqualitas* consistit in eo, quod non servetur proportio durationis, non solum inter motum dilatationis, & contractionis, sed etiam in alijs speciebus pulsus; v.g. in magno, in parvo, & in mediocri, seu moderato, qui pulsus capiuntur ab spatio per quod instrumenta pulsus moventur, &c.

Inæqualibus pulsibus scire licet quod accidit ordo, aut perturbatio ordinis; obidque duplex est inæqualis pulsus, videlicet ordinatus, & inordinatus: *Pulsus inæqualis ordinatus* dicitur ille, qui in ipsa inæqualitate servat ordinem; v.g. si appareat magnitudo, frequentia, aut raritas, &c. in quarta pulsatione, in sexta, & in octava, veniatque iterum talis magnitudo, frequentia, &c. ad quartam, ad sextam, & ad octavam pulsationem. *Inæqualis inordinatus* vocatur ille, qui in inæqualitate nõ servat ordinem. V.g. si in quarta pulsatione, in sexta, & in octava appareat intermittentia, parvitas, aut raritas, &c. & talis intermittentia, &c. ad ordinem præscriptum non perveniat; sed iterum appareat in tertia, in quinta, vel in septima pulsatione, &c.

Quamvis verum sit, esse quamplurimas differentias cõpositas pulsus; ad auferendam confusionem, tantum referam faciliores, & intelligibiles; quia sum memor huius sententiæ, quam celebratissimus Seneca scripsit in proverb. Græc. *Solum qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.*

Pulsus Myurus, seu Decurtatus, ita dictus; quia pulsationes percipiuntur similes caudæ muris; hoc est, quod continuæ aliquid magnitudinis detrahitur in ictu, taliter, ut fiat magnus in prima pulsatione, minor in secunda, & multo minor in tertia. Duplex est hic pulsus, videlicet deficiens, & non deficiens: *Myurus deficiens* est dum minoratur tantum sensim taliter, ut perveniat ad deficientiam.

tiam. Alter dicitur *non deficiens*, quia licet perveniat ad extremam parvitatem, non deficit in parvitate.

Martilinus pulsus vocatur ille, qui pulpas digitorum ferit ad malei similitudinem: *Serrinus*, serrans, seu serratus pulsus est qui digitos ferit ad similitudinem seræ, hoc est, ubi pars arteriæ, quæ percipitur dilatari sub uno digito, sub alio vero, secundo, & tertio, minimè dilatari, nimirum propter arteriæ duritiem, & tensionem.

Formicans pulsus est, qui in pulsationibus similis est motui formicarum. Et est hic pulsus omnium minimus, languidissimus, & creberimus; & ideo arteria vix elevari sentitur, sed tantum moveri instar formicæ.

Pulsus *martilinus*, *saltans*, *bis pulsans*, seu *dicrotus*, est qui bis ferit digitos, prius quam instrumentum ad aliquam quietem perveniat, & hoc contingit, quia arteria bis dilatatur, antequam semel contrahatur, non secus ac maleolus ab incude resiliens.

Vermicularis pulsus, seu Vermiculans est in pulsationibus similis reptationi, sive progressui vermium.

Capricans pulsus, qui à Græcis nominatur *Dorcadicans*, est qui in pulsationibus similis est motui caprarum; & ita dicitur, quia post ictum dilatationis, antequam in sistolem desinat celeriorem priori, alterum conficit ictum instar capræ, quæ intersaliendum, antequam se in terram demittat, secundum saltum priori celeriorem mollitur.

Palpitans, vel *Tremens* pulsus est in quo arteria tremit, ac palpitat ad cordis palpitationem, & tremorem; quamquam sæpe usuveniat, ut pulsante corde non palpitent arteriæ, & trementibus arterijs cor nihil tale sentiat.

Undosus pulsus est, ubi arteria non universa simul dilatatur, sed primum eius prima pars versus pollicem, secundo, secunda, mox tertia, & quarta, motu manente continuò instar fluctuantis aquæ.

Deficiens pulsus primo loco numeratur inter inæquales, & est qui adquirit tantam parvitatem, ut deficiat per aliquod spatium, hoc est quatuor, aut plurium pulsationum. *Reciprocus pulsus* dicitur, quando post deficientiam quatuor, aut quinque pulsationum iterum arteria incipit agitari, hoc est dilatari, & contrahi.

Intermittens vocatur pulsus, dum arteria spatio unius, aut duarum pulsationum detinetur in quiete, & utplurimum complicatur cum parvitate, & raritate.

SCHO-

SCHOLIA.

Animadvertendũ est, quod dilatatio, & compressio cordis, arteriarumque, aut sunt æquales, aut inæquales: *Æquales* sunt, ut contingit in tempore sanitatis, in quo æquali motu dilatationis, & compressionis arteriæ moventur; aut sunt *inæquales*, ut videtur in morboso tempore, ubi una maior est, vel minor altera; istud evidenter patet, quando calor est adauctus, ut cõtingit in principijs, & in augmentis febrium putridarum, in quibus temporibus universalibus maior est arteriarum dilatatio, quia maior est finis refrigerationis; contra experitur in febrium statu, in quo coctio materiæ morbificæ crescit simul cũ calore; tunc igitur necessum est adesse plurima excrementa fuliginosa, & ideo in illo tẽpore maior est cõpressio, quia necessitas expellendi prædicta excrementa fuliginosa urget: & idcircò plurimi Medicorum melioris notæ affirmant: dilatationem pulsus calori naturali conferre; compressionem vero extraneo, & fuliginoso.

Memor esto, cordis, & arteriarum dilatationem tria præstare, duntaxat *refrigerationem caloris*, *ventilationem*, & *spirituum generationem*: talis dilatatio valet refrigerare calorem; ne iste adauctus in excrementis, aut in spiritibus, vel in solida substantia mutetur in igneã, vel alienam conditionem; ut experitur in internis inflammationibus, & in febribus, inquibus cor, & arteriæ intendunt efficere maiorem dilatationem, refrigerationis gratia.

Præterea tam cor, quàm arteriæ intendunt facere exactam ventilationem ad impediendam suffocationem, ut evidenter probatur in eis, qui aqua, laqueo, aut fumo suffocantur, & similiter in partibus gangrena mortuis, quæ suffocatæ pereunt ob excrementorum copiam, à qua impeditur ventilatio.

Utraque dilatatio etiam intendit spirituum generationem, ut manifestè videtur in convalescentibus, & in eis, qui immoderatis evacuationibus laborarunt, inquibus pulsus efficiunt celerem, ac maiorem dilatationem, spirituum reparandorum gratia. Verum Practicantes maxima cum ratione debent esse prudentes; aliàs in gravissimum errorem incident; quia iudicabunt tales ægros febricitare, cum non febricitent; & ideo adhibent varia remedia inutilia, quæ patientibus, iam convalescentibus, sunt non parvi incommodi.

Unum magnæ considerationis

nis non licet servare, sed palam facere; quia redundat in magnam salutis utilitatem, & est quod vitalis facultas dupliciter redditur languida, seu debilis, scilicèt per essentiam, & per accidens. *Per essentiam* dicitur languida, quando à principio intrinseco, & ex natura sua debilitatur, quæ debilitas essentialis ritè debet considerari, ut Practicantes possint tuto prohibere auxilia evacuatoria, certoque mortem prædicere.

Per accidens facultas vitalis dicitur lauguida, quando ab aliquibus contingentibus debilitatur, & idcircò assero, quod tribus modis languida per accidens ponitur; videlicèt per aggravationem, irritationem, & dissipationem. *Per aggravationem* dicitur debilis, quando premitur, & oneratur nimia humorum quantitate, quæ efficit, ut facultas non possit ordinatè efficere motus. *Per irritationem*, ponitur per accidens languida, hoc est, quando aliqua causa mordens, stimulans, & irritans, efficit, ut vitalis facultas extra institutum naturæ operetur; & ideò certissimum est debilitari à vaporibus, & humoribus erga cor existentibus, qui non copia, sed qualitate ipsam facultatem velicant, lancinantque. *Per dissipationem* fit debilis, quando manifestè, aut occultè dissipantur partes nutrimentales, & spirituosæ nostri corporis, ut contingit in secunda specie tertianæ pernitiosæ, quæ ab Avicena vocatur *Sincopalis minuta*, in qua per sudorem diaphoreticum dissipatur prædicta substantia: similiter experitur in prima specie tertianæ perniciosæ, quando complicatur cum vehemētioribus vomitibus, aut deiectionibus.

Causæ pulsus magni est robur vivificæ virtutis, seu facultatis, aut redundantia caloris nativi, & vitalium spirituum fervor. Causa parvi pulsus est imbecillitas vitalis facultatis, caloris nativi extinctio, & dissipatio vitalium spirituum. Animadvertitur, quod mediocritas pulsus inter magnum, & parvum producitur ex moderatione causarum magni, ac parvi pulsus.

Causæ celeris pulsus sunt æstus spirituū vitalium, & cordis, & robur facultatis vitalis. Scire licet, quod spiritus, & cor incalescunt, aut à calida intemperie, aut à calida constitutione aeris, aut à vehementi exercitio, aut ab ira, aut ab humorum putredine, &c. Causa pulsus tardi est refrigeratio cordis, spirituūque vitalium, & facultatis vitalis debilitas, item durities arteriæ. Causa moderati, seu mediocris pulsus inter celerem, &

tardum est temperies spirituum vitalium, & nativi caloris.

Causa pulsus fortis, validi, seu vehementis, est robur facultatis vitalis, & copia spirituum vitalium. Causa languidi pulsus, seu debilis est imbecillitas vitalis facultatis, & diminutio spirituum vitalium. Opportet scire mediocrem pulsum inter vehementem, & debilem, esse mediocrem proportionem vitalis facultatis, & moderatam copiam spirituum vitalium.

Causa duri pulsus est nimia siccitas, aut vehemens frigiditas, aut tensio arteriarum, aut convulsio earum. Causa pulsus molis est arteriarum humiditas, quæ procedit à defectu exercitij, à Balneis frequentibus, ab humidioribus morbis, veluti hydrops, &c. Mediocris inter durum, & molem producitur à siccitate, & humiditate, medio modo se habentibus.

Causa pulsus frequentis, seu crebri est cordis æstus, & vitalium spirituum, etiamque robur facultatis vitalis. Causa rari pulsus est refrigeratio spirituum vitalium, & debilitas vitalis facultatis. Scire licet mediocrem pulsum inter crebritatem, & raritatem produci ab æquali proportione causarum pulsus frequentis, & rari.

Causæ æqualitatis pulsus sunt consonantia vitalis facultatis, cordis temperies, moderatio caloris nativi, & mediocris arteriarum constitutio, adeoque totius corporis salus, & temperies.

Causæ inæqualitatis pulsus sunt intemperies aliqua cordis, vitiosa qualitas contentorum in arterijs, imbecillitas facultatis vitalis, & instrumentum inaptum, vel utrumque simul. Memor esto, quod pulsus instrumentum uno ex tribus modis fit ineptum, videlicèt *compressione*, *obstructione*, & *repletione*. Comprimitur igitur arteria, quando spatia, per quæ ipsa movetur, replent humores, quos intendit facultas expellere, & ad eos expellendos utitur varijs, ac diversis motibus: etiam comprimitur arteria à corpore extrinsecè adhærente, velut vena, quæ ex plenitudine distensa idem spatium occupat, aut à tumore aliquo præter naturam comprimente aliquam arteriam ex magnis. *Obstructio* verò fit à crassis, & viscidis humoribus impactis in arterias, maximè si orificijs earum adhæreant; & magis contingit, si arteriæ fuerint cordi viciniores. Repletio verò oritur ex sanguinis copia, qui est contentus in arterijs; quę quidem repletio impedit compressionem, quæ requiritur, ut liberè fuliginosa excrementa expurgentur.

Quia

Quia obscurè tractari solet natura pulsuum ab aliquibus Authoribus, & quia nugas varias invenerunt, fundamentum acceperunt ad explorandum materiam de pulsibus esse nullius momenti, fallacem, mendacemque, & vulgò *Patraña*, ad fallendos ægros; sed quia tales detractores plus falluntur, & ægros fallunt ad celandam eorum ignorantiam, statim enodare intendo, unde proveniat æqualitas, & inæqualitas pulsus, fundamentum accipiendo ex sanguinis motu ad hoc, ut fieri posit vera demonstratio ad faciliorem intelligentiam.

Æqualitas,& inæqualitas pulsus consistit in convenientia, seu consonantia, vel in discrepantia, seu dissonantia unius guttæ sanguinis lapsæ in cor, cum alia sequente collatę.Quatenùs in hac, vel illa est maius, vel minus robur fermentationis intra cor: hinc una sanguinis gutta citius rarefit, & suscipit fermentationem,quam altera, ex quo æqualis, aut inæqualis pulsus originem trahit: itaque requiritur, quod expellatur proportionaliter ex corde gutta una sanguinis post aliam; igitur nequit de corde propelli una gutta sanguinis, quin altera in extremis arteriarum posita, etiam propellatur in eo ipso momento; una enim gutta mota, necessariò altera moveri debet,propter contiguitatem guttarum: ergo si cum convenientia, seu consonantia moventur guttæ sanguinis, necessariò erit pulsus æqualis; sicut inæqualis, quando cum discrepantia ex corde propellantur: & ut ista res clarisima fiat occurrant Practicantes ad tabulam VI. vulgò *Estampa*, ubi in figura I. est Siphon demonstratus, aqua, vel alio liquore plenus: A. significat siphonem aqua plenum. B. guttam aquæ in siphone contentam, & pistillo proximam, quæ incipit moveri. C. alteram guttam aquæ positam in siphonis extremitate, quæ etiam movetur prima mota. D. significat pistillum siphonis.

Restat scire arterias pulsare propter motum prædictarum guttarum sanguinis, atque eius rarefactionem; facile concipitur ita verum esse, si attendimus sanguinem in corde rarefactum maiore indigere spatio, quod cum sanguini non concedatur, nonnihil expandit cordis ventriculos, quæ expansio ulterior impeditur ab humoribus, ex arterijs coronarijs in musculos cordis transudantibus, & à vaporibus, & spiritibus animalibus influentibus, ac proinde cordis latera constringuntur nonnihil, & sanguis rarefactus expellitur in Aortam,

eiusquè latera nonnihil expandit, cum Aortæ cavitas non sit satis ampla ad liberum transitum concedendum huic sanguini rarefacto, & ebullienti, cum arteriæ omnes ex angusto desinant in angustum; quod clarissimè patet in figura II. prædictæ tabulæ VI. ubi arteriæ demonstrantur naturaliter dispersæ per sinistrum brachium: Per literam A. significatur cor; per B. truncus ascendens: per C. arteria subclavia; per D. mammaria arteria, quæ sub sterno descendens ad umbilici usque circiter sedem excurrit, & dirigit surculos in verarum costarum intervala. E. arteria axilaris. F. arteria brachialis. G. bipartitio brachialis arteriæ sub cubiti flexum in ramum exteriorem H, & interiorem I. H. radiæus, exterior ramus bipartitionis arteriæ brachialis, recta excurrens secundum radium ad carpum, ramum dirigens O in musculos sitos inter os primum policis, & metacarpij indicem substinentis, alios deinde tres PPP, qui disperguntur in primos exteriores digitos. I. cubitæus interior ramus, secundum cubiti os incedens, in duos tandem interiores digitos gemino ramo absorbetur. L. arteria scapularis externa. M. scapularis interna.

Ex prædicta demonstratione infertur, quod quælibet gutta sanguinis debet arteriam elevare, ut transeat; quæ extensio, vel elevatio, & dilatatio ventriculorum cordis, & arteriarum, constituit pulsum; sic, exẽpli gratia, gutta C, non potest propelli in G, H, O, & sic porrò, quin extendat tunicas arteriarum; hoc est, quin faciat impetum in eas, quia arteria est angustior in G, & H: & hoc cogitandum est, fieri in singulis punctis arteriarum à singulis guttis sanguinis rarefactis: ergo patet pulsum præcipuè dependere ex rarefactione sanguinis plus spatij exigentis, & ab arteriarum angustia maius spatium non concedentium.

Quia venæ contrario modo dispositæ sunt à natura, ac arteriæ non pulsant, & ideo non exploratur pulsus in venis, sed tantum in arterijs: & ut Practicantes agnoscant contrarium modum, quo venæ dispositæ sunt, ac arteriæ, demonstrantur in supradicta figura II. Venæ excurrentes per brachium dextrum. Per B. significatur truncus ascendens venæ cavæ. Per C. vena subclavia. Per D. axillaris vena. Per F. scapularis externa. Per G. scapularis interna. Per H. vena cephalica. Per I. ramus eius externus. Per K. ramus eius internus, qui ex parte medianam constituit, & obliquè

què per radium fertur ad brachium externum; ubi obliquè sic semper repens ad carpi radicem venerit, cum basilicæ ramulo iungitur, & salvatelam constituit. Per L. vena basilica. Per M. divisio basilicæ in duas propagines. Per N. propago eius prima externa. Per O. ramus internus propaginis secundæ. Per P. propaginis secundæ ramus externus. Per Q. tertia propago, quæ cum interiore ramo cephalicæ KK. medianam Q. conficit. Per R. vena salvatela. Per S. thoracica superior vena. Per T. vena thoracica inferior.

Demonstrato iam contrario modo, quo venæ dispositæ sunt, ac arteriæ, transeamus ad explorandam rationem, cur venæ non pulsent, ac arteriæ, ratio est in promptu, si attenditur ad rarefactionem sanguinis: in venis non adest sanguinis notabilis rarefactio: ergo hinc sanguis non amplius requirit tantum spatium; non fit notabilis rarefactio, quia priusquam ad venas accedat sanguis, iam spiritus magna ex parte avolarunt: ergo sanguis non potest ferri per venas tanto impetu, quanto per arterias.

Deinde contrario modo venæ dispositæ sunt, ac arteriæ, quia si arteriæ desinunt ex ampliori spatio in angustum, venæ ex angustiori spatio in latius desinunt, ut patet in præcedenti figura II. ergo gutta sanguinis ex arterijs in vena propulsa, iuxta literam R, nullum impetum facere potest in latera illius venę, ut progrediatur versus C, & cor A, quia vena desinens ex angusto in latius spatium, tunc satis spatij concedit guttæ R. propulsæ versus venam subclaviam C, & cor A, & sic evidentissimum est non posse in ea vena pulsus sentiri.

Factis iam prædictis demonstrationibus, opportet reddere ad prosecutionem causarũ differentiarum compositarum pulsus. *Causæ* serrati pulsus sunt durities, ac tensio arteriæ, & calor adauctus. *Causa* formicantis pulsus est extrema dissolutio spirituum vitalium. *Causæ* pulsus martilini, seu dicroti sunt arteriæ durities, vitalis facultatis robur, & copia caloris fumosi.

Vermicularis pulsus *causa* est gravatio vitalis facultatis, ut vix queat arterias dilatare, vel est dissipatio magna vitalium spirituum. *Causæ* caprizantis pulsus sunt calor febrium putridarum, & copia fuliginosorum vaporum. *Causæ* palpitantis pulsus sunt vapor crassus, & venenosus, collectus in cordis thalamis, aut eius capsula, videlicèt in eius ventriculis, & peri-

cardio; aut sanguini admixtus in ipsis arterijs; vel flatus, seu crasus spiritus transitum non habens, & contentus in prædictis ventriculis cordis, aut in arteriarum cavitatibus: tunc enim circa latera vehementer sanguis rarefit, & valdè impellit arteriam, & sic producitur pulsus palpitans, non secus, ac observatur ex arteria celiaca obstructa, in hypochondriacis, in scorbuticis, & in hystericis.

Causæ undosi pulsus sunt redundantia humiditatis in arterijs, gravitas virium vitalium, & mollities arteriarum. Causa pulsus deficientis est oppressio facultatis vitalis, aut nimia laxitas arteriarum, ut contingit in debilitate essentiali. Causæ intermittentis pulsus sunt resolutio facultatis vitalis, caloris nativi extinctio, valida obstructio instrumentorum, aut compressio, & constrictio eorum.

Opportet scire in qua parte corporis explorandus est arteriarum pulsus, & quomodo: Verum est, quod in pluribus partibus corporis arteriæ pulsare sentiuntur; sed evidentissimè omnium in capitis temporibus, in carpo manus, & in tarso, sive pectine, paulò infra digitos pedis; sed in his honestissimè, & magis commodè exploratur constitutio pulsus in carpo, spatio duorum, aut trium digitorum latitudinem infra radicem pollicis, nisi ea arteria forte alicui sit præcisa, in qua arteriam contrectare volumus, debet habere naturalem situm: ita, ut pollex sursum, minimus digitus deorsum spectet, sitque ab omni compressione libera, non elevata, non demissa, nec nimium extensa: quin nec digiti eius manus sint, aut in pugnum contracti, nec in palmam extensi, sed moderatè contractis; applicandæ autem sunt carpo trium, aut quatuor tantùm digitorum extremæ pulpæ ex obiecto unguium sitæ, quæ quantum fieri potest debent esse molles, & temperatissimæ.

Facta animadversione, quod prædictæ pulpæ nihil aliud sunt, quam extremæ partes carnosæ digitorum, accedamus iam ad assignandas tres differentias applicationis digitorum, ad hoc ut Practicantes valeant agnoscere omnes pulsus species. Prima applicatio vocatur suspensa. Secunda comprimens, & tertia moderata. *Suspensa*, seu *levis* dicitur, quando superficie tenus arterijs digiti imponuntur, nihil eas comprimente. *Comprimens* applicatio nominatur ubi arteriæ à digitis profundius deprimuntur. *Moderata*, vel *Media* inter suspensam, & comprimentem applicationem est, qua deprimitur quidem arte-

teria à digitis, ſed moderatè, & non ita profundè, ut in comprimente applicatione.

Ad perfectam intelligentiam prædictarum applicationum ſcire debemus caſus, ſeu circunſtantias, quæ requiruntur ad rectum uſum trium ſpecierum applicationis digitorum: Utimur applicatione ſuſpenſa, ubi arteriæ ſunt eminentes, ut videtur in corporibus macilentis, ſeu gracilibus. Comprimente applicatione debet uti in mollioribus, & in profundo deliteſcentibus arterijs, pulſuque debiliore; quod contingit in corporibus carnoſis, & obeſis. Utimur moderata applicatione in arterijs temperatis, & quando pulſus ſunt moderati.

CAPUT XIII.

DE RESPIRATIONE, ET eius differentijs.

R*Eſpiratio eſt attractio aeris ex cerebro per nares, & fauces in pulmonem, & ipſum cor ad refrigerationem, & ſpiritus vitalis generationem.* Reſpiratio, quæ eſt actio purè animalis conſtat ex duabus partibus, ſive ex duplici motu, videlicèt inſpiratio, & expiratio. Dicitur in definitione, quod reſpiratio ſit attractio, quia finis primarius reſpirationis eſt inſpiratio, & ſecundarius tantùm eſt expiratio.

Convenit reſpiratio cum pulſu, quia non minus cor refrigeratur per pulſum, ac per reſpirationem; ſed differunt in eo, quod per pulſum non ſolum refrigeratur cor, verum etiam reliquæ partes noſtri corporis; per reſpirationem verò tantùm cor refrigeratur. Tamen differunt ab inſtrumentis, quia pulſus inſtrumenta ſunt arteriæ, & ipſum cor; reſpirationis inſtrumenta ſunt pulmones, muſculi intercoſtales, ſeptum tranſverſum, &c. etiam à facultatibus differunt: igitur facultas pulſus eſt vitalis à corde originē habens: facultas verò reſpirationis eſt animalis dimanans à cerebro.

Quia evidentiſsimum eſt in inſpiratione intrare aerem, & in expiratione exire, debemus non ignorare finem reſpirationis, & quia finis primarius reſpirationis eſt inſpiratio, ut tunc vi aeris per nares, & os ingredientis cor refrigeretur, & ſpiritus vitales generentur: in expiratione verò per eadem loca excludatur aer cum fuliginoſis excrementis.

Componitur reſpiratio ex duobus motibus, & ex duabus quietibus, & ideò reſpiratio dupliciter conſideratur, ſcilicèt naturalis, & præternaturalis. Naturalis eſt, quando proportione,

ne, seu consonantia intrat aer, & exit. Præternaturalis dicitur, quando cum dissonantia fit attractio aeris, eiusque expulsio. Duplex est respiratio difficilis: simplex, & composita.

Ex motibus capiuntur quatuor simplices differentiæ difficilis respirationis duntaxat, magna, parva, velox, & tarda. *Magna* respiratio est, in qua magnam aeris copiam attrahimus, & quantitatem magnam fuliginum expiramus. *Parva* dicitur, quando paucam copiam aeris attrahimus, & parum fuliginum expiramus. Respiratio *velox*, seu *celer* est, in qua parvo tempore pulmones, & alia instrumenta moventur. Tarda dicitur, quando instrumenta respirationis longo tempore dilatantur.

Ex quietibus sumuntur duæ simplices differentiæ difficilis respirationis, videlicèt frequens & rara: frequens, densa, seu crebra est, quæ fit in brevi tempore quietis. Rara vocatur, quando instrumenta respirationis longo intervallo detinentur in quiete.

Manet iam dictum, quod difficultas respirandi est duplex, scilicèt simplex, & composita: & ad clariorem intelligentiam scire licet, quod simplex est, quæ unam partem totius respirationis singulatim occupat: Composita verò est, quæ in pluribus consistit, ob idque variæ fiunt differentiæ difficilis respirationis compositæ: v.g. magna velox; parva velox; parva tarda; magna frequens; magna rara; parva frequens; parva rara: etiam in promptu. Practicantes debent habere alias duas species difficilis respirationis exitialissimas, videlicèt phenomenata, & stertorosa; phenomenata, seu frigida est, in qua aer, qui in expiratione exit percipitur frigidus. Stertorosa dicitur illa, quæ fit cum strepitu, quia quando aer per inspirationem intrat, & per expirationem exit, causat talem sonum, seu strepitum in pectore, ut contingit in Pleuriticis, & Peripneumonicis, iam in extremo vitæ constitutis.

SCHOLIA.

ANimadvertendũ est, quod respirationis causa est triplex duntaxat generalis, specialis, & dispositiva. *Generalis* causa est anima informans partes dicatas respirationi. *Specialis* est thoracis motus cum spiritibus influentibus in partes respirationi dicatas. *Dispositiva* est sanguis irruens in pulmones, qui sine respiratione identidem facta, adeoque sine aeris admixtione non potest per pulmones debitè circulari. Licet scire, quod

quod portio aëris inſpirati,quæ ſanguinem ſubintrat eſt ſubtilior, quæ tamen habet aliquam elaſticitatem, ſeu vim flexilem, expanſivamque: eſt ſubtilior,ut ſit proportionata,& apta ſubintrare per pulmonum poros.

Oportet tamen ſcire materiam reſpirationis eſſe fluidum ambiens, ſeu aerem impetu ſuo elaſtico ſubintrare, tandemque prædictus ambiens continuò debet recentari, ut eius ſubtilior portio, quæ intra pulmones fuit admiſſa ab aura libera ſemper reſtituatur una cum novo impulſu, quo mediante cogatur prædicta portio ad interiora pulmonum, & vaſorum, & ſic ea præſtet, in quorum gratiam inſtituta eſt reſpiratio.

Verum claritatis gratia enucleare debemus circa primariũ uſum reſpirationis,in quo ſitum eſt omne punctum conſervationis vitæ, quæ conſervari minimè poteſt, niſi fluidum ambiens nobis proportionatum, ſcilicèt aeris ſubtilior portio conſtanter recentata, in pulmones ruat, ſanguinem ſubintret, & hunc una cum Chilo non tantum reſolvat vi ſua reſolvente, & agitante,ſed etiam ſuo elaſtico impulſu totam maſſam ſanguinis impellat in corporis partes, & ſic has actuet,ut in qualibet harum iuxta propriam aptitudinem vitales aliæque ad vitam continuandam immediatè requiſitæ actiones, adeoque in ſanguine motus inteſtinus, vi cuius fiunt ſanguificatio, & ſpiritualiſatio, in partibus vero ſolidis circulatio, nutritio, & diaphoreſis perennent.

Tranſeamus iam ad ſecundarium uſum reſpirationis, qui uſus ad tres utilitates reducitur: prima ut mediante reſpiratione formetur vox beneficio laryngis, ſeu fiſtulæ phneumaticæ. Secunda, ut per inſpirationem eliminentur fetus ex utero, ex inteſtinis feces,& urina ex veſica. Tertia ut per expirationem excernantur excrementa pulmonum, narium, faucium que.

Manet iam dictum inſpirationem, & expirationem eſſe duas partes ex quibus componitur reſpiratio; ſed adhuc indiget Medicus non ignorare, quomodò fiant inſpiratio,& expiratio. Fit *inſpiratio* dum thorax à muſculis pectoralibus attolitur, & à ſepto tranſverſo contracto viſcera abdominis propelluntur deorſum, & extrorſum; hinc in pulmones per thoracis dilatationem explicabiles factos aer vi ponderis Atmoſpheræ, & Aſticarum aeris particularum turgeſcentiæ impellitur; & ſic aerè magis minuſve irruente dilatantur pulmones,quouſque thorax admit-

tit,& ab aere intro suscepto replentur ob eorum substantiam planè singularem spongiosam, seu vesiculosam. Hæ itaque pulmonum vesiculæ, & globuli copiosè anexi ramis, asperæ arteriæ, quam maximè inflantur, & dilatantur ab aere subintrante.

Expiratio vero fit dum à dilatatione partes thoracis incitantur ad sui contractionem, musculique abdominis viscera unà cum daphragmate premunt introrsum, ac sursum; cavitas thoracis angustatur, hinc comprimuntur pulmones suis fibris motricibus unà contractis,& sic vesiculæ pulmonariæ coarctatæ cum lobulis, necessario propellunt aerem inspiratum cum fuliginosis excrementis oneratum.

Ad huius capitis calcem licet docere, quomodò intelligi debeat cor, & sanguinem refrigerari ratione aeris attracti per inspirationem: notissimum est per aerem attractum sanguini communicari nitrosas particulas in aere obvolitantes, quæ dum sanguini mixcentur eius massæ fermentationes moderantur; istud est refrænare sanguinem, & eius fermentationes tamen non destruere.

CAPUT XIV.

DE URINA, ET EIUS *differentijs.*

URina *est excrementum aquosum,& serosum, attractum à renibus,seu in renibus secretum, per ureteres, & vesicam emissum.* Duplex est urina: Naturalis,& præternaturalis: *Naturalis* est, quæ servat omnia constitutiva, quæ in naturali statu contingunt apparere. Urina naturalis dividitur in urinam sanguinis, & in urinam potus: *Urina sanguinis* est, quando partes serosæ sanguinis impregnatæ sufficienti quantitate partium biliosarum, seu (ut malunt Moderni) particularum salino-terrestrium,ac sulphurearum,& hinc sub citrino colore secernuntur, & per vias urinarias excernuntur. *Urina potus* dicitur, quando post largiorem potum sanguinis massam diluentem, urina limpida aquosa maiori copia, & frequentius excernitur, sed minus imbuta partibus excrementitijs.

Causa materialis urinæ est potus, & alimentorum humiditas, seu partes serosæ, in maiori quantitate,quæ reliquis vehiculum præbent, quibus admixtæ sunt.

Causa formalis est aquositas san-

sanguinariæ massæ. Quod aquositas sanguinis sit causa formalis urinæ patet ex transpiratione, quia quanto ista maior est, eo minor generatio urinæ observatur, & èccontra; & ideò docet experientia, quod sudaturis semper minoratur urina. *Efficiens causa* est calor nativus, qui in secunda coctione aquosam superfluitatem secernit. *Causa instrumentalis* sunt organa, seu partes, quæ inserviunt ad secretionem, & excretionem urinæ, ut renes cum glandulis, arteriæ emulgentes, ureteres, & vesica.

Causa finalis est, ut sit vehiculum sanguinis, serviatque distributioni per universum corpus, & penetrationi eius per angustias venarum, & arteriarum.

Constitutiva urinæ naturalis sunt tria, videlicèt substantia, color, & contentum. *Substantia urinæ nihil aliud est, quam corpulentia ipsius urinæ moderata, seu mediocris.* Urinæ substantia dicitur mediocris, quando neque est tenuis, ut aqua, neque crassa, ut oleum, nec turbida, ut mustum; & ideò Magister Galenus in Comentar. prognost. ita fatur: *Nec ita tenuem esse, quemadmodum aqua, nec adeo crassam, ut assimiletur urinæ jumentorum*: ergo tunc erit moderata substantia urinæ, quando obiecta, quæ post illam existunt, videntur, ut illa sunt, sed cum aliqua obscuritate; hoc est, non cum illa transparentia, ut percipiuntur in urina tenui. Et claritatis gratia animadvertere debeo moderatam autem urinæ substantiam tantum conspici sub naturalibus coloribus, si tales colores habent perfectionem naturalem. Causæ talis substantiæ mediocris sunt robur, & copia caloris nativi, etiamque justa proportio humorum in corpore.

Secundum constitutivum urinæ est color. *Color urinarum est visibilis qualitas, & perpetuum accidens, ut enim nullæ corporeæ substantiæ, ita nulla urina sine colore conspici potest.* Duplex est color naturalis, & præternaturalis. *Color naturalis* urinæ est ille qui apparet in statu salutis: iste triplex est, scilicèt *palidus, rufus*, & *flavus*, ex quibus coloribus capiuntur tres differentiæ urinæ naturalis, quæ ita appellantur: Palida, Rufa, seu Citrina, & Flava. *Urina palida* est, quæ in colore assimilatur paleis maturis, seu spicis triticis ad maturationem tendentibus. *Rufa* est illa, quæ in colore similis est auro communi: istaque species nominatur Citrina ab Avicena, quia in colore similis est citro maturo. *Flava* ea dicitur, quæ habet colorem

auri purissimi, seu croci.

Parvi momenti non est, ut Practicantes sciant unde procedunt prædicti colores naturales. Sunt causæ moderata temperies caloris nativi, & maior, vel minor portio bilis flavæ naturalis, seu particularum salino-terrestrium, ac sulphurearum, quæ diluuntur in serosa substantia; vel iuxta maiorem, vel minorem portionem seri, in quo diluitur prædicta bilis.

Tertium constitutivum urinæ est *contentum*, videlicèt *illa portiuncula, seu substantia, quæ post refrigerationem urinæ manifestatur, & commixta erat liquori urinæ.* Duplex est contentum, scilicèt naturale, & præternaturale: Naturale dicitur illud, quod in statu naturali conspicitur in urina, istud tripliciter consideratur: primum vocatur nubecula: secundum apendiculum, & tertium sedimentum.

Nubecula est illa portiuncula, quæ existit in alto urinæ. Dicitur nubecula, quia quasi nubs, seu umbra videtur incumbere in superficie urinæ. Existit in alto urinæ propter plurimas particulas sulphureas, athomosas, & aereas, ex quibus constat contentum. *Apendiculum, suspensum, revulsum*, seu *Eneorema* vocatur illa substantia, quæ in medio urinæ apparet, quia minorem volatilitatem habet, ac nubecula.

Sedimentum est quædam substantia excrementitia, cum liquore urinæ expulsa, & in infima regione contenta, alba, levis, & æqualis; in infima regione existit, quia habet maiorem gravitatem, quam apendiculum. Licet scire omnes tres species contenti fieri in sanis ex reliquijs alimenti, & recrementis humorum, quæ cum urina excernuntur.

Urina præternaturalis est, quę recedit à naturali statu, & quo maior, vel minor fuerit recessus, magis, vel minus erit præternaturalis, & idcircò ratione recessus duplex est: una, quæ tantum recedit in colore, & substantia, vel tantum in contento: alia, quæ recedit in substantia, colore, & contento à naturali statu

Quia tria sunt constitutiva urinæ naturalis, triplici modo separari potest urina ab eius statu naturali: hoc supposito à substantia incipiamus, quæ vitiatur dupliciter, vel quia est nimis tenuis, vel quia nimis crassa est. *Urina tenuis, perlucida, clara*, seu *transparens* est illa, quæ, quia aquæ limpidæ assimilatur, non impedit visionem eorum corporum existentium post illam. Causæ huius urinæ sunt externæ, & internæ. *Externæ* di-

dicuntur alimenta nimis humida, quia, cum ista habeant plures superfluitates aquosas, augetur serum in sanguine, & improportionatè diluitur bilis, seu particulæ salino-sulphureæ, tunc hæ maximè dividuntur taliter, ut visui dispareant, tantumque conspicitur urina instar aquæ. *Internæ causæ* tres sunt, videlicèt *debilitas coctionis secundæ regionis*, tum per intemperiem calidam, tum per frigidam intemperiem; & quia facultas concoctrix existit languida, rectè non sequitur, neque elaboratur, simulque partes serosæ, & biliosæ inutiles pro nutritione non benè separantur, nec optimè commixcentur cum prædicta serositate. Aut *debilitas facultatis attractricis*, seu *sequestratoriç renum*, quæ tantum valet secernere subtiliorem partem, & magis aptam ad motum. Aut *imbecilitas facultatis expellentis* vasorum secundæ regionis, quæ propter talem debilitatem tantum possunt expellere partes, quæ maiorem aptitudinem habent ad motum.

Urina crasa, *opaca*, seu *perturbata* est, quæ propter immodicam consistentiam, quam habet, impedit visionem corporum post illam existentium. Duplex est ista urina, videlicèt simpthomatica, & critica: *Simpthomatica* est illa, quæ solet apparere in principijs universalibus vehementium febrium, & inflammationum internarum, dum simul complicatur putrida febris. *Critica* dicitur, quando in declinatione universali, vel in fine status circa initium declinationis materiam morbificam coctam, & separatam mixcet natura cum serositate, & expellit per vias urinarias; ratione cuius urinæ, quandoque plurimi ægrotantium à morte liberantur. Causæ huius urinæ sunt, aut intensus calor præternaturalis, qui sanguinis massam agitando, & commovendo reddit urinam turbidam, quia talis calliditas media agitatione humores conturbat, & tunc natura eorum particulas, quæ secernuntur, & mixcentur cum sero, expellit permeatus urinarios. Aut purulenta substantia, quæ commixcetur cum sero, quando abscessus rumpitur in jecore, sed præcipuè in eius parte giva. Aut quia commixcentur humores crasi cum serositate in renibus ipsis dum renes dolore torquentur propter fluxionem succorum crasorum, ut acida, aut salsa pituita.

Color urinæ præternaturalis nominatur quisque colorum, qui præter tres naturales iam assignatos inspicitur: & quamvis multipliciter vitiatur urinæ color, ut fastidium non inducam Practicantibus, referam tantum species, quæ circa ægrotantes commu-

muniter occurrunt, duntaxat urina *flava, alba, rubra, viridis, livida, nigra, vinea, pasea, pinguidinosa*, & *oleosa*. Animadvertendum est, quod quamvis seorsim non tractentur species urinarum, quæ ratione coloris fastidiosè ab aliquibus describuntur, nihilominùs brevissimè, & tanquam per transenam narrantur.

Prima ab Auctoribus inter urinas præternaturales ratione coloris enumeratur *flava*, quæ fit propter commixtionem bilis flavæ præternaturalis cum serositate. Ista urina duplex est, scilicèt remissè flava, & intensè flava: *Remissè flava*, seu *lateritia*, quia colorē habet lateris cocti, dicitur ea, quæ iam definita manet. *Intensè flava*, seu *crocea* est illa, quæ habet colorem intensè croceum, & ideò lintea, quæ in tali urina madefiunt tinguntur, velut si immersa fuissent in fortissima tinctura croci. Causæ huius urinæ sunt duæ, videlicèt externæ, & internæ. *Externæ* sunt alimenta valdè calida, & acria, aut nimius potus vini generosi, seu diversarum tincturarum cum aqua vitæ, vel vini spiritu extractarum, quæ à vulgò vocantur *Rosolies*. *Internæ causæ* sunt intemperies calida jecoris, cordis, & eorum vasorum sanguineorum, propter quam gignitur magna copia bilis flavæ. Aut obstructio ductuum, per quos biliosus humor expurgatur, & secernitur à jecore, deferturque in vesicam feleam; tunc enim portio illa bilis, quæ ab erravit vias, abundè serositate diluitur, & tunc temporis constituit urinam intensè flavam, ut frequenter observatur in Ictero flavo.

Urina alba est illa, quæ habet colorem album disgregativum visus: duplex est, ratione substantiæ albæ, quæ commixcetur cum serositate, videlicèt pituitosa, & lactea, seu chilosa. Pituitosa dicitur, dum humor pituitosus commixcetur cum serositate. Ista urina dividitur in splendescentem, & non splendescentem. Urina splendescens vocatur ita, quia præter albedinem habet quendam splendorem, velut vitrum album; & eius causa est pituita vitrea, quæ diluitur. Urina non splendescens appellatur, quæ tantum habet albedinem, & crasitiem sine splendore, quia producitur à pituita crasa, quæ diluitur cum sero. Urina lactea, seu chilosa vocatur, quæ habet colorem lacteum ortum habens ex chilo, seu succo nutrimentali serositati permixto.

Urina rubra est illa, quæ habet colorem rubrum propter commixtionem alicuius rubræ substantiæ cum serositate. Duplex est: una dicitur remissè rubra, & alia intensè rubra, quæ fiunt iuxta maiorem, vel minorem portio-

tionem ſubſtantiæ rubræ, quæ permixcetur cum aquoſa ſubſtantia, aut iuxta maiorem, vel minorem portionem ſeri, in quo diluitur; & ex præſcriptis diſſolutionibus producuntur illæ ſpecies urinæ rubræ, videlicèt *roſacea*, & *purpurea*. *Roſacea* dicitur, quia oſtendit colorem roſæ rubræ. *Purpuracea*, quia in colore aſsimilatur panno purpureo, vel floribus anagalidis maioris, & ut allij volunt epatibovino. Cauſæ huius urinæ ſunt tres, ſcilicèt, ſanguis, ſal, & bilis. *Sanguis* poteſt conſtituere urinam rubram, quando commixcetur cum ſeroſitate, & ad vias urinarias deſcendit. Verum cauſæ propter quas ſanguis deſcendit ſunt plures, duntaxat, quia ſupreſa eſt aliqua ſanguinis evaquatio periodica, ut narium, menſtruorum, hemorroidarum, &c. aut quia vena aliqua fuit rupta in renibus, vel in veſica urinaria; aut quia adeſt in corpore ingens plenitudo quoad vaſa, ut contingit in eis, qui ſanguinem purum mingunt. *Sal* conſtituit in urina rubrum colorem, quando à ſanguine ſecernuntur plurimæ particulæ ſalineæ, quæ in ſero diluuntur, ut experimur in vehementibus febribus, & in inflammationibus viſcerum. *Bilis* conſtituere ſolet urinam rubram, dum ſimul particulæ ſalinæ ſanguinis, & copia bilis diſſolvuntur cum ſeroſitate, quæ urina obſervatur in Ictero ſequente jecoris inflammationem; etiamque in diuturnis tertianis, &c.

Viridis urina eſt, quæ habet viridem colorem, & aſsimilatur gramini viridi, aut ærugini. Cauſa eſt aliqua ſpecies bilis præternaturalis, quæ permixcetur cum ſero, ut bilis porracea, & æruginoſa.

Urina livida eſt, quæ habet colorem lividum propter commixtionem alicuius ſubſtantiæ lividæ, ſeu plumbe. Iſta urina duplex eſt, ſcilicèt, intensè livida, & remisè. *Intensè livida* dicitur, quando habet livorem intenſum, & aſsimilatur colori iridis, vulgò *Cardeno*. Nominatur *Remisè livida*, quando in urina conſpicitur remiſior color lividus, & plumbo ſimilis eſt. Cauſæ huius urinæ ſunt extinctio caloris nativi per magnam frigiditatem, ut contingit in gangrena, dum livor plus, aut minus conſpicitur in membris gangrena emortuis, & illæ duæ ſpecies atræ bilis cholericæ, videlicèt cerulea, & iſatidea: & quamvis tales humores præternaturales ſint calidiſsimi, minimè obſtat ad hoc ut valeant producere lividam urinam; ratio in promptu eſt, quia ſi cerulea bilis diluitur cum ſeroſitata, ſine dubio conſtituet lividum

dum colorem; igitur illius color ceruleus in nostra Hispania vocatur *Azul obscuro*, vulgò *Cardeno*, nec opponitur intemperies nimis calida ad hoc ut calor nativus, & vitales spiritus destruantur, velut accidit propter intemperiem longè frigidam, & in humoribus superveniat lividus color: exemplum habemus in gangrena, cuius productio fit tam à nimio frigore, quàm ab extraneo, & vehementi calore.

Urina nigra dicitur, quæ habet colorem nigrum similem carboni extincto ob admixtionem nigricantis humoris cum serosa substantia. Duæ sunt species huius urinæ, duntaxat simpthomatica, & critica: *Simpthomatica* est, quando ita mingitur in principio universali, vel in augmento febrium vehementer ardentium, & inflammationis lienis.

Critica est, quando in declinationibus universalibus humores adustos iam præcedentibus coctionis signis excernit natura per vias urinarias, ut contingit in quartana febre, in lienis obstructione, & in suppresione menstruorum, & evacuationis enixarum. Causæ sunt nimis intemperies frigida sanguinis, & extinctio spirituum, & ideò aliqui asserunt posse etiam esse causam sanguinem à frigiditate concretum; intemperiesque calida jecoris, & aliarum viscerum, quia per magnum incendium aduritur sanguis, & permixcetur cum melancholico humore.

Urina vinea est illa, quæ habet colorem vini rubri nigricantis. Causæ sunt magna sanguinis adustio; & ideò apparet in ardentibus febribus aliquoties; copia salinarum particularum sanguinis, quæ mixtæ cum acida pituita, vel cum melancholia præternaturali dissolvuntur in serositate: abusus vini generosi, & suppresa aliqua evacuatio sanguinis, aut sanguinis biliosi. Propter istam causam memor esto iam vidisse in anno 1705. dum Medicus eram Opidi Garganta la Olla in uxore Petri Ximenez de Baptista, quæ cum esset gravida incidit in febrem valdè acutam, & ardentem, & per duodecim dierum spatium minxit talem urinam, & maxima cum admiratione fuit libera, & suo tempore idoneo in lucem dedit fœminam satis validam; quin obstaret funestum præsagium duorum Medicorum, qui fuerunt advocati pro meliori consilio.

Pasea urina est, quæ in colore asimilatur aquæ, in qua decoquerint ubæ pasæ. Causæ sunt adustio sanguinis, humores biliosi valdè calidi, & intemperies

ties calidiſsima internarum partium, ratione cuius ſanguis in ſpecies calidiſsimas bilis vertitur, ut conſpicitur in principijs, & augmentis univerſalibus febrium exurentium, & internarum inflammationum.

Urina pinguidinoſa dicitur illa, in qua apparet aliqua ſubſtantia pinguis oleo ſimilis. Triplicitèr eſt iudicanda hæc urina: *Prima* eſt, in qua ſupernatat pinguedo, ſecundum partem ſuperiorem, & illud ſupernatans tellis aranearum ſimile eſt. *Secunda* dicitur, quando eſt pinguidinoſa, ſecundum omnem ſubſtantiam. *Tertia* eſt, quando pinguedo tantùm exiſtit in regione infima urinæ; & ibi deſcendit; quia pars eius tenuis, & aërea fuit reſoluta. Cauſa eſt calor intenſus uſtivus valens diſſolvere ſubſtantiam pinguem noſtri corporis, ut obſervatur in febribus coliquantibus.

Urina oleoſa dicitur, quando in craſitie, & modo ſubſtantiæ ſimilis eſt oleo; duplex eſt, propria, & impropria; propria, quæ manet definita: impropria eſt, quæ ab aliquibus vocatur oleacea, quia in colore aſsimilatur fructibus olivarum, iam tendentibus ad maturationem. Cauſæ ſunt vehemens uſtio conſumens, & liquans ſecundas humiditates, & partes pingues, & tamen bilis flava contrahens craſitiem propter aduſtionem.

Contentum præternaturale dicitur, quando recedit à naturali ſtatu: ergo ſi nubecula, & apendiculum, ut ſint naturales, debent ſervare colorem album, citrinum, aut flavum, infertur, quod cœteri colores, videlicet lividus, niger, &c. Sunt vicioſi, ſeu præternaturales, circa ſedimentum præternaturale idem conſiderandum eſt; & idcirco numerantur variæ ſpecies vitioſi ſedimenti, ut furfuraceum, farinaceum cinericeum purulentum, mucoſum, ſeu ſabuloſum, grumoſum, arenaceum, &c.

SCHOLIA.

EVidentiſsimum eſt, quod ſerum urinæ partim oritur ex alimentis, partimque ex ipſis humoribus noſtrum corpus conſtituentibus iſtud patet, & nemo facilè negabit inſpiciendo mixturam illarum rerum, quæ applicantur pro nutritione corporis noſtri. Hæc enim non quoad totam earum ſubſtantiam ſunt nuritiæ, atque laudabiles, ſed ſcatent varijs partibus heterogeneis, quæ tanquam inutiles debent ſecerni, atque excerni, ſi mixtura noſtri corporis ſalva manere debeat: ergo ſequitur ſerum urinæ eſſe excrementitium capiens originem ex alimentis, tam eſculentis, quam

potulentis, quæ quotidie ingeruntur.

Antequam transeamus ad usus secretionis, & excretionis urinæ ex iam dictis infertur serum urinæ, si ab omnibus degeneribus partibus spolietur, nihil aliud esse, quam pura aqua naturalis, quæ est universale menstrum naturæ, in quo quælibet substantiæ spectantes ad animale, & vegetabile saltem Regnum, & plures etiam, quæ ad minerale attinent, disolutæ contineri possunt, quin illud idem efficiant in sanguine, non est dubitandum; quare primarius usus aquæ in sanguine est, quod contentis omnibus in suo sinu locum præbeat, ea disoluta retineat, & in circuitu secum deferat.

Quia iam enodavimus prædictum serum nihil aliud esse, quam aqua, deveniendum est ad asignandos duos usus secretionis, & excretionis urinæ. *Primus* est, ut corpus liberetur à partibus nimis serosis, natis, tam ex continua conquasatione sanguinis, quam à nimio potu originem trahentibus, sanguinemque nimis diluentibus, ac præcabeantur morbi à copia seri dependentes. *Secundus*, ut partes billiosæ, seu salino-sulphureæ sanguinem nimis resolventes, ac terrestres aptæ ad generandas obstructiones, & hinc contrariæ vitali œconomiæ è corpore expellantur.

Quia tam in statu naturali, quam in præternaturali, aliquando multum mingitur, & aliquoties parum, licet Practicantibus animadvertere causas multitudinis, & paucitatis urinæ. *Causæ multitudinis urinæ* sunt externæ, & internæ. Externæ sunt nimius potus aquæ, aut vini puri, seu diluti; frequens usus alimentorum humidorum, & usus medicamentorum diureticorum, aut aquarum mineralium, quæ abundè promovent urinas. Internæ causæ multitudinis urinæ est liquefatio, seu fusio humiditatum naturalium nostri corpis, attenuatio, & liquefatio succorum crudorum pituitosorum redundantium, ut experimur in cachecticis, & in anasarca correptis, qui copiose mingunt, si salibus utantur enixis, ut tartarum vitriolatum, &c. Etiamque si perennis transpiratio minoretur; quia tunc miasmata transpirabilia secernuntur, derivantur, & per vias urinarias excernuntur.

Causæ paucitatis urinæ etiam sunt externæ, & internæ: *Externæ* sunt contrariæ illis causis exterioribus, à quibus dependet multitudo urinæ. *Internæ causæ* paucitatis urinæ sunt debilitas actionum venarum, renum, & vesicæ, ratione cuius, nec

nec ſecernitur urina, nec excernitur; paralyſis, ſeu ſtupefatio alicuius organici membri, deſtinati ad urinæ ſecretionem, & excretionem, aut obſtructio in aliqua via urinæ ab humore craſo, aut à calculo producta: etiam eſt cauſa, ſi humiditates, aut ſeroſitates evaquentur per alias vias, videlicet per glandulas cutaneas, ut obſervatur in ſudore, & in excedenti tranſpiratione, aut per alvum, ut videtur in diarrhea, & in cœteris alvi fluxionibus: etiam eſt cauſa ſatis principaliſsima vehemens calor præternaturam conſumendo, & exalando humiditates, ſeu ſerum humorum, quæ ſunt materia urinæ, quod frequenter contingit in febribus nimis ardentibus, coliquativiſque.

Verùntamen Practicantes debent conſiderare dari in urina aliud vitium, ſi attendimus ad odorem naturalem urinæ, cuius odor naturalis dum recens mingitur, tantilum habet ingratitudinis ob particulas ſalinas, & ſulphureas conſtrictas in compage ſeroſitatis: ergo in tempore ſanitatis urina moderatè olens eſt, ideſt, nec ſuaviter ſpirat, nec tetrum odorem præſefert. Ideoque memor eſto, quod ratione odoris duplex eſt urina præternaturalis: Una dicitur inodora, quia caret odore, & eius cauſa eſt frigiditas renum, & aliorum organorum; etiam eſt cauſa coctionis debilitas. Altera vocatur fœtida; quia ſtatim ac mingitur ſpirat ingentem fœtorem. Cauſæ urinæ fœtidæ ſunt putridi humores maligni, peſtiferique; aut corruptio alicuius interni viſceris, ut iecoris, lienis, & renum, & tunc accidit; quia in aliquo viſcere eſt ulcus valdè putridum, & præcipue in aliquo rene, aut in veſica urinaria. Claritatis gratia reſtat ſcire, quod in febribus putridis, & intensé malignis percipitur per ſenſorium fœtor ingens, dum à maligna, & peſtifera qualitate ſolvitur mixtura, & compago particularum ſulphurearum, & ſalinarum, quæ in ſtatu ſalutis ſunt conſtrictæ in compage ſeroſitatis: verum tales particulæ ſtatim à principio eius ſecretionis, & mixtionis cum ſeroſitate malè aſſociantur, & cum antè excretionem iam ſulphur ſale aculeatum exhalare inceperit, graviter putreſcit: & de iſto ingenti fœtore ſuo tempore enodabo quanta mala ſignificet, & preſagiet.

)(§)( )(✠)( )(§)(
)(§)( )(§)(
)(§)(

CAPUT XV.

DE CRISI, ET DIFFErentijs eius.

NUmquam studium feci ad obnubilandam crisim, nec esse alienum à secta veterum Medicorum crisim observantium, quamvis criticorum multi, usquequaque rideant, abnegantes crises, & dies decretorios, &c. Non quia iuravi in eorum sententiam; sed quia veritatem tantum amplector, & sequutus ero: nec obstat, ad materiam crisis conservandam in Aulis Medicinæ, quod plures morbi ab initio cum adminiculo Artis destruantur. Certum est multos morbos non commiti naturæ, sed in eorum initio medicamento urinam, vel sudorem movente, purgante benigno, vel sanguinis misione, aut alio educatur causa, aut saltem corrigatur. Nihilominus etiam multoties contingunt crises, nisi ægrotantes, Medici, aut assistentes errores committant circa res idoneas, quæ unicuique attinent; & sic videmus in nostra Hispania febres aliquando subitò solvi superveniente hæmorrhagia, vel sudore, vel alvi fluxu, &c. Ergo nemo criticorum amplius torquet Medicis crisim morborum observantibus.

Venia omnium criticorum transeamus iam ad crisim definiendam, quæ est *subita mutatio morbi ad salutem, vel ad mortem*. Dicitur subita mutatio, & idem sonat, ac victoria naturæ suprà morbum, aut victoria morbi suprà naturam. Ex ista animadversione infertur, quod crisis est duplex, videlicet bona, & mala. *Crisis bona* dicitur illa, quæ ad vitam fit. *Crisis mala* est, quæ ad mortem fit.

Etiam dividitur crisis in perfectam, & imperfectam. *Perfecta crisis* est, quæ dicitur absoluta, quia ægrum integrè liberat à morbo. Ista duplex est, videlicet salutaris, seu bona, & lethalis, seu mala, quæ manent iam definitæ. *Crisis imperfecta* est, in qua æger à morbo integre non liberatur ob relictam portionem materiæ morbificæ, & tunc solum morbus remittitur. Imperfecta crisis dupliciter considerari debet, videlicet bona, & mala. Imperfecta bona dicitur, quando subita fit mutatio morbi ad melius. Imperfecta mala est, quando ad peius fit subita mutatio.

Crisis tam bona, quam mala, & tam perfecta, quam imperfecta dividitur in manifestam, & occultam: *Crisis manifesta* est, quæ visui apparet; ista crisis duplex est: una, quæ fit per excretionem, ut per sudorem, per hæmorrhagiam, &c.

Al-

Altera; quæ per abſceſum fit, dumtaxat per parotides, per bubones, &c. *Criſis occulta* eſt, quæ ſine evaquatione manifeſta in ſenſibiliter fit, ſcilicèt evaquando morbificam cauſam per inſenſibilem tranſpirationem, quæ criſis multoties contingit inpraxi, quamvis ab aliquibus non obſervetur; quia tantum docti, & experti Medici ſciunt morbum terminari ſubitò ad mortem, per inſenſibilem tranſpirationem evaquando, ut videtur in acuta coliquatione inſenſibili; etiamque ſubitò mutari ad vitam, evaquando per talem inſenſibilem tranſpirationem.

Cauſæ criſis ſunt tres, videlicet formalis, efficiens, materialiſque. *Cauſa formalis* eſt irritatio, quam natura patitur per fibrarum ſenſationem, taliter, ut ſine iſta cauſa non poteſt ſequi cauſalitas, ſeu actio cauſæ efficientis. Cauſa efficiens eſt ipſa natura, quæ à cauſis ſuperioribus adiuta concoquit, ſecernit, & excernit morbificam cauſam. *Efficiens cauſa* dividitur in internam, & externam: *interna* eſt illa, quæ facit criſim commovendo, agitando, & ſenſibiliter, aut inſenſibiliter evaquando morboſam cauſam, cum multo utilis materiæ, aut cum pauco eiuſdem, adiuta ab efficiente cauſa externa. Interna cauſa efficiens dupliciter debet conſiderari, videlicet bona, & mala: *Interna bona* eſt ipſa natura, dum eſt fortis ad victoriam; quia ita criſim perfectam ſalutarem cauſat. Interna mala eſt morbus, qui cum ſit valdè malignus, efficit criſim perfectam lethalem cum iuvamine efficientis cauſæ externæ, maleficæ, & infortunatæ.

Efficiens cauſa externa eſt motus, & influxus bonus, vel malus Aſtrorum, ſed præcipuè Lunæ, à qua morborum acutorum motus reguntur. Cauſa materialis eſt humor producens morbum, quem excernit natura per viam, & convenientem regionem; poſtquam ab ea iam ſit coctus, etiamque ab humoribus utilibus ſeparatus.

Practicantes ſcire debent tempus univerſale morbi, in quo oportet criſim fieri: & notando quod criſis lethalis fieri poteſt in tribus temporibus, ut Magiſter noſter Galenus docet in lib. 3. de Criſib. verbis ſequentibus: *Mors autem in tribus temporibus fit, principio, augmento, & ſtatu*: Aſſero criſim bonam fieri in ſtatu univerſali morbi, vel parum ante ipſum, quia quantum criſis diſtat ab ſtatu univerſali, tantum eſt minus ſecura ex eo quod morbifica cauſa ſit minus cocta in nocitivo, & diſpoſita ad ſalutarem excretionem.

nem; ideo ipse Galenus in lib. iam citat. ita loquitur: *Si propter morbi magnitudinem, vel motus celeritatem, vel propter aliquod aliud irritamentum crisis ante statum venire cogatur, tantò hæc deterior erit, quantò statum anticipaverit*: Ergo si natura non facit crisim usque ad particularem declinationem status universalis, tunc magis perfecta erit crisis; quia tunc morbosa causa existit perfectè cocta á natura, & idcirco Hieremias Triberius in lib. 1. aphor. coment. 20. ad istud intentum quàm doctissimè dixit: *Evenit autem omnis bona crisis magna ex parte in posteriore status parte.* Stat optimè dictum in posteriore status parte, hoc est, in declinatione particulari status universalis; igitur natura crisim initiat in status fine, eamque perficit in universali declinatione.

Animadvertendum est, quod in promptu habeat Medicus dies, in quibus totum morbi tempus dividitur; sed antequam fiat eorum divisio, licet notare diem, de quo in Medicina utitur, non esse simplicem, seu solarem, verùm compositum, qui naturalis vocatur, & partim ex die solari, & partim ex nocte componitur; ut enodatè Galenus in lib. 1. de Crisib. cap. 16. notavit per hæc verba: *Diem esse tempus ex die, & nocte compositum.*

Dividuntur dies morbi in quatuor species, dumtaxat in criticos, indicativos, intercalares, seu provocatorios, & vacuos, seu Medicinales. *Dies criticus* est ille, in quo fit subita mutatio morbi; & hic Criticus vocatur perfectus, & radicalis. Notandum est, quod respectu motus, quem per quaternarios facit morbus, dies critici perfecti sunt tres, videlicet dies septimus primæ hebdomadæ, dies decimus quartus, qui est septimus hebdomadæ secundæ, & dies vigesimus primus, qui est septimus tertiæ hebdomadæ.

Dies indicativus vocatur, qui indicat crisim venturam in die critico radicali: & sic dies quartus est indicativus septimi primæ hebdomadæ: dies undecimus indicativus est decimi quarti diei, quia est dies quartus hebdomadæ secundæ: & dies decimus octavus est indicativus vigesimi primi, qui quidem dies est septimus tertiæ hubdomadæ.

Intercalaris dies, seu provocatorius est, qui existit inter dies indicativos, & vacuos. Vocantur intercalares, quia in illis natura solet facere suas crises, sed imperfectas: & ideo tales dies appellantur etiam critici imperfecti, & sic dies tertius, & quintus sunt intercalares dies primæ hebdomadæ, &c. Iam me-

memor esto Hypocratem, scripsisse in lib. 4. aph. 36. in quo refert dies criticos tam imperfectos, quam perfectos; exemplum ponendo circa sudorem: *Sudores febricitantibus si inceperint tertio die boni, quinto, septimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, vigesimo primo, vigesimo septimo, trigesimo primo, trigesimo quarto, hi enim sudores iudicant morbos.*

Dies vacuus, seu Medicinalis est, in quo securè administrari potest omne genus medicamentorum secundum eorum indicationes. Sunt verò tales dies sextus, octavus, decimus, duodecimus, &c. Quia non parvi momenti est ad rectam curationem consideratio dierum Medicinalium, ob id Hyp. Coo prohibet exhibitionem medicamenti purgantis in die impari dumtaxat in die intercalari, & in critico perfecto: Constat ex lib. 4. de Morb. ubi palàm fecit hæc verba: *Purgantia medicamenta diebus imparibus non exibenda; humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus*: Ergo nullus sanæ mentis citra dies vacuos non propinabit medicamentum purgans, nec aliud remedium, quod valeat introducere in humoribus magnam turbationem.

Etiam restat scire computationem dierum criticorum, quæ verò computatio statim à principio particulari principij universalis morbi fieri debet; aliàs nunquam Medicus recta ratione curare potest, ut clarissimus vir noster Hispanus, ac celebratissimus Franciscus Vallesius Complutensis in comentario, sup. lib. de Vict. rat. in acut. exaravit hæc verba: *Iam verò ignorato principio morbi non potest dies decretorios observare, nec tempestivè curare, nec rectè victum instituere*: Ergo computatio vera semper fieri debet ab ea hora in qua incipit Æger læsionem actionum sentire, vel non potuit prandere, vel cœnam assumere, vel ambulare consueto modo, & solita officia exercere: ab illa hora igitur Practicantes facere debent computationem dierum criticorum; quia ista est vera computatio, igitur verum morbi principium stat in illa hora.

Verum est, quod aliqui computationem faciunt ab hora decubitus, non reprobo eam, sed cum distinctione observare licet. Talis computatio non est secura in naturis robustis, & labore assuetis; quia valentes per aliquos dies solent tolerare morbum, donec ab eius vehementia oprimantur. Tunc enim, quia vires delapsæ sunt, isti miseri ægrotantes decumbunt in lecto. Certa, & secura est computatio, quæ ab hora decubitus su-

sumitur in ægrotis debilibus, & molioris texturæ constantibus, qui quidem decumbunt statim in lecto , dum incipiunt sentire aliquam noxam in actionibus, &c.

SCHOLIA.

MAgnæ considerationis est notare , varios motus, quibus morbus moveri potest ad exactam inteligentium crisium : Motus celer est , & tardus : si celeri motu morbus movetur , celeriter accidit crisis:& si tardo motu,tardius apparebit crisis. Ad id multum inters maior , vel minor acuties morbi: pono exemplum in morbo exactè peracuto ; iste habet motum tam velocem , quod feliciter, aut infeliciter in quarto die, aut antea iudicatur , ut Hypoc. in lib. prognost. fatur ita : *Simplicissimæ febres securrissimis signis firmatæ , quarto die , aut citius desinunt , deterrimæ verò quarto die, aut citius interimunt.*

Acuti morbi habent diversos motus, videlicet per quaternarios , per septenarios , & per viginarios. Peracuti morbi simpliciter , acuti simpliciter , & acuti non simpliciter sunt , qui per quaternarios moventur , & servant hunc motum , usque ad diem vigesimum primum, & ut alij malunt usque ad vigesimum tantúm. Acuti ex decidentia secundum eorum extensionem duobus modis moventur ; si solum extenduntur usque ad quadragesimum diem , tunc servant motum per septenarios ; sed si extensionem capiant suprà quadraginta dies , videlicet usque ad octagesimum , aut centesimum diem , tunc moventur per viginarios ; ut contingit in Heropyto , qui laboravit febre ardente usque ad diem centesimum , in quo liberatus est perfectè : de isto ægrotante nihil dubitandum est,quod eius morbus suprà quadragesimum diem moveri cœpit per viginarios.

Animadvertendum est morbos moveri posse per dies pares , & per impares ; qui per pares moventur in diebus paribus terminari debent , ut multoties observatur in pluribus morbis, sed præcipue in sinocha febre, & ideo in lib. 3. de Crisib. dixit Magister Galenus : *Per crisim in quarto die finiunt sinochi.* Veracissima est istaDoctrina,sed non obstat ad id quod morbus , qui per pares dies movetur , terminetur in die impari ; dum satis iam fuit minorata causa morbosa per evaquationes , iam à natura, iam ab arte factas; nec minimè opponitur , quod præcedente imperfecta crisi in die pari postea æger recidivet in die impari ; quia tunc iam motum mutavit

ESTAMP. IIII

FIG. I

Coniunctio

Dodectilus

Sextilis

Quadratum



Trinus

Quincunx

Oppositio



FIG. II

Decubitus
Crisis 4a

intercalar.

indicativus

indicativus

intercalar

Crisis 1a

Crisis 3a

B

C

M

H

A

intercalar.

indicativus

indicativus

intercalar.

Crisis 2a

Perez sculp.

tavit de diebus paribus ad dies impares; & idcirco ſcripſi in meo libro unico aphoriſmorum noviſsimorum, aphoriſmum 69. *Qui morbis per pares moventibus laborant, dum recidivant, in die impari recidivant.*

Verum morbi, qui à principio, motus habent per impares, ſemper in diebus imparibus terminantur: benè dixit Hypoc. Quandò ſcripſit verba ſequentia in lib. 4. de Morbis: *In imparibus diebus morbos iudicari, ulcerum ratio docet, quæ imparibus diebus magna fieri ſolent, nempe tertia, quinta, ſeptima, nona, & undecima.* Non eſt fruſtranea hæc Doctrina, igitur multum neceſſaria eſt ad rectam adminiſtrationem remediorum; quia ſicut & valdè nocuum exhibere purgans medicamentum in die impari in morbo, qui per impares movetur; ita erit eximiè noxiùs, ſi propinetur in die pari in illo morbo, qui per pares movetur; idcirco ille iam citatus famigeratiſsimus Complutenſis Valleſius eximio noſtro Regi Domino Philipo II. glorioſæ memoriæ, dedit purgans medicamentum in quinto die, agnoſcens morbum per dies pares moveri.

Ad hoc, ut criſis ſit bona requiruntur variæ conditiones: *Prima*, quod præcedant ſigna perfectæ coctionis, hoc eſt, quod coctio ſit univerſalis; quia ſi ita non eſt, ſemper periclitabitur æger, ut obſerbavit Hypoc. In Ancilla Pictoris, de qua in lib. 1. epidem. ſect. 2. ſcripſit hæc verba: *Parotides paſſa eſt, quæ optimè ſupurarunt, ipſa tamen obijt.* Quid mirum, quod mortua fuiſſet Ancilla, præcedētibus coctionis ſignis ante criſim per Parotides, ſi talis coctio morbificæ materiæ fuit in parte, & non in toto! Ergo ſtat optimè, quod prima conditio conſiſtat in eo quod cauſa morboſa univerſalitèr ſit cocta, & non reſpectu alicuius partis: igitur tunc temporis, licet morbus ad ſanitatem ſpectet, reſpectu illius partialis coctionis, tamen aliquando accidentia, ratione alterius partis materiæ, quæ corrumpitur, quia eſt cruda, ex acerbantur, ægrumque irruunt in graviſsimum vitæ periculum.

Secunda conditio eſt, quod veniat criſis in ſtatu univerſali, hoc eſt, in eius particulari declinatione, quia in tempore iſto iam perfectè eſt cocta materia morbifica. *Tertia*, conſiſtit in eo, quod criſis ſit indicata; hoc eſt, quod natura in aliquo die indicativo ſignet modum evaquationis, & viam per quam ventura erit, vel modum abſceſi. *Quarta*, quod criſis ſit manifeſta, hoc eſt, quod fiat cum evaquatione aliqua, aut cum

O ali-

aliquo abscessu. *Quinta*, quod succedat in die decretorio. *Sexta*, quod crisis sit fidelis, hoc est, quod non maneant reliquiæ morbosæ, ex quibus timenda sit recidiva; igitur tunc crisis non erit perfecta, quatenus remanent dispositiones ad recidivandum, & ideo Doctissimus Fonseca in coment. aphor. 20. lib. 1. scripsit verba sequentia: *Si enim non perfectè iudicetur morbus, necesse est relinqui in humore, vel in membro dispositionem ad morbum.*

Septima conditio est, quod sit secura, hoc est, quòd fiat cum ægrotantis conferentia, & tolerantia, & absque gravibus simthomatibus; quia si tolerantia deficit, est medium ad hoc, ut illa accidentia, quæ in universali statu apparent ante adventum crisis, de medio tolant ægrotantem; rite agnovit Hieremias Triberius, quandò in coment. aphor. 30. lib. 2. dixit: *Accidentium fortitudo sæpè ægrum interimit in statu.* Quia istud contingere potest, quamvis præcedant perfecta signa coctionis; igitur non obstat perfecta coctio ad evitandum obitum ægri, quatenus evidentissimum est impetum fortem naturæ in hora pugnæ circa victoriam contra morbum, excitare tàm vehementiora simpthomata, quod materia morbifica, quæ est velut turgens ad hoc ut per regionem convenientem excernatur, prius firmetur in aliqua parte principe, quam extra corpus educatur.

Octava est, quod in illa crisi, quæ per evaquationem fit, speciei, & morbi naturæ repondeat; hoc est, si morbus biliosus est, quod evaquatio sit biliosa. Si pituita, pituitosus, &c. v. g. febris tertiana à bile pendens, in ea respondent illæ evacuationes, quæ per sudorem, & excretiones biliosas fiunt: Testis est Magister Galenus, qui in cap. 3. lib. 3. de Crisibus fatur hoc modo: *Ita & tertiana vomitibus, & excrementis biliosis, & sudoribus toto corpore fluentibus finiri debet.* Nona, & ultima conditio est, quod respondeat tempori anni, & ægrotantis ætati; v. g. causus, qui in ætate iuvenili, & adolescentiæ, per fluxum sanguinis narium iudicatur; in senescente ætate minimè foret bona talis evaquatio critica per nares; igitur debet terminari per hemorroidarum sanguinem.

Ultimò scire restat, per quas evacuationes natura solet facere crisim excretoriè: plures sunt, videlicet: *Per sudorem, per fluxum sanguinis narium, per sputum, & salivationem, per vomitum, per alvi fluxum, per urinam, per menstrualem evacuationem,*

nem, & per hemorroidas. Omnes istæ diversæ evacuationes sunt simplicitèr necessariæ ad hoc, ut crises diversorum morborum fiant per excretiones utiles, & eorum naturis convenientes: Doctissimus Vallesius in coment. aphor. scripsit istam animadversionem: *Non omnes evacuationes morbis omnibus æquè sunt utiles, sed cuique suæ propriæ, quare ad morbum ea est conveniens evacuatio, quæ talem morbum solet iudicare*. V. g. evacuatio per sputum iudicare solet pleuritidem, peripneumoniam, & alios morbos cavitatis vitalis, & sic debet intelligi de alijs affectionibus aliarum regionum nostri corporis.

CAPUT XVI.

DE SUDORE, ET EIUS differentijs.

SUdor *est effluvium serosæ substantiæ sub aquæ forma, per vascula excretoria cutis extra erumpentis*. Causæ sudoris in communi sunt tres, videlicet efficiens, materialis, & instrumentalis. *Causa efficiens* saltem sudoris naturalis est calor, v. g. à sole, igne, exercicio, integumentis, &c. Quo sanguis magis agitatur, & diffunditur per habitum corporis, arteriarum oscula plus aperiuntur prope cutem, & serosæ particulæ magis flexiles, minusque alijs adhærentes per illa excurrunt, & aliam humiditatem, si quæ ad cutem lateat, fundum cutisque poros pervadunt; sed quia non satis liberè, & celeritèr pluribus earum particularum ad se invicem conglomeratis, illæ in guttas condensantur, & sic sequitur sudor: Verùm si non conglomerarentur, abirent per insensibilem transpirationem, & non sub forma sudoris.

Causa materialis sudoris est, illa substantia, quæ evaporationi aptior est, & idcirco tam potulenta substantia, quam serum humorum sunt eius causa materialis; quod potulenta substantia sit materia sudoris, patet experientia; tum quia in æstivali tempore, si aqua bibatur copiosè, statim copiosus sudor subsequitur: Tum quia in sudoribus superfluis aquæ potus prohibetur: Tum quia ex nimio sudore evenit sitis; quod serosa substantia sit sudoris materia, tamen constat experientia: Tum quia eis, qui sudaturi sunt, prius urina suprimitur: Tum quia serum habet magnam convenientiam cum potulenta substantia, seu aqua, à qua conservatur serum humorum, & totius massæ sanguineæ fluxilitas.

Instrumentalis causa est corium humanum, tamquàm uni-

versale emunctorium, per quod excernuntur sanguinis impuritates, & reliquorum humorum superfluitates, sub forma sudoris, & insensibilis transpirationis, quia totum est plenum foraminibus, quæ pori appellantur, tandemque inveniuntur organa, quæ sunt glandulæ miliares, subcutaneæ cum capilaribus venis, arterijs, & limphaticis vasibus.

Plures sunt differentiæ sudoris, sed ad vitandam obscuritatẽ enodabo tantùm necessarias. Primò dividitur sudor in spontaneũ, & non spontaneum. *Sudor spontaneus* est, qui ordinarium tempus habet, & tantùm à natura fit. Iste sudor est qui à Priscis Medicis vocatur tertiæ coctionis excrementum, quia sequitur iam peracta nutritione; sed animadvertendum est hunc spontaneum sudorem in primis erumpere post mediam noctem versus diluculum. *Non spontaneus sudor* dicitur, qui à causis externis pendet, videlicet ab exercicio, ab igne à solis calore, &c. Et nullum ordinarium, seu determinatum tempus habet. Rursus dividitur sudor in continuum, & interpolatum: *Continuus* est, qui continuò propellitur per totum decursum morbi, ut apparet in illa febre, quæ Elodes, seu sudatoria vocatur, quia in ea sudores perpetuó funduntur. *Interpolatus*, seu *periodicus sudor est* ille, qui fit per periodos, ut ille qui advenit in declinationibus febrium accesionalium, & intermitentium.

Ratione substantiæ duplex est sudor, duntaxat tenuis, & crassus, seu glutinosus. *Sudor tenuis, perlucidus, diaphanus*, seu *aquosus* est, qui cum coctione materiæ fit à natura in eius bonitatem. *Crasus, lentus*, seu *glutinosus* dicitur ille, qui cum viscositate, & unctositare in coliquantibus febribus apparet.

Aliæ duæ differentiæ sudoris capiuntur à quantitate, scilicet copiosus, & paucus. *Copiosus* sudor est, quando abundè excernitur per poros cutis serosa substantia. *Paucus* sudor est, quando prædicta substantia in parva quantitate excernitur.

A qualitate tactili sumuntur tres differentiæ, scilicet calidus, moderè calidus, & frigidus: *Sudor calidus* dicitur ille, qui intensè percipitur calidus, seu ardens, qui est præternaturalis, ut Diaphoreticus. *Moderatè calidus* est, qui neque frigidus, neque ardens tangitur, & iste dicitur naturalis, quia constat calore proportionato. *Sudor frigidus* dicitur, quando substantia sudoris tactui frigida apparet, & non solum hæc substantia, sed etiam cutis.

A qualitate gustabili, seu sapo-

pore accipiuntur variæ differentiæ ſudoris, ut ſalſus, intensè ſalſus, amarus, &c. *Sudor ſalſus* eſt, qui dependet ab admixtis particulis ſalinis cum ſero; hic ſudor dicitur naturalis, quia tantùm in ſtatu naturali percipitur ſuavis, & moderata ſalſedo. *Intensè ſalſus*, qui præternaturalis eſt tantùm experitur in varijs morbis à nimia copia particularum ſalinarum pendentibus. *Amarus* vocatur, quando in illo amaritudo percipitur. Ab odore etiam eſt duplex alter fœtidus eſt, alter non fœtidus.

A loco ſumuntur duæ differentiæ ſudoris, duntaxat univerſalis, & particularis. *Univerſalis* eſt, qui ab univerſo corpore excernitur. *Particularis* eſt, quandò ſudor tantùm erumpit ex parte aliqua determinata, v. g. à capite, à colo, & thorace, &c.

Plures differentiæ ſudoris accipiuntur ratione temporis, ſed quia tantum eget Medicus de differentijs ſudoris, quæ ſumuntur ratione temporis diei, & temporum morborum, licet omittere alias differentias. A tempore diei naturalis duplex eſt ſudor; diurnus, & nocturnus. *Sudor diurnus* dicitur, quia advenit in tempore diei ſolaris, ſivè ſit in tempore ſanitatis, ſivè in tempore morboſo. *Sudor nocturnus* eſt, qui per noctem, & in ſomno fit tàm in ſanis, quam in ægrotis. Ratione temporum morborum fit ſudor, vel in eorum principijs, vel in augmentis, vel in ſtatibus, vel in declinationibus.

Etiam dividitur ſudor in criticum, & in ſimpthomaticum. *Criticus*, qui naturalis, & ſalutaris eſt, dicitur, quando propellitur in naturæ propuſione, roboreque facultatis expultricis, qui inducit ægrum ad ſalutem. *Simpthomaticus* eſt, qui inducit ægrum ad peius, vel ad mortem; & quia in principio morbi apparet, aut ante ſigna coctionis nominatur præternaturalis, & inſalubris.

Simpthomaticus ſudor eſt duplex, videlicet diaphoreticus, & ſincopticus. *Sudor diaphoreticus* dicitur, quando evaquatur præter ſerum alimentitia; & ſpirituoſa ſubſtantia noſtri corporis, ratione cuius celeritate fertur æger in periculum, vel in mortem. *Sincopticus ſudor* eſt, in quo reſolvitur materia rorida, & glutinoſa corporis cum maxima copia ſpirituum.

Cauſa ſudoris tenuis eſt moderata conſiſtentia ſeroſæ ſubſtantiæ. Hoc eſt, conſiſtentia aquæ; quia ſudor bonus, qui tenuis eſt, nihil aliud eſt, quam quædam urina tenuis, à qua non differt, niſi propotrione contentorum, & tenuitate partium. Cauſa craſi, ſeu glutinoſi ſudoris

ris est calor intensus, ustivus valens coliquare; & ideo frequentèr apparet in febribus nimis ardentibus.

Causæ multi sudoris sunt copia seri, & moderata pororum apertio. Moderatam dico, quia nimia apertio plus concurrit ad insensibilem transpirationem, quia serum non facit moram, quæ necessariò requiritur ad hoc, ut condensentur in guttas partticulæ illæ iam antea præscriptæ. Causæ paucitatis sudoris sunt nimia constrictio pororum, paucitas seri, nimia excretio urinæ, & abstinentia potus, usùsque siccorum alimentorum.

Causæ sudoris frigidi sunt copia humorum crudorum frigidorum, extinctio caloris nativi, spirituumque vitalium illarum partium à quibus sudor emanat. Etiam solet esse causa mortificatio, seu gangrenismus in aliqua interna parte vehementèr inflammata, vel intenso dolore aflicta; ob idque cutis pori fiunt strictiores ob nimiam rigiditatem fibrarum, & propter defectum spirituum, & caloris, qui versus partes extimas in parva copia transmituntur, & tunc particulæ seri, quæ ex habitu corporis, vel arterijs advehuntur, tardius emituntur per poros à miliaribus glandulis.

Causæ sudoris amari sunt plurimæ particulæ salinæ, quarum maximè serum saturatum est, & disolutio bilis præternaturam in substantia serosa. Causæ sudoris fœtidi sunt humores putridi, & maligni in corpore redundantes, & putridum ulcus pulmonum, vel alterius visceris.

Causæ sudoris nocturni sunt duæ, internæ, & externæ. *Externæ* dicuntur abusus potus, & alimentorum nimis humidorum, augendo materiam sudoris, & aer australis, seu meridionalis; qui capax est rarefaciendi poros cutaneos. *Internæ causæ* sunt tres. *Prima* est coluvies serosa, quia luxurians serum, copiosè in somno sudamus. *Secunda* est intemperies calida jecoris, aut alterius visceris; evidentissimum est, quia si noctu sæpè sudant sani donati calido temperamento, multo melius, efficatiusque sudabunt in statu præternaturali, si patiuntur prædictam intemperiem. *Tertia causa* est discrasia sulphurea, & inflammabilis sanguinis, quæ efficit, ut corpora sudent, dum ad somnum iam sunt disposita. Verum nocturni sudores producuntur ab ista causa, etiamque ab improportionato chilo in hecticis, empiematicis, & ptisicis.

Causæ sudoris critici sunt tres. *Prima* est calor naturalis potius convinatus humiditatis quàm

quàm ſiccitati; & quia tali calori, & humiditati commixti, ſunt plurimi ſpiritus, ab eis agitatur, & in vapores vertitur ſerum; qui tranſmiſsi ad glandulas miliares ſubcutaneas, ibi in ſudorem vertuntur. *Secunda* eſt fortitudo facultatis expultricis vaſorum ſanguineorum, quæ ſtimulata nititur expellere morboſam cauſam verſus glandulas milliares, & cutaneos poros. *Tertia cauſa* eſt calor ambiens temperatus, & humidus, qui multum confert ad generationem materiæ ſudoris, & ad eius excretionem promovendam, habitum corporis relaxando, & eius poros rarefaciendo. Veritas huius cauſæ conſtat experientia, ex qua accepit Hypoc. fundamentum ad ſcribendum in lib. 3. hunc aphoriſmum: *Quando æſtas veri ſimilis eſt, plures ſudores in febribus expectare oportet.*

Cauſæ ſudoris ſimpthomatici ſunt tres: *Prima* dicitur multa materia morbifica, ſeu magna redundantia ſubſtantiæ ſeroſæ, & quia natura eam non poteſt ob multitudinem ſubſtinere, excitat ſtatim à principio morbi tumultuoſos ſudores. *Secunda* eſt imbecilitas facultatis retentricis; & quia eius fibræ ſunt nimis laxæ, nec retinet ſerum, nec alias ſubſtantias, quæ uſque ad opportunum tempus retineri debebant; & ideò ab expultrice facultate per ſudorem evacuantur. *Tertia* eſt impetus naturæ fortis, quæ ſtatim à principio univerſali morbi ſtimulata ab acrimonia, & mordacitate humorum, ſeroſæque ſubſtantiæ, impellitur ad promovendos ſudores immodicos, antequàm adminiculans ſit: igitur eius adminiculatio conſiſtit in eo quòd inutile iam ſit ſegregatum ab utili ſubſtantia.

Cauſæ ſudoris diaphoretici ſunt duæ, videlicèt vehemens calor ſulphureus, coliquativuſque, & fortis inflammatio interna, à qua multoties vaporoſa ſubſtantia, per poros cutis reſolvitur ſenſibilitèr.

Cauſæ ſudoris ſincoptici etiam ſunt tres: *Prima* eſt debilitas eſſentialis facultatis vitalis, ratione cuius deficiunt ſpiritus. *Secunda* eſt extinctio caloris vitalis, & ſpirituum, dùm à nimia quantitate cauſæ morboſæ opprimuntur, & ſuffocantur. *Tertia* eſt nimia diſipatio, ſeu reſolutio ſpirituum, & naturalis caloris, ut experitur in eis, qui præcedentibus immodicis, & repentinis evacuationibus incidunt in ſincopem.

Pro calce huius capitis animadvertere oportet finem ſudoris boni, critici, & naturalis: finis eius, ſeu uſus eſt, ut liberetur corpus à partibus ſeroſis ſuperfluis, & ſummè agilibus ſali-

linis, & sulphureis, præ cæteris omnibus aptis, ad sanguinem disolvendum. Etiam ut hoc ipso conservetur corporis alacritas, & membrorum levitas, quæ cessant statim sudore suppresso; etiamque ut præcaveatur corpus à pluribus morbis ortum trahentibus, propter stagnationes, & corruptiones seri.

CAPUT XVII.

DE SPUTO, ET SALIVA.

S*Putum est illa mucosa substantia, quæ ab ore excernitur cùm tusi.* Differentiæ sputi sunt plures: à substantia capiuntur tres differentiæ: primum sputum est tenue; secundum crasum, & viscidum; & tertium dicitur spumosum. Animadvertendum est, quòd inter crasum, & tenue datur alia species, videlicèt sputum moderatum, seu mediocre, & quia habet moderatam crasitiem dicitur naturale.

A quantitate sumuntur varia sputa, scilicèt pauca, & copiosa, seu multa. *A sapore* aliud sputum est dulce; aliud salsum, aliud accidum, aliud amarum, &c. *A colore* unum apparet album; aliud rubrum; aliud nigrum; aliud viride, &c. *A figura* alia sputa sunt rotunda, seu globosa, & alia plana.

Causæ prædictorum sputorum sunt variæ, quæ facilè inferri possunt, si Practicantes certam cognitionem habeant modi, quo diversi humores præternaturales in nostro corpore gignuntur, & de eorum coloribus tàm naturalibus, quàm præter naturam exactam noticiam in promptu teneant.

Saliva apud omnes vocatur illa substantia serosa, quæ sine tusi ab ore excernitur, & ideò ita definitur: *Est saliva humor serosus ex ductibus salivalibus stilans.* Duplex est saliva, videlicèt naturalis, & præternaturalis: de naturali non est sermo in præsenti; quia de illa tractabo in lib. 2. huius operis; dùm loquar de Anatomia Medico necessaria.

Præternaturalis saliva dicitur, quæ vitiosa est, & quia plurimis modis vitiatur, transeamus ad enodandas eius differentias. *A substantia* est triplex, scilicèt saliva tenuis, viscida, & spumosa. *A quantitate* saliva alia est copiosa, alia pauca. *A sapore* alia dicitur salsa; alia acci da; alia amara; alia austera; alia insipida, &c. Licet notare, quòd causæ harum specierum salivæ præternaturalis sunt variæ, secundum diversam discrasiam masæ sanguinis; quia qualis ista fuerit, consequentèr erit talis salivæ vitium; ut significabitur in tractatu tertio de Semyotica, dùm agam circa signa diagnostica, & prognostica.

CAPUT XVIII.

DE SUCCESSIONIBUS morborum.

FRequentisſimum eſt unos morbos ſuccedere alios, & minus vetuſtum non eſt, quia circa ſucceſsiones tales, tum paſim legitur in libris magni Hypoc. tum in lib. de ortu, & interitu cap. de agere, & pati, etiam Ariſtot. memor eſt huius doctrinæ, quando ſcripſit ſequentia aurea verba: *Solent enim morbi in alias ſpecies converti, non diſsimiles, & non ſolum in illis hominibus, quibus impertiuntur; ſed quod magis mirum videri debet in eodem homine.*

Quia parvi momenti non eſt enumerare morborum ſucceſſiones, converſiones, ſeu mutationes unius morbi in alium, vergere debeo ad diviſionem ſucceſsionis, quæ duplex eſt; videlicet mutatio morbi in melius, & in deterius. *Mutatio in melius* eſt, quando convertitur morbus periculoſus in alium non periculoſum; v. g. dùm morbus exactè peracutus in chronicum mutatur, ut videmus in apoplexia, quæ frequenter convertitur in illam paralyſis ſpeciem, quæ vocatur emiplexia. *Mutatio in deterius* eſt, quando morbus licet acutus, & periculoſus ſit, convertitur in periculoſiorem morbum; v. g. dùm eriſipelas mutatur in gangrenam; pleuritis in peripneumoniam; empiema in ptiſim, &c.

Verùm eſt, quod morbi convertuntur ad alios, & alter alteri ſuccedit, graduatimque; & quia tam verùm eſt, oportet non ignorare ſucceſsiones morborum fieri propter directionem, & rectitudinem partium cum partibus: pono exemplum in diſſenteria, & in colico dolore. Diſſenteria malè curata, hoc eſt, ſuppreſſa ante tempus debitum, vel ab arte, vel à natura ſolet mutari in dolores artuum vehementes, &c. quod iam Hypoc. in lib. de Coac. animadverſit per hæc verba: *Diſſenteria intempeſtivè ſuppreſſa abſceſſum in coſtis, aut in viſceribus, aut in articulos facit.* De colico dolore multa narrare poſſem, ſed ſatis eſt memoriam facere hiſtoriæ, quam refert Hypoc. de illo viro, qui patiebatur dolorem in dextera parte coli, quia quando dolor ad articulos defluebat, dolor coli, quietior erat: & ideò doctiſsimus Duretus in pag. mihi 223. docet, quod *colici, & diſſenterici non rarò fiunt arthritici.*

Ad clariorem intelligentiam ſucceſsionis morborum animadvertere reſtat, quod fit dupliciter ſucceſsio, dumtaxat

per transitum, & per simpatiam. *Successio per transitum* est recursus humoris magisterio naturæ susceptus, & ad optatum finem perductus primigeniorum morborũ tutissimus Medicus. Exemplum habemus in dissenteria, & in diarrhea, quia sistuntur per vomitum spontaneum, & multoties per artificiale vomitum, ut videmus in propinatione illius radicis, quæ vulgò *Bejuquillo* vocatur.

Successio simpatica est, quæ fit per simpatiam, & societatem, sive etiam veniat per propagationem morbificæ causæ, adhuc manente primigenio morbo, & foco.

CAPUT XIX.

DE RECIDIVA, ET EIUS differentijs.

RECIDIVA dicitur dùm convalescens in pristinam ægritudinem retrocedit. Duplex est recidiva, scilicet propria, & impropria: propria est: *Redditus eiusdem morbi soluti ex toto paulò anteà, in se ipsum ex vi soluti morbi.* Impropria est: *Quæ sine omnimoda remissione morbi supervenit.*

Recidiva propria dividitur in legitimam, & illegitimam. *Legitima* recidiva est, quæ oritur ex materia relicta post imperfectam iudicationem morbi recidivantis. *Illegitima* est, quæ occasionaliter oritur ex vi morbi recidivantis: duplex est recidiva illegitima, una, quæ à causis internis provenit, ut ab intemperie calida jecoris, aut ab obstructione in aliqua parte regionis naturalis relicta. Alia, quæ fit ab externa causa, ut ab indebita victus ratione, &c.

Legitima recidiva dividitur in benignam, & in malignam, seu pravam: *Legitima benigna* dicitur, quando reddit morbus cum simpthomatibus benignis, & securis; si in primo insultu salubria fuerunt signa. *Maligna legitima* est, quæ supervenit antequam in primo insultu præcesserint pernitiosa, & lethalia simpthomata.

Causa recidivæ legitimæ dupliciter considerari debet, dumtaxat immediata, & coadiuvans: *Immediata* causa, seu proxima est materia morbifica ex primo morbi insultu relicta post iudicationem imperfectam, ut Hypoc. in aphor. 12. lib. 2. ita fatur: *Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidivas facere consueverunt.* Ratio est evidens, quia materia post iudicationem relicta nequit sine aliqua alteratione permanere, necesse est, ut putrescat, & febris superveniat: istud verissimum est; igitur in foco putredinis adhuc

huc manet intemperies, etiamque in ipsis humoribus relictis nondum regulatis; ratione cuius intemperiei iterum recalescunt, & putredinem contrahunt novam.

Causa *coadiuvans* appellantur errores, qui tam ex parte Medici, quam ex parte assistentium, & ægroti possunt commiti: ex parte Medici adhibendo medicamenta in tempore, in quo debet cessare; quorum adhibitione impeditur perfectum iudicium morbi: ex parte assistentium, quando extra occasionem utuntur remedijs à Medicis dispositis, vel exhibendo intempestivam potionem aquæ frigidæ, &c. Ex parte ægroti potest etiam impediri iudicium perfectum morbi ob varios errores, videlicet ob inobedientiam circa oblata, ob inquietudinem, & varias animi passiones; aut ob nimium usum cibi, aut potus, &c.

Animadvertendum est recidivam, & primum morbi insultum esse eundem morbum in numero, quia morbus legitimè recidivans est redditus in se ipsum, pendens ab eadem numero causa materiali, & ab eadem alteratione materiæ: Certissimum est, quod dictum manet, quia sic se habent primus insultus morbi recidivantis, & eius redditus, sicut diversæ accessiones febris tertianæ, aut alterius intermitentis; sed tertiana una numero est, quæ adintegratur ex diversis accessionibus, & intermissionibus inter ipsas: ergo insultus primus morbi recidivantis, intermisio, & recidiva sunt numero unus morbus.

Licet notare unum magnæ considerationis, ne se decipiant Practicantes in præcavenda recidiva, adhibendo auxilia, quæ agnoscunt utilia ad præcautionem: Charitatis opus est præcavere ægrum ab imminente periculo; verùm etiam Medici sese debent præcavere, ne eis recidiva imputetur, & maior calamitas est, si veniente recidiva periclitatur æger; quia tunc frequentius est Medicos incidere in calumnias vulgi: & ideo nulla evacuatio debet tentari, quando timetur legitima recidiva; sed tantum vires ægroti servare, ut valentes sint, dum recidiva accedat; quia cum evacuationibus plus enervantur vires, quæ adhuc non sunt satis instauratæ post primum morbi insultum

)(§)( )(✠)( )(§)(
)(§)( )(§)(
)(§)(

 CA-

CAPUT XX.

DE SIMPTHOMATE, ET eius differentijs.

SImpthoma, seu accidens ab aliquibus *est effectus morbi, seu morbus morbum sequens*: Ex hoc infertur, quod duplex est simpthoma, scilicet proprium, & improprium. *Proprium* est effectus præter naturam sequens morbum, sicut umbra corpus. *Improprium* dicitur, quando unus morbus sequitur alium.

Simpthoma proprium dividitur in tres species, videlicet in actione læsa, in qualitate mututa, & in excretis. *Actio læsa*, quæ prorsus non fit, aut saltem non uti deberet. Scire licet genera actionis læsæ esse tria, videlicet diminuta, depravata, & abolita. *Actio diminuta* est, quæ debilis fit, quam naturaliter fieri debet, ut minor appetitus in ægro. *Actio depravata* est, quæ habet aliquod speciale vitium, sivé interim simul fiat languidius, sivé non. *Actio Abolita* est, quæ prorsus non fit, ut visus abolitus in catarata, & in gutta serena; motus abolitus in apoplexia, &c.

Simpthoma in qualitate mutata, seu aliena, est qualitas præter naturam in partibus solidis corporis profluens à morbo. Duplex est hoc simpthoma, dumtaxat sensibile, & insensibile. *Sensibile* dicitur, quando qualitas mutata est sensibilis per se, & hæc quintuplex est, scilicet visibilis, audibilis, odorabilis, gustabilis, & tangibilis. *Visibilis*, v. g. est color flavus oculorum, & cutis in morbo regio. Color palidus, vel albus ex retentione mensium in virginibus, &c. *Audibilis* est, v. g. dentium stridor, tintinus, & strepitus aurium, borborygmus intestinorum, &c. *Odorabilis* est, v. g. fœtor narium in ozena, fœtor ulcerum putridorum, fœtor præternaturalis inginum, alarum, aut pedum. *Gustabilis* est, v. g. sapor linguæ amarus, vel salsus, &c. *Tangibilis* denique est, v. g. quævis intemperies, ut molities, durities, asperitas, levitas, vel vitiata magnitudo, vel figura, vel situs vitiatus, ut in prolapsu uteri, &c.

Dicitur *insensibile simpthoma*, quando aliena qualitas insensibilis est, v. g. morbus aliquis sequens alium, qui sub nullo alio simpthomatis genere melius cõprehenditur, quam sub hoc. Est autem morbus per se insensibilis, quia non est, nisi quædam constitutio præter naturam, eaque sensu non percipitur, saltim ut medicé concipitur.

Simpthoma in excretis, & *retentis* est vitium, quod præter naturam in excretis, & reten-

tis profluit à morbo. Oportet ſcire quid intelligi debeat per excretum, & eſt quidquid egeritur ex corpore vivente, hoc eſt, non illud tantum, quod in ſanis ex chilo, & ſanguine ſolet continùo decidi, ſed, & omne, quod non niſi ab ægris excernitur; idque peccat tota ſubſtantiá, vel quantitate, vel qualitate, vel excretionis modo, vel excretionis tempore.

Vitium excretorum, & retentorum, eſt quintuplex, ſcilicet ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, modi excretionis, & temporis excretionis. *Excretum dicitur peccare tota ſubſtantia*, quando ſubſtantia, ſeu toto genere præter naturam eſt, illudque ſolum, ut calculus, vermis, inteſtinorum ramenta in diſenteria, &c. *Vitium quantitatis*, eſt quando auctè, vel diminutè fit excretio, ut in menſtruali evacuatione ſanguinis dum nimia, vel nimis parva fit, &c. *Vitium qualitatis* eſt, ut fœtor nimius, vel color alienus in ſudore, in urina, vel in deiectionibus ventris. *Vitium modi excretionis* eſt, v. g. dum excretio fecum fit, per os in paſsione iliaca; excretio ſanguinis menſtrui per pulmones, & os fieri contingit. *Vitium temporis excretionis* eſt, v. g. quando excretio ſanguinis menſtrui citatior, vel tardior fit, &c.

SCHOLIA.

ANimadvertendum eſt, quod verum ſimpthoma debet ſequi recte morbum, tanquam ſuam cauſam, idque proximè, vel remotè ſaltem, unde datur ſimpthoma proximé ſequens morbum, ut ſuperius iam aſsignatum eſt, & datur non ſequens illum proximè, v. g. ſimpthoma ſimpthomatis, ſeu proximè ſimpthoma ſequens, ut imaginatio depravata, quatenus ſequitur motum ſpirituum in gyrum in cerebro factum ulterius per morbum organicum, ſeu per nimiam anguſtiam nervorum opticorum, ſic ut ob eam ſpiritus ab illis reſilientes motum gyralem ineant. Simpthoma autem non verum poteſt etiam ſequi cauſam morbi, ſed revera non eſt, niſi coefectus morbi. Sic à re vehementer corrodente carni applicata, eodem prorſus tempore fit ulcus, & dolor, qui poſteriores vocari ſolent ſimpthomata cauſæ.

Igitur actio læditur, cum augetur, vel diminuitur, aboletur, vel depravatur, notare debemus, ad clariorem intelligentiam læſarum actionum res aliquas non parvæ conſiderationis; ideoque inter actiones læſas naturales, primo fames examinanda eſt; cuius læſio quadrupli-

pliciter consideratur: *Prima*, quæ est deffectus appetitus, vocatur Anorexia. *Secunda* læsio dicitur fames diminuta: *Tertia* fames canina appellatur: *Quarta* nominatur pica malatia dicta, seu appetitus depravatus, ut in fœminis appetentibus carbones, cinerem, gypsum, &c.

Circa coctionem, seu fermentationem alimentorum aliquid notandum est de eius læsione: *Primo* læditur, cum augetur, citiusque contingit. *Secundo* dum diminuitur, lentiorque fit, & quidem in ventriculo non fit legitima mutatio, sed longiori tempore, quam par est, ibi detinentur alimenta, & moratur coctio. *Tertio* dum chilificatio aboletur ob deffectum agentis coctionis, vel ob illius vitium, ut experitur in Apepsia: *Quarto* quando depravatur, cum nimirum in ventriculo cibus ita mutatur, ut inde producatur noxium nutrimentum, & exinde sequitur cruditas, quæ à Priscis Medicis dicitur *Nidorosa*, & à recentioribus vocatur *Nitrosa*, in qua ad os assurgunt fœtidi halitus, qui nares afficiunt: aliaque produci solet cruditas acida, quia emitit ructus acidos, ac afficit linguam acido sapore.

Non licet tradere oblivioni augeri ventriculi expulsionem cum læsa ipsius retentione, ut in lienteria, quia consistit in propulsione assumptorum ad intestina, quin eorum coctio præcedat. Etiam scire licet, quod depravatur expulsio ventriculi, dum eius motu perverso, omnia in eo contenta per gulam, & os excluduntur, ut videmus in vomitu.

Oportet sapere excretionem intestinorum lædi, quoties depravatur talis eorum excretio: *Primo*, ut experitur in cholera morbo, ubi humores biliosi magna copia excernuntur per utrumque orificium vehementibus præcordiorum anxietatibus. *Secundo* læditur in affectione iliaca, dum propter inversionem peristaltici motus fæces per os reijciuntur cum alijs gravissimis simpthomatibus.

Dignum est, ut aliquid loquamur circa actionis læsionem attingentis ad vitalem facultatem: Motus cordis læditur tripliciter: *Diminutus* est eius motus, ut accidit in lipotimia: est *depravatus*, ut videtur in febre, & in palpitatione cordis: & est *Abolitus* cordis motus, ut in sincope experitur, in qua pulsus, & respiratio ad sensum toluntur.

Pro calce huius capitis necessum est aliquid animadvertere de læsione actionum, seu functionum facultatis animalis: occurrit somnus, qui læditur in comate tam simplici, ut somnus pro-

profundus, qui carus vocatur; quàm composito, ut in cataphora, seu comavigil. Læditur in letargo, qui planè oppositus est phrenitidi; etiam læditur in apoplexia, tandemque in somnambulatione, in qua dormientes surgunt è lecto, & varia vigilantium opera exercent. Antequam transeamus ad narrandum aliquid circa sensus internos, volo dicere brevissimè de tactus læsione, qui tripliciter læditur; *Primo* observatur in stupore, seu narcosi, quia læsio eius consistit in diminutione sensus, & motus partium nervosarum, circa corporis superficiem: *Secundo* videtur in scabie, quæ est cutis scabrities: *Tertio*que in pruritu, seu voluptate dolorifica cutis cum continuo conatu scalpendi.

Ultimo debemus accedere ad sensus internos, qui varijs modis læduntur: *Primo* in delirio, cuius nomen est generale, quia sub se comprehendit varias species morborum, ut insaniam, dementiam, desipientiam, &c. Quæ omnia supponunt ratiocinium depravatum: *Secundo* læduntur interni sensus in phrenitide, cuius delirium est cum furore: *Tertio* in melancholia morbo, cuius delirium est cum timore, & tristitia: *Quarto* in mania, cuius delirium est cum furore, & audacia: *Quinto* in lycanthropia, quæ dicitur insania lupina, seu canina; quia ægri noctu domo egresi vrbem circumeunt, & luporum instar delirant, fugiuntque die homines vivos, verum noctè mortuos insequuntur: *Sexto* in hydrophobia, seu rabie cuius delirium consistit in aquæ timore.

CAPUT XXI.

DE EVAQUATIONE SIMPthomatica, & eius differentijs.

QUamvis evaquatio, seu simpthomatica excretio, & simpthoma in excretis idem sint, nihilominus Practicantes ad rectam praxim multo indigent, ut in præsenti capite specialiter agamus de simpthomatica evaquatione, & differentijs eius. Verùm tam necessarium est hoc scire tam per minima, quod sine exacta intelligentia nescient Medici, quando tales evaquationes debet permitere, iuvare, & cohibere.

Istud iam suppositum, accedamus ad definiendam evaquationem simpthomaticam, & est illa, *quæ advenit ante tempus coctionis, ratione cuius evaquantur humores in illo tempore in quo retineri debebant.* Evaquatio simpthomatica dividitur in utilem, seu bonam, & in inutilem, seu malam.

Eva-

Evaquatio utilis, seu bona, est illa quæ fit cum virium robore, in qua multum materiæ inutilis evaquatur, & parum utilis; & facta evaquatione simpthomatica vires adhuc remanent sufficientes ad coquendas reliquias humoris remanentis.

Evaquatio simpthomatica est inutilis, seu mala, quæ fit cum virium imbecillitate, in qua multum evaquatur utilis substantiæ cum materia inutili; & post evaquationem remanent vires debiliores, taliter ut reliquias remanentis humoris concoquere non posint.

Est verò notandum, quod bonitas simpthomaticæ evaquationis stat intolerantia, & constantia virium; igitur est certum malitiam talis evaquationis consistere in virium dispendio propter magnam copiam substantiæ utilis, quæ cum inutili evaquatur: hoc patet; bonitas evaquationis simpthomaticæ duo præcisè petit, dumtaxat quod evaquetur portio humoris febrem producentis, & quod suprà residuum superior evadat natura, sed prædicta bonitas adest dùm vires sunt constantes; ergo bonitas simpthomaticæ evaquationis constantiam virium petit.

Animadvertendum est simpthomaticas evaquationes aliquandò permitendas esse, cohibendas, & iuvandas. Sunt à Medicis permitendæ tales evaquationes, quando utiles sunt, hoc est, dùm fiunt cum conferentia, & tolerantia; ideoque in lib. 1. scripsit Hypoc. hunc aphor. exemplum ponendo in deiectionibus: *Deiectiones non multitudine extimandæ sunt, sed si talia deijciantur, qualia conveniunt, & ægri facile tolerant.*

Cohibendæ sunt simpthomaticæ evaquationes, quando sunt inutiles, hoc est, dùm sine conferentia, & tolerantia fiunt, quia æger ibi periclitatur si citisimè non retinentur: pono exemplum in diarrhea simpthomatica inutili, quæ efrenè sequitur tertianam pernitiosam primæ speciei ob decubitum; tunc enim statim cohibere eam debet Medicus exhibendo duo grana laudani opiati cum aliqua potione sistente, & corroborante, ut spiritus restaurentur, & refocilentur vires.

Iuvandæ sunt evaquationes simpthomaticæ, quando Medicus earum utilitatem agnoscit, & antecedens causa morbi non evaquatur in sufficienti quantitate, ad hoc ut remitatur morbus, & eorum simpthomata, & consequentèr natura valeat domare concoquereque materiam morbosam remanentem. Capiamus exemplum ex Metonis historia, quam in epidemis narrat

Hy-

Hypoc. ubi asserit: Metonem correptum fuisse fluxu sanguinis narium, eoque diminuto, & cum signis cruditatis illum capitis lotionibus adiusit, & quia cum illis sanguis maiori copia effluxit, melius se habuit Meton: ergo evaquationes simpthomaticæ, quæ utilitatem asignant, & non fiunt à natura in sufficienti quantitate, ad causam morbi minorandam, tunc à Medico adiuvandæ erunt.

Pro calce huius capitis Practicantibus monitum hoc facere debeo, ut non decipiantur si meticulosi fuerint in adiuvando naturam, quando illa utiliter incipit evaquare modo simpthomatico: istud clarisimum est, quia natura sæpè incipit transmitere antecedentem causam in partem ignobilem, & tamen non potest, quia premitur, & suffocatur à copia causæ, ut Hypoc. observavit, in Critone: ergo si tunc ille humor propelleretur, sine dubio æger à periculo suffocationis liberaretur; sed hoc tantum consequi potest naturæ motum adiuvando per opportuna medica auxilia, ut Avicena in eius sequenti Canone docet: *Si natura non movet, move tu motu convenienti motui eius.* Ergo aliquando Practicantes debent adiuvare naturam in eius simpthomaticis evaquationibus.

CAPUT XXII.

DE RIGORE, HORRORE, oscitatione, pandiculatione, & simplici refrigeratione.

AD benè medendum scire oportet recta intelligentia has omnes species convulsionis; igitur febrium accesiones incipere solent cum qualibet re ex iam dictis, si sunt verè intermitentes, quia in febribus remitentibus citra primam invasionem; neque rigor, neque horror sentitur in sub sequentium paroxismorum initijs; facta iam ista suppositione accedere debemus ad diffinitiones harum specierum convulsionis.

Rigor est dolorifica perfrictio, cum quadam inæquali concusione, & agitatione totius corporis, & præsertim panniculi carnosi. Particula *perfrictio* ponitur loco generis, in quo convenit rigor cum horrore, & simplici refrigeratione; per illam particulam *dolorifica* convenit cum horrore, differtque à simplici refrigeratione, quia in ea non est dolor; igitur ad omnem sensationem dolorificam requiritur, quod affatim, subitòque natura alteretur, & corrumpatur, quæ subita alteratio non fit in simplici refrigeratione; per illa ver-

verba, *cum quadam inæquali concusione*; differt ab horrore, in quo concusio est inæqualis.

Horror est dolorifica perfrictio cum quadam æquali concusione universæ cutis, & panniculi carnosi. Et in supposito, quod tantum gradu differt à præcedenti rigore transcendamus ad enodandas reliquas definitiones cæterarum specierum convulsionis, videlicet oscitationis, &c.

Oscitatio est involuntaria oris apertio. Pandiculatio *est involuntaria artuum spansio*; quæ pandiculatio affinis est oscitationi, quamvis apud vulgum pandiculatio appelletur *Esperezos*. Hinc infertur etiam pandiculationem, ut plurimum coincidere cum oscitatione.

Refrigeratio simplex *est lenta sensatio frigiditatis sensim, & sine dolore, vel levissimo facta.* Dicitur simplex refrigeratio ad differentiam illus refrigerationis, quæ à causa externa procedit; & ab illa refrigeratione prava, seu exitiali, quæ in partium extremitatibus solet apparere in acutis, exitialibusque morbis.

Animadvertendum est, quod rigor, horror, &c. dicuntur læsiones functionum animalium, quia omnes sunt motus spasmodici; sed differunt in eo quod rigor, & horror sunt species convulsionis dolorosæ; quia consistunt in dolorifica perfrigeratione.

Pro coronide huius capitis iam accedo ad causas quinque prædictarum specierum convulsionis. Causa rigoris est quisque humor acris, & mordax, calidus, & subtilis, à quo partes sentientes, & musculosæ velicantur, & feriuntur. Notatur, quod excitatur rigor ex eo quod prædictus humor è vasis propellatur ad partes sentientes; quæ iam irritatæ sese concutiunt per musculorum motum, ut à se ipsis propulsent humorem vitiosum acrem: ergo præcisè erit duratio talis agitationis, vibrationis, seu concusionis partium, seu musculorum toto illo tempore, quo duret humoris expulsio ex alijs partibus ad sentientes, & musculosas.

Causa horroris est humor frigidus, duntaxat pituitosus melancholiæ commixtus, vel melancholia tantum; verissimum est iam dictum; quia ad hoc, ut fiat horror, ut in febre quartana, requiritur, quod causa sit crasa, & mordax, ut valeat aggravare, & irritare cutem, & panniculum carnosum, tanquam partes sentientes. Causa oscitationis, & pandiculationis sunt particulæ flatulentæ delá-

latæ ad partes fibrosas, & nervosas. Causa simplicis refrigerationis est lenta, & paulatina alteratio, seu irritatio partium sentientium, propter parvam, & debilem acritudinem humoris velicantis.

CAPUT XXIII.

IN QUO DECLARANTUR definitiones aliquarum rerum, quæ ad Pathologiam conducunt.

MORBUS ANOMALUS, seu IRREGULARIS, est, qui dependet ab alio principali morbo; v. g. cordis palpitatio, disenteria, &c. pendentes ab scorbutica affectione, &c.

MORBUS DIUTURNUS, est qui in melius, aut in peius mutatur, in mensibus, annisque iudicatur, aut etiam cum homine interit, ut comitialis morbus, hydrops, tabes, &c.

MORBUS MEDIUS, est qui in melius, ac deterius commeat, atque in sexaginta, aut nonaginta diebus iudicatur. Dicitur medius, quia mediat inter acutum, & diuturnum morbum.

PERICULOSUS MORBUS, est qui ad perniciem, & salutem æquale habet tempus, & hic vocatur anceps, aut ambiguus.

MORBUS EXITIALIS, est qui promptius exitium affert, vel brevi, vel in plurimo tēpore.

MORBUS EVASORIUS, est ille qui nunquam fit perentorius.

MORBUS VULGARIS, est qui quibusdam temporibus plures in eodem loco corripit.

PESTIS, aut PESTILENTIA, est epidemia pernitiosa: epidemia dicitur, quia multos afficit: perniciosa, quia multos interficit.

FEBRIS ERRATICA, est quæ non præfinitè, neque recto ordine, sed incerto statu provenit.

CAUSA MANIFESTA est, quæ ostenditur, & evidenter cognoscitur sine coniectura.

CAUSA NON MANIFESTA est, quæ non ex se ipsa, sed per signa deprehenditur.

CAUSA ADIUTRIX, est quæ opus quidem conficit, sed egrè, quapropter alijs consociatur, quo rem assequatur facilius.

CONCAUSA, est quæ cum alia pares obtinens vires, opus mollitur, quod facere sola per se ipsa non poterat.

SINDROMEN, est concursus, seu congresus simpthomatum ut in affectione hypocondriaca.

MALIGNA QUALITAS, est quædam qualitas præter naturam intendens vitæ destructionem, elevatiori, & superiori modo, quam in qualitatibus manifestis experimur.

VENENUM, est quidquid corrumpit complexionem humanam, non sola qualitate, sed quadam proprietate, disolvendi, aut coagulandi.

CONTAGIUM est quædam infectio transiens ab uno corpore in aliud, cum quo analogiam debet habere.

ANXIETAS, est animi angor, ratione cuius ægroti nullo modo quiescunt, sed perpetuo variant figuram iacendi, ut observatur in illo funesto simpthomate oris ventriculi, quod vocatur Cardialgia.

FOCUS PUTREDINIS, est pars illa in qua primo calor febrilis accenditur, & toto tempore accessionis materia morbosa exuritur.

ACCESSIO, est illud tempus morbi in quo natura magis contra morbum insurgit. Dupliciter debet considerari accessio, videlicet ordinata, & in ordinata: *Ordinata* est, quæ servat tempus determinatum, ut videtur in tertiana, quæ de tertio in tertium diem servat ordinem accessionum in horis certis, &c. *Inordinata*, est quæ nullum tempus determinatum habet, ut experitur in quartana dum accessiones non accidunt in eadem hora, neque observantur declinationes earum in ipsa hora determinata.

FULIGO, est excrementum tenue calidum, & sicum, ortum à causa calefaciente, & adurente.

HALITUS, est tenuior, ac subtilior portio substantiæ à corporibus emissa, & evolans.

DIAPHORESIS, est resolutio nostræ substantiæ crasæ in vaporosam substantiam, orta ex vehementia caloris, aut inflammationis.

DELIRIUM, est depravatio, & error actionis cognoscitivæ, ratione cuius potentia à recto modo operandi, seu ratiocinandi, deficit.

CRUDITAS, est privatio termini coctionis, aut perfectionis viventibus debitæ, quæ per coctionem adquiritur.

REPLETIO, est redundantia sucorum in corporis cavitatibus, proveniens ex alimenti superfluitate confluente in illas.

INNANITIO, est defectus substantiæ spirituosæ, aut solidæ nostri corporis, requisitæ pro conservatione vitæ.

TRAC-



TRACTATUS TERTIUS
DE SEMYOTICA.



ERTIA pars Medicinæ dicitur *Semyotica*, hoc nomen græcum est, & idem significat, ac contemplatrix signorum: Ideoque Semyotica, seu semyoligia ita definitur: *Est illa pars Medicinæ, quæ cognoscit qualemcumque statum nostri corporis per signa certa.* Docet enim hæc pars ea, qua ratione ex certis, & sensibus manifestis signis, & salubris, & morbosi corporis constitutio; omnes denique morbi, & causæ internæ morbificæ, latentesque; item morborum species, qualitates, & quantitates, quæ denique pars corporis potissimum sit affecta percipi, ac dignosci debeant.

*** *** ***
*** ***
***

CAPUT I.

DE SIGNO MEDICO, ET eius differentijs.

SIgnum Medicum est, *quod manifestius deducit nos in cognitionem alicuius occultioris rei in Arte Medica, sive illud sit quid essentiale, seu causa, seu effectus.* Dividitur signum Medicum in diagnosticum, prognosticum, & commemorativum. *Signum diagnosticum* est, quod aliquid præsens significat. *Prognosticum* est, quod significat aliquid futurum. *Commemorativum* est, quod significat aliquod præteritum. Notatur, quod ista divisio fuit sumpta ex sequenti sententia Hypocratis: *Medici esse præterita dicere, præsentia cognoscere, & futura prædicere.*

Signum Medicum est triplex etiam, videlicet salubre, insalubre, & neutrum: *Salubre* est, quod sanitatem notat. *Insa-*

salubre, quod morbum monstrat. *Neutrum*, quod statum, vel convalescentiæ; vel decidentiæ monstrat.

Animadvertendum est, quod aliqui Medici juniores minimè neutram constitutionem admittunt, & fundamentum huius opinionis subsistit in eo quod unusquisque, vel absolutè sanus sit, vel æger. Scire oportet signum salubre, non solùm significare sanitatem præsentem, sed etiam futuram, vel præteritam; in salubreque tamen significare non tantum præsentem morbum, sed præteritum, vel futurum: ex hoc infertur quod tam signum salubre, quam in salubre est triplex, scilicet diagnosticum, commemorativum, & prognosticum.

Signum salubre diagnosticum est, v. g. naturalis urina, naturalis pulsus, &c. *Salubre prognosticum* est, v. g. excrementorum concoctio in morbis. *Salubre commemorativum* est, v. g. firmitudo omnium actionum, quia significat hactenus sanitatem adfuisse. *In salubre diagnosticum* est, v. g. læsio actionis, vel tumor cum rubore, & dolore pulsativo, ut in inflammatione. *In salubre prognosticum* est, v. g. lassitudo spontanea, sivè sit dolorosa, sivè non, & idcirco scripsit Hypoc. hunc aphor. Spontaneæ lassitudines morbos prænuntiant. *In salubre commemorativum* est, v. g. cicatrix, item convalescentium imbecilitas.

Diagnosticum signum præterea aliud est inseparabile, aliud proprium, aliud inseparabile, & proprium simul. Inseparabile, est, quod significat aliquam constitutionem, ab eaque separari non potest, atque omni convenit, & non soli. Diagnosticum proprium est, quod convenit alicui soli, sed non omni. Diagnosticum inseparabile, & proprium simul est, quod soli, & omni convenit.

Notatur, quod hoc signum verè est patognomonicum, & posset uno verbo sic vocari, significat enim tale propriam morbi essentiam, ac naturam, ex qua profluit. Est autem illud ordinariè non unum simplex signum, sed plurium simul congeries, ut dolor lateris punctorius cum tussi, difficili respiratione, febre acuta, & continua, & pulsu duro, serratilique. Nam ista congeries signorum pleuritidem significant. Simplex tamen signum, & pathognomonicum est, v. g. subita motus, & sensus privatio in aliqua parte corporis, significat paralysim adesse in illa parte.

Pro calce huius capitis Practicantibus consilium maximæ considerationis dabo: Certum est, quod prognosticum sig-

ſignum tam ſalubre, quam inſalubre in primis multum ſervit ad Medici honorem; poſſe enim cum ſucceſſu conformi prædicere aliquorum in morbis eventum, magnam ei conciliat auctoritatem, facitque, ut ſe æger melius illius curæ committat. Deinde etiam utile eſt prudenti Medico neceſſarium, ut in curando malum imminens avertat ab ægro, bonumque imminens, quam citius ei procuret. Medicus tamen caveat, ne nimis temerariè, aut liberaliter prædicet, ne ignorantiam, odiumque incurrat, quin præſtat potius ſubinde ſub nomine periculi prognoſticationem celare: ob idque Magiſter Galenus nobis dedit hoc documentum: *Satius eſt tacere, quam in prognoſticando falli.* Verum eſt, quod præſentiens cum certitudine, & prudentia coram ægris præterita, præſentia, & futura, efficit ut æger facilius Medico ſe credat.

Præterita dixi, quia ſignum commemorativum, ſaltem inſalubre pariter facit, ut Medicus apud ægrum valeat auctoritate; melius enim illi ſe fidet, ſi eum videat conſtitutionem præteritam ita poſſe enarrare. Reſtat ſcire, quod ſignum in genere ſumptum poteſt eſſe res quævis naturalis, non naturalis, & præternaturalis; ita ſignum ſalubre eſt res aliqua naturalis. Signum reducibile eſt res non naturalis; & vocatur ita, quia reducibile eſt ad ſalubre, & inſalubre. Signum autem inſalubre eſt res aliqua præternaturalis.

CAPUT II.

DE FONTIBUS SIGNORUM.

FOntes ſignorum *ſunt quædam res ex quibus deduci debent omnia ſigna.* Signa morborum petuntur à Medicis ex varijs rebus, & accidentibus corporis, quæ vel affectum locum, vel cauſas morbificas, vel morbi ſpeciem nobis ob oculos ponunt, veluti ſunt ſpecies omnes excrementorum, ut mucus, ſputum, ſanguinis è naribus efluxio, ſudor, vomitio, alvi deiectio, &c. aut ſumuntur ex actione læſa, aut ex coloris ſpecie, ac ſitu.

Porrò ad clariorem intelligentiam animadvertere debeo ſigna generaliter tanquam ex primis fontibus deſumuntur à cauſis, hoc eſt, à quibuſcumque, & quocumque modo efficientibus, vel ab effectis, hoc eſt, ex omnibus illis, quæ ſanitatem, morbum, & cauſas eius quocumque modo ſequuntur.

Verum etiam aliqui tam veteres, quam recentiores hic ad-

adiungunt ipsam rei essentiam, atque ita, v. g. ex reiecta portiuncula pulmonis dicunt nasci eius ulcus, aut excrasiorum intestinorum parte reiecta per alvum in disenteria, noscunt esse affecta intestina crasiora: ergo quia de essentia rei sunt ea, quæ essentialiter inhærent, necessum est, ut ex inhærentibus essentiæ rei desumantur signa, ut à situ partis, à magnitudine, à figura, à colore, & ab alijs, quæ visui se offertunt: Ponamus exemplum in colore faciei, igitur ex illo in cognitionem morbi, & causæ multoties evenimus; & sic per colorem flavum noscitur ictero flavo corpus esse oppressum, veluti per album colorem, sive palidum noscimus Virgines correptas esse clorosi, seu febre alba: ex colore faciei agnoscimus causam morbosam, seu viciosum humorem redundare in corpore; testis est noster Magister Galenus dum Glauconi sequens consilium scripsit ex civitate Pergamena in lib. 2. *Qualis fuerit humor in corpore redundans, talis color in facie apparebit.*

Animadvertendum est, quod signa desumuntur tamen ex simpthomatibus, igitur simpthomata, qualiacumque accidentia, seu effectus sunt, quæ merè insequuntur sanitatem, morbum, & morborum causas, seu dein sint actiones, seu excernenda, & detinenda, seu qualitates nunc integræ, nunc quomodocumque vitiatæ.

Quantumvis autem videatur satis esse dictum circa signorum fontes, nihilominus decrevi duo requisita notare: primum, ut morbus benè, & facile cognoscatur ex prædictis fontibus, præcisè requiritur, quod Practicantes habeant præviam cognitionem naturæ, & essentiæ malorum, causarum, & effectuum, desumptam ex Medicinæ partibus Physiologia, Pathologiaque. Secundum, non posse quemcumque morbum per omnes signorum fontes dignosci; quia non cognoscitur ab essentia, nunc à causis, nunc verò, & ut plurimum ab effectibus, dum rei essentia, ac causæ occultatæ fuerint. Verumtamen, quia animus non est deducere lectores tam longa, laboriosaque via, ut plures conantur magnis eorum operibus, sum providus ad animadvertendum, ut in genere sciendum est ea, quæ visui patent ab essentialiter inhærentibus cognosci; reliqua verò magis abscondita agnoscuntur à causis, vel ab effectibus.

)(§)( )(§)(
)(§)(

CA-

CAPUT III.

DE SIGNIS CORPORIS *sani, ac saluberrimi, & Ægri.*

Signa corporis sani sunt *actiones satis perfectæ universaliter*: Et ut id clarius adhuc appareat dico, quod actiones debent esse sanæ, dum corpus sanum est, quæ quidem actiones perfectę in sanitatis tempore dependent à simultanea corporis partium, tum crasi, tum temperie, tum organizatione, videlicet figura, magnitudine, numero, & locatione, tum unione decenti; ideoque morbus nihil aliud est, quam recessus rerum à quibus dependent actiones, quæ demonstrant corpus esse sanum.

Non solum oportet scire signa ad sanum corpus cognoscendum, sed etiam saluberrimum, ut Practicantes cordatiores fiant in prognosticis, agnoscendo maiorem, vel minorem recessum á salutis statu: istud iam præsuppositum assero, *quod signa corporis saluberrimi sunt actiones universaliter perfectissimæ.* Predictas autem actiones ad examen revocare valet, ut veniamus in cognitionem illius corporis, quod eis gaudet, & ad id necessum est, quod constet sanguineo temperamento á reliquis congruè temperato; statura mediocri, corpore huiusque partibus singulis sibi invicem proportionatis; & ingenio neutiquam præmaturo, sed ætati magis conveniente.

Signa, quæ demonstrant corpus esse ægrum sunt quævis actio morbosa, & quidquid vitiosum adest, quod procedit nunc à læsa quadam temperie, nunc organizatione, nunc unione, nunc pluribus plus minus viciatis, sivè in quatitate, sivè in motu, &c.

CAPUT IV.

DE SIGNIS EX QUIBUS *morbus principaliter dignoscitur.*

Observandum est, quod ex quatuor signis tanquam principalioribus dignoscitur morbus. *Primo,* ex specie excretorum, v. g. in disenteria, quæ dignoscitur ex ramentis intestinorum per alvum excretis: in constitutione calculosa, quæ agnoscitur ex sabulis in urina apparentibus. *Secundo,* ex natura loci, & sic noscitur morbus, seu mala constitutio ex vermibus ob dolores ventrem torquentes. *Tertio,* dignoscitur ex proprietate doloris, & sic agnoscitur inflammatio ex dolore pulsatorio.

Quarto dignoscitur ex proprijs accidentibus, v. g. causus, seu febris ardens cognoscitur per intensissimum calorem totius corporis cum siti inextinguibili: Pleuritis noscitur ex difficili respiratione, cum tusi, febre acuta, & continua, pulsu duro, & pungitiva sensatione in parte inflammata.

Cæterum præter hæc iam dicta signa principaliora, adhuc animadvertenda sunt alia tria signa minus principalia, & quodammodò confirmantia dignotionem morbi haustam ex alijs, videlicet proclivitas ægri ad certum morbum, causa evidens morbum progressa, & iuvantia, ac lædentia: *Proclivitas ægri ad certum morbum*, quotidie experitur, & sic cognoscitur hysterica passio in aliqua fœmina ex proclivitate, quam scitur ad illam habere.

Causa evidens morbum progressa est secundum signum minus principale, à quo dignoscitur affectus; sic cognoscitur morbus calidus in aliquo, qui habuit victum calidum, vel usus fuit rebus calidis quolibet alio modo: *Iuvantia*, *ac lædentia*, & sic morbus calidus agnoscitur, quando exacerbatur ex adhibitis calidis medicamentis, & à frigidis auxilijs mitigatur: ideoque Magister Galenus in lib. 1. de Locis affect. scripsit animadversionem sequentem: *A iuvantibus, & nocentibus sumitur indicatio faciendorum.*

Etiam, ut clarius elucescat præscripta Doctrina, oportet scire signa speciei morbi sumi ex vi essentialium, ex vi causarum, & ex vi effectuum, & primo actionum; & sic dolor pulsans in parte inflammationem notat; stupidus dolor frigidam materiam, & acer, seu errodens dolor exulcerationem prænuntiat: Verumtamen vi actionis vitalis pulsus magnus, & frequens denotat intemperiem calidam; sicut parvus, & rarus pulsus frigidam intemperiem notat. Accedamus ad excreta, & tantum ponam exemplum in sanguinis reiectatione, & sic per sanguinem tenuem confertim fluentem noscitur vasis erosio; sicut anastomosis dignoscitur, per crasiorem sanguinem fluentem.

CAPUT V.

DE SIGNIS MORBI, magni, & parvi, brevis, & Chronici.

VErum est vocari morbum magnum eum, qui aggreditur partes nobiles, & insigniter lædit, sed ad hoc, ut agnoscatur, scire licet, quod eius signa capiuntur ex vi essentialium, vi causarum, & vi effectuum: *Pri-*

Primo, ut magnæ intemperies, tumores, inflammationes, ulcera, &c. *Secundo*, ut externæ causæ, quæ habent vim magnam, quocumque modo lædendi nos, velut internæ, v. g. humor biliosus acris, & mordax, atrabiliarius, &c. adeoque semper plus minus vehementes.

Vi effectuum sumuntur signa morbi magni: *Primo*, si actiones multum ab statu naturali recedant, v. g. vehemens dolor capitis, vel alterius partis, sopor, ingentes vigiliæ, delirium, respiratio magna, & frequens, vel summæ difficilis cum parvo, & frequenti pulsu; sitis inextinguibilis, anorexia, fluxus alvi diurnus, suppresio urinæ, &c. *Secundo* sunt attendenda excrementa, an nimis copiosa sint, vel omninò suppressa, vel an color eorum pravus sit, aut ipsorum odor sit fœtidus, plus minusve, vel an substantia illorum omninó præternaturalis sit, ut atrabiliaria, & sanguinea, si suprà maximè excernantur, vel an sit carunculosa, ut in disenteria, quod iam Magnus Hypoc. damnavit in eius lib. 4. aphor. *Tertio* sunt qualitates mutatæ, dum istæ à naturali statu multum recedunt, v. g. color intensè ruber, & sapor valdè amarus in lingua, ut quotidie experimur in continentibus febribus.

Notare licet, quod ad hoc, ut prædictæ internæ, & externæ causæ sint plus, vel minus vehementes in asignando magno morbo expectant non parum dispositio partis affectæ, & iuvantia, lædentiaque: *Dispositio affectæ partis*, ut si princeps, vel præstans pars, utpotè publicum officium exercens, vulnerata est plus minusve, ut cerebrum, spinalis medula, pulmo, cor, jecur, &c. *Iuvantia*, & lædentia, hoc est, si ex adhibitis auxilijs adversus morbum magnum pauca prosunt, & plurima nocent. Animadvertitur, quod signa morbi parvi sunt contraria suprascriptis circa magnum morbum.

Etiam signa morbi Chronici, seu longi sumuntur, vi essentialium, vi causarum, & vi effectuum: Dicuntur morbi longi *vi essentialium*, qui sunt frigidi, & habent longas accesiones; & anticipant ordinatè, vel reddeunt, vel postponunt cum incremento simpthomatum quotidie, vel nocte, vel de quarto in quartum, vel infestant circa vesperas, vel iudicantur per absceßum. *Vi causarum*, ut frigidæ res non naturales, & naturales, hinc pituita, humor melancholicus, atrabiliarius, & multus crasusque, partes læsæ, sive moles, sive duræ sint, ut ossa, mammæ, &c.

Sumuntur signa morbi longi etiam vi *effectuum* : *Primò* sunt magnæ læsiones omnium actionum : *Secundò* excrementa dicuntur, v. g. si coctionis signa tardé appareant in quibuslibet excrementis, vel mutationes in morbis sint parvæ, vel paulatina incrementa coctionis appareant, vel coctiones non habeant durationem, vel excreta adsint frigida, & crasa, nisi talia fiant per coctionem; vel urina tenuis, & decolor cum pauco, vel nullo contento, si cum ea adsit virium robur : item excretiones incipientes, si statim sistantur, vel appareant non in die critico, vel fiant tales excretiones per partes, quæ non habent rectitudinem cum parte affecta.

Tertiò sunt qualitates mutatæ, v. g. corpus valdè citrinum, vel palidum: si modò calor, modo frigus adsit, sudores frigidi in febre miti, ut Hypoc. in lib. 4. aphor. sequentibus verbis iam animadversit : *Frigidi sudores cum acuta febre mortem significant, cum mitiori autem longitudinem morbi.* Ultimò notandum est, quod morbi brevis signa sunt, quæ supràscriptis contrariantur.

)(§)( )(✠)( )(§)(

CAPUT VI.

DE SIGNIS MORBI *acuti, maligni, & benigni, & de temporibus morborum.*

Signa morbi acuti dupliciter considerantur, videlicet in genere, & in specie; in genere duplex est : *Primò* motus celer morbi; & ideo vocatur acutus morbus plus minusve, qui maiori, vel minori celeritate movetur. *Secundò* simpthomata graviora, quæ à principio morbi usque ad eius declinationem semper sequuntur illum.

In specie autem sumuntur signa morbi acuti ab essentialibus; à causis, & ab effectibus; *Ab essentialibus* signa sunt prædicti morbi febres continentes cum gravibus simpthomatibus; inflammationes partium internarum, ut pulmonia, pleuritis, phrenitis, &c. *A causis* materialibus, v. g. inter humores sanguis, bilis, sive flava sit, sive vitelina, porracea, &c. *Ab effectibus* sunt vehementia simpthomata, quæ statim à principio morbi apparent, ut delirium, vomitus, cardialgia, singultus, anxietas, &c. & idcirco ad nostrum intentum, in lib. 2. epidem. Hypoc. sequentibus verbis animadversit : *Etenim eorum, qui statim morituri sunt, cele-*

celeres judicationes, etenim labores celeres, continui, & vehementes, &c.

Verum ſigna morbi maligni etiam ſumuntur à tribus prædictis: *Ab eſſentialibus*, id eſt, per ſuam eſſentiam quidam morbi ſunt maligni, ut anthrax, ſeu carbunculus, cancer, lepra, lues venerea, ſcorbutus, &c. *A cauſis* ſumuntur plurima ſigna, v. g. antecedens uſus alimentorum, quæ facile corrumpuntur; & in cacochimiam vertuntur, aer peſtilens valdè inquinatus diverſis vaporibus, concubitus cum muliere impura, morſus, aut ictus animalium venenatorum, & omnes ſpecies bilis præternaturalis, ut bilis porracea, eruginoſa, cerulea, bilis atra, &c. Etiam ſunt ſigna iuvantia medicamenta, ut ſi iuvent, vel non, remedia alexipharmaca, & ſi nihil proſint evacuationes rectè factæ tam à natura, quam ab arte.

Signa maligni morbi, quæ ab effectibus capiuntur ſunt læſio omnium virium tam vitalium, quam animalium, & naturalium, & ſunt plus læſæ, quam correſpondet naturæ morbi. Magnæ inquietudines ſine febre vehementi, urina ſanorum ſimilis in febre vehementi, cum pravitate ſimpthomatum complicata, vel ſtatim à principio craſa, ſeu perturbata cum ſimpthomatibus contrarijs morbo, quia eius naturæ non correſpondent; color faciei libidus, ſeu plumbeus, nigredo linguæ cum ſiti exigua, vel nulla, exantemata, petechiæ, antraces, parotides, bubones, &c. Notandum eſt, quod ſigna morbi benigni ſunt contraria illis, quæ manent præſcripta ad morbum malignum agnoſcendum; & ſic dicuntur benigni morbi febris ephemera, terciana exquiſita, & nota, &c.

In pathologia manet dictum tempora univerſalia morborum eſſe principium, augmentum, ſtatum, & declinationem, & ad rectam curationem Practicantes ſcire debent ſigna, ut valeant diſtinguere prædicta tempora. *Sunt verò ſigna principij morbi*, calor diffuſus per totum corpus, ſi idem eſt, ac fuit in principio, actiones leviter læduntur, & omnia excreta ſunt cruda; dico omnia excreta, quæ fiunt per illas vias, per quas natura ſolet evacuare modo critico cauſam morbi; & aliquando nihil ſolet excernere, v. g. pleuritis vera per ſputum à natura iudicatur, & in principio univerſali ſiccè tuſit æger, quia nihil ſpuit, & ideo Magiſter Galenus in coment. lib. 1. aphor. ita fatur: *Crudiſſimus morbus eſt in quo nihil ſpuitur.*

Sig-

Signa augmenti sunt calor, qui manifestè augetur, actiones omnes gravius læduntur, simpthomata sunt graviora, & apparent signa incipientis coctionis, sivé sit in urina, sivè in sputo, ut in pleuritide, &c. *Status signa* sunt calor intensus, & simpthomata gravissima, quia morbus iam accesit ad eius maiorem intensionem; sed animadvertere licet, quod si morbus salutaris sit, simul apparent signa manifesta coctionis. *Sunt signa declinationis universalis* caloris remisio, & actionum læsarum, quod declarant simpthomata, quæ deficiunt, & quæ remanent levius lædunt; simulque apparent signa perfectæ coctionis.

CAPUT VII.

DE SIGNIS PARTIS affectæ in genere.

SIgna partis affectæ in genere sumuntur ex essentialibus, ex causis, & ex effectibus. *Ex essentialibus* sex signa capiuntur. *Primum* temperies partis, quæ percipitur per tactus sensum, ut calida, vel frigida temperies. *Secundum* est durities, & mollities affectæ partis. *Tertium* tumor externus, aut internus; externus visu perceptibilis; internus, qui tantum tactu percipitur, & sic liem affectus ex tumore duro, licet internus sit, per tactum dignoscitur. *Quartum* magna extenuatio, seu consumptio partium, ut Atrophia, Rachitis, &c. *Quintum* est situs partis; & ideo noscimus jecur affectum esse ex duro tumore in hypocondrio dextro existente. *Sextum* est partis affectæ figura. *Ex causis sumuntur signa*, & sunt omnia, quæ lædunt partem sivè intus sumantur, vel forinsecus applicentur, ut experitur in cantaridibus, quæ offendunt vesicam urinariam; in Mercurio, qui lædit nervos, membra respirationis, &c.

Ab effectibus sumuntur varia signa, & ut Practicantes melius agnoscant, attendere debent ad actionem læsam, & ad excrementa: & ideo primum signum est *actio læsa*, quæ ostendit esse læsam illam partem à qua perficitur; huc refertur dolor, qui talis qualis fuerit denotat talem esse partem affectam, v.g. si pungitibus est dolor notat læsam esse membranam, ut in pleuritide accidit; si gravativus, & ponderosus fuerit, ostendit, quod parenchyma læditur, v.g. renes, &c. Si dolor fuerit pulsatorius denotat arteriam esse læsam, vel partes huic vicinas; si tensivus fuerit, denotat esse causam flatum distendentem mem-

membranas, vel vasa nimis repleta, ut accidit in plenitudine quo ad vasa: si fuerit profundus, ut videatur ægro, quod dolor frangit partem dolentem, & ossa, ostendit adesse læsionem in osium membrana.

Secundum signum, quod vi effectuum sumitur, est excrementa, & ad veram intelligentiam huius signi sex res debent attendi, videlicet substantia, quantitas, qualitas, modus, & ordo, tempus, & qualitates mutatæ. *Substantia*: si quando hæc excernitur, est similis cuidam parti internæ, tunc illam læsam esse indicat, v. g. quando aliqua particula carnis spongiosæ excernitur cum tussi dignoscitur pulmonem esse affectum. *Quantitas*, si sanguis multus cum urina excernitur, denotat renem esse læsum, & si paucus cum urina excretus fuerit ostendit adesse læsionem in uretere, vel in vesica, &c. *Qualitas*; pono exemplum in spumositate cruoris, & ideo sanguis espumosus, qui cum tussi reijcitur, denotat, quod educitur ex pulmonibus, ut Hypoc. iam docuit in suo aphor.

Modus, *&* *ordo excretionis*, considerandus est; & sic quidquid excernitur simplici spuitione denotat os affici, quæ excreando notant fauces esse læsas, quæ tusiendo asperam arteriam, vel pulmones ostendunt pati læsionem; si vomendo excernuntur, denotant affectum esse ventriculum; si pus excernitur ante expulsionem urinæ, significat penem esse ulceratum, & si effluat pus post urinam, tunc enunciat adesse ulcerationem in renibus, vel in vesica urinaria. Si pus, vel sanguis excernatur in disenteria ante feces, significat adesse læsionem in craso intestino; & si post excretionem fecum excernatur, vel pus, vel sanguis mixtus sit fecibus, denotat ulcerationem esse in aliquo extenuioribus intestinis.

Tempus excretionis considerandus est; & sic alimenta, quæ reijciuntur mox, ac assumpta fuerunt, & nihil, vel parum immutata, significant stomachum esse læsum ratione debilitatis. *Qualitates mutatæ* etiam notandæ sunt; & sic calor, vel frigus dum in aliqua parte percipitur, ibi denotant morbum esse; rubedo malarum, si constans est, denotat pulmonem esse inflammatum, vel ulceratum, ut expertum habetur in peripneumonia, & in ptisi pulmonaria.

*** ***
***

CA-

CAPUT VIII.

DE SIGNIS PARTIS *affectæ in specie, per se, & per consensum.*

QUia ad cognitionem partis affectæ externæ signis non indigemus, tantum enumeranda sunt signa partis internæ affectæ in specie; quæ signa ab effectibus sumi debent, & sic, dum fuerint depravati externi sensus, vel interni, vel motus, &c. sine dubio denotatur caput esse læsum, quam affectionem etiam significant dolor eius, & excrementa, &c. Cordis læsio agnoscitur per pulsum, & respirationem, & per qualitates mutatas. Thoracis affectio dignoscitur à læsa respiratione, dolore, tusi, excretioneque: læsio asperæ arteriȩ dignoscitur ab eisdem signis adiunctis cum voce læsa.

Signa ventriculi affecti sunt appetitus, digestio, alimentorum retentio, & excreta, dum vitiata fuerint. Affectiones renum, & vesicæ significantur per dolorem gravativum, aut lacerativum lumborum, vel pubis, per urinam rubram, sanguineam, quæ gutatim excernitur, vel ardore; etiamque per urinæ contenta denotatur.

Porró cum pars affecta vel afficiatur per se, vel per consensum, adeoque valdè diversimodè utrique occurrendum sit, utiliter Practicantes debent distinguere; distinguntur veró. *Primò*, ex prægresis causis sic, v. g. probabiliter per consensum pars aliqua laborat, quæ sine causa evidenti afficitur, quæ in illam egisset, sic tamen, ut à tali causa pars, quæ habet cum illa consensum, aliquid passa deprehendatur. *Secundò*, ex cohesione affectuum sic dignoscitur pars laborare per consensum, si eius affectus augeatur, & diminuatur ad augmentum, & decrementum alterius partis, cum qua illa consentit.

Tertiò ex iuvantibus, & nocentibus sic agnoscitur pars læsa per simpatiam, si affectus eius ita dependeat ab affectu alterius partis, cum qua consentit, taliter, ut ex adhibitis remedijs huic iuvantibus, vel lædentibus, etiam illa iuvetur, vel lædatur.

Quartò, ex afficiendi modo, sic coligi potest partem simpatice laborare, si non ita continentèr affligitur; sed per intervala, quod acuratissimè docet Magister Galenus in lib. 1. de Locis affectis his verbis: *Quippè tunc affectus propriè putandus est, cum permanere in quadam parte conspicitur*: Ergo si affectus non permanet continua afflictione, tunc

tunc pars læsa non patitur propriè per se, seu idiopaticè, sed simpatice, seu per consensum partis laborantis.

Verum ultimum Signum à Galeno, ab Alexandro Traliano, & ab alijs assignatum non semper firmius est; quia potest revera aliqua pars per consensum ab altera laborare, & quidem continentèr; dumtaxat, vel quando quod recipit non valet resolvere, antequam de novo recipiat à parte primario laborante; tunc necessum est, ut continenter patiatur; quamvis eius læsio sit per consensum, vel si nimirum aliquid noxi continuò recipiat ab illa parte, aut si ab eadem parte primario affecta illa, quæ per consensum læditur debeat continuò recipere aliquid ad suam actionem, & illud non accipit, tunc quamvis per consensum lædatur, non debet affligi per intervalla.

CAPUT IX.

DE SIGNIS CAUSÆ MORbificæ.

Dignoscitur causa morbi potissimum ex septem signis: *primùm* sumitur ex temperamento, & sic ex frigido temperamento noscitur causam morbi esse frigidam, & ex calido dignoscimus morbi causam esse calidam. *Secundùm* colligitur ex cutis colore, & ideò dixit Galenus suo discipulo Glauconi: *Qualis fuerit humor in corpore redundans, talis color in facie apparebit.* Sic ex colore flavo cutis noscimus causam morbi esse bilem flavam.

Tertium signum ab ætate sumitur, & sic ex senili ætate noscitur frigidam esse morbi causam; ob idque Hypoc. in lib. 2. de Diet. ita dixit: *Senes autem frigidi sunt, & humidi, quia ignis quidem recessus contingit; aquæ autem accessus.* Ex juvenili ætate colligitur causam morbi esse calidam, &c.

Quartum signum accipitur ab specie doloris, & sic noscimus ex dolore urente bilem esse morbi causam; & ex dolore instabili, seu vago, dignoscitur causam morbi esse flatum, nisi detentus sit in porositatibus, seu tubulis partis prædictus flatus; quia tunc dolor erit fixus.

Signum quintum sumitur ex causa evidenti, & sic ex copioso victu cum vita sedentaria dignoscimus causam morbi esse nimiam quantitatem sanguinis, seu plethoram. *Sextum signum* colligitur ex excretis: ideòque ex frequenti eiectione pituitosi humoris noscimus causam morbi esse pituitam, &c.

Signum septimum sumitur à iuvantibus, & nocentibus, unde si ex adhibitione frigidi remedij iuveatur æger, sine dubio noscitur morbi causam esse calidam.

CAPUT X.

DE SIGNIS PLENITUDINIS in genere, & in specie.

SIgna plenitudinis, seu Plethoræ in genere sunt antecedens victus ratio alimentorum, quæ magni nutrimenti sunt, si in magna quantitate ingerantur, vita sedentaria, supressio alicuius evacuationis consuetæ sanguinis, ut narium, uteri, &c. deffectus alicuius membri magni mutilati; quia tunc augetur sanguis pro nutritione reliquarum partium corporis, sicut contingit in his, qui usi sunt alimentis maximi nutrimenti, & parum exercitij faciunt, cuius ratione copiosum sanguinem generant.

Dupliciter considerari debent signa Plethoræ in specie; videlicet, quoad vasa, & quoad vires: *Signa* quibus noscitur Plethora quoad vasa, sunt temperamentum sanguineum, color ruber totius corporis, & præsertim faciei, habitus corporis tumidus, tensio, & expansio, seu amplitudo venarum: etiamque in arterijs percipitur intumescentia, & distensio, quia plenitudo quoad vasa debet intelligi de omnibus vasibus sanguiferis, quæ sunt venæ, & arteriæ, & lasitudo spontanea, & tensiva in toto corpore.

Signa Plethoræ ad vires sunt gravitas corporis, taliter ut membra cum labore moveantur, anxietates præcordiorum cum magna respiratione, & frequenti, somnus turbatus est varijs, & gravioribus insomnijs, & pulsus inæqualis. Memor esto Magistrum Galenum loquentem de plenitudine expresse dixisse: *Nullum certius signum reperiri pulsu ad cognoscendam plenitudinem ad vires*; & pulsus inæqualis debet esse iam in magnitudine, & parvitate, in debilitate, & robore, ut certissima sit illa Doctrina Galeni.

Animadvertendum est, quod in magna plenitudine quoad vires solent apparere continuatè plures pulsationes parvissimæ, & debiles, quæ cum illa apparenti æqualitate confundunt, & fallunt Practicantes; sed si patienter se habeant, & diutius pulsum tangant, apparebunt aliquæ pulsationes magnæ, & fortiores, ex quibus colligitur inæqualitas pulsus, ut evidenter possint agnoscere adesse plenitudinem ad vires.

Debemus notare unum magnæ considerationis ad exactissimam cognitionem plenitudinis quoad vires, & est, quod dum nimiè infestat talis plenitudo ob eius magnam oppressionem, accidit, ut non solum pulsus vix à Medico percipiatur ob eius parvitatem summam; sed etiam deficiat per aliquod tempus, sed tunc per intervalla apparebunt aliquæ pulsationes, & color faciei vividus, seu ruber, à quibus noscitur plenitudo quoad vires; & si peritus Medicus faciat venæ sectionem, & iam incipiente evacuatione pulsum tangat, & statim appareat maior, & continuent pulsationes, certissimus debet esse de plenitudine ad vires, ut audacter venæ sectio repetatur, toties quoties necessum sit, ut deoneretur facultas vitalis.

CAPUT XI.

DE CACOCHIMIÆ SIGNIS in genere, & in specie.

SUmuntur signa cacochimiæ in genere: *Primo* à signis demonstrantibus temperamenta corporum; & inter ista signa præcipuum est faciei color, sive sit albus, sive palidus, sive hirsutus, hoc est, declinans ad fuscum. *Secundo* colliguntur ex causis generantibus vitiosos succos, seu cacochimiam, ut dictum manet in tractatu secundo pathologiæ in capite de cacochimia. *Tertio* capiuntur ex signis, quæ indicāt humores peccantes ut videre possunt in capite de signis causæ morbificæ.

Transeamus ad enodandum signa cacochimiæ in specie, & tot erunt differentiæ horum signorum, quot sunt differentiæ cacochimiæ; ideo incipiendum est à signis cacochimiæ biliosæ, quæ sunt amaraties oris, & sitis; ideoque Prisci Medici, & Neotherici omnes asserunt, quod cum bilis circa ventriculum redundat siti cognifcitur, atque oris amarore, etiam sunt signa nidorosi ructus, urina flava, sive remissa sit, sive intensa, alvi excretionis flavæ, & quod æger iuvamen sentiat cum frigidis remedijs, & à calidis lædatur.

Cacochimiæ pituitosæ, *signa* sunt pauca sitis, appetentia cibi deiecta, excretiones pituitosæ, sive per nares, sive per os, aut per aliam quamcumque viam: urina alba, aut tenuis, aut crasa, & æger iuvatur à calidis auxilijs, & à frigidis læditur. *Signa* pituitæ salsæ sunt sapor salsus, sitis, excreta cruda, pituitosa, sed simul mordacia, ægrotans læditur à medicamentis calidis, & siccis, verum à contrarijs levamen sentit.

Signa cacochimiæ melancolicæ sunt sitis exigua, maior appetentia cibi, quam in puituitosa cacochimia, copiosa saliva, urinæ abundantia, quæ vel apparet crasa, & nigra, vel tenuis, & alba, sudor copiosus in tempore somni, ructus acidi, & plurimi flatus in ventre. Atræbilis *signa primo* colliguntur ex signis, quæ prænuntiant cacochimiam biliosam, & melancholicam, quia redundante atrabile mixta apparent. *Secundo* sumuntur specialiter ab excretis; nam excreta habent colorem nigrum, & simul obtinent acrimoniam, & mordacitatem, ideoque exulcerant partes, quas attingunt, & in terram effusa fermentant cum ea; & idcirco maiores Magistri inter Priscos docent, quod acida, & fermentosa atrabilis est.

Signa cacochimiæ serosæ sunt inflatio faciei, & subtumidus habitus corporis cum colore palido, vel plumbeo, urina cruda, & aquosa, sanguine emisso serum copiosè supernatat: Si urina vitiata apparet, tantum in colere est, referens colorem seri redundantis, & sedimentum apparet album, leve, & æquale per omne tempus; donec morbus iudicetur; quia in substantia serosa solum est vitium, ut experitur in febre, quæ vocatur serosa, seu limphatica.

Signa cacochimiæ flatulentæ, seu flatuosæ sunt tensio, & tumor sine gravitate, qui non servat vestigium digiti impresi, ut in tumore ædematoso contingit, & in anasarca, dolor tensivus, inconstans, seu vagus, rugitus, & crepitus ventris, ructus, palpitatio, seu iectigatio, pandiculatio, & oscitatio, antecedensque victus flatulentus. Animadvertere debeo, quod non est superfluè dictum *cacochimiæ flatulentæ*: igitur flatus nihil aliud sunt, quam producti morbosi à iam prædictis speciebus cacochimiæ, ut ita asignant Doctores tam veteres, quam juniores.

CAPUT XII.

DE SIGNIS TURGENTIÆ propriæ.

Signa turgentiæ propriæ, quæ ab aliquibus appellantur occulta, sumuntur ex sensatione ægrotantis, ex colore, & ex continuo motu ægroti. *Sensatio* consistit in calore, & in dolore: *In calore*, quia calor intensus in partibus percipitur, sed vagus; igitur æger intensum calorem sentit iam in brachio, iam in capite, iam in pectore, iam in tibia, iam in pede, &c. *In dolore*, quia dum materia turget motu vago, æger sen-

ſentit aliquem dolorem iam levem, iam intenſum, nunc in capite, nunc in parte dextra, vel in ſiniſtra, nunc in coxa, nunc in una, vel alia parte corporis; taliter, ut ſpatio duarum horarum, vel in minori tempore ſentiat materiam adeſſe in multis, & varijs partibus corporis, quod procedit ex eo, quod talis furioſa materia propelatur à natura, & à partibus, & idcirco nequit conſiſtere in uno loco.

Circa ſenſationem, ut Practicantes clarius inteligant, debemus animadvertere, propriam turgentiam, ſine dubio, primò agnoſci non tantum ex calore, quantum ex doloribus vagis affligentibus, qui quidem dolores nullam habent cauſam, quam acres humores ſeſe moventes per totum corpus, & fibras nerveas irritantes;aliquando ſine evacuationibus ſimpthomaticis, aliquando verò ſimul excitando varias non rarò evaquationes, dum materia turgens movetur versùs ventriculum, inteſtina, &c. ibique ſua mala qualitate ſtimulat excretorias glandulas, unde ſequuntur ſimpthomaticæ excretiones.

Ex colore ægroti noſcitur turgentia, & ideo Medicus ſemper debet obſervare colorem in eo loco, in quo materia turgens detinetur; & ſic videbit nunc unam partem faciei eſſe rubram, & paulopoſt palidam; & id ipſum obſervabitur in alijs corporis partibus; tunc enim illud videns Medicus colligere debet, quod materia turget; quia ille rubor fit, vel ex ſpiritibus, qui illuc feruntur materia exiſtente in motu, vel quia à materia turgente in tempore irritationis, impeditur liber motus progreſsivus ſanguini, & quia ſolita celeritate non tranſit,neceſſum eſt,ut impleantur, diſtendanturque capilaria vaſa ſanguifera, & ſequatur talis rubedo.

Ex continuo motu ægrotantis dignoſcitur turgentia; quia æger non poteſt conſiſtere, ſed continuò movetur, iam ad latus dextrum, iam versùs ſiniſtrum, ſimulque ſentit maximas anxietates, niſi æger ſit aſſuetus ad ſubſtinendos morbos, & labores: ergo ſi ad id non eſt aſſuetus, neceſſum eſt, ut ex aſsidua inquietudine ægrotans inceſſantèr mutet decubitum, velut occultè compunctus ab humoribus acribus furiosè moventibus.

Inſuper rogare debemus Practicantibus, ut teneant in promptu, quam fallax ſit talis turgentia propria; igitur materia prava, dum lancinat interna membra, ſemper eſt, cum maxi-

ximo periculo decumbendi in aliquam partem principem, unde multoties subsequitur ægrotantis obitus, ut contingit illo ægrotante, qui calescens cœnavit, & largius potavit, de quo in epidem. refert Hypoc. quod deliravit à die sexto, usque ad mortem, ei superveniente turgentia in quarto die: neque in hoc periculo dubitandum est, quando ipse Hypoc. in lib. 7. epidem. refert historiam alterius ægroti, qui vocatur Assander, qui habuit turgentiam malignam; igitur dolebant latus, genua, & femora, & cum materia turgens decubuisset ad cerebrum, delirè comedebat, posteaque breviter mortuus est.

CAPUT XIII.

DE SIGNIS, VERGENTIÆ, & urgentiæ, & ex quibus simpthomata dignoscitur.

Signa vergentiæ, seu turgentiæ impropriæ sunt murmur, seu rugitus ventris, intumescentia illius, & evacuationes moderatæ per ventrem inferiorem: *Primum signum* dicitur murmur ventris, quod signum comendat Hypoc. ad hoc, ut in ista turgentia expurgetur in principio universali, & ideo hunc monitum scripsit in l. 4. de Vict.Rat. *Hos si ab initio purgare volueris, ante diem quintum facito, ubi venter murmuraverit.* Ergo si venter murmurat indicium est materiam morbificam moveri per intestina, & ob motum, quem habet turgentis materiæ naturam sapit.

Ventris intumescentia est secundum signum vergentiæ, quæ significat materiam morbificam ferri versùs ventrem inferiorem sine molestia considerabili; sed sensim cadendo, quia sensim expellitur, quæ verò intumescentia, si non accidat in iam morti proximis, incommoda, quæ possunt subsequi ex retentione materiæ morbosæ, impediuntur, si statim exhibeatur purgans levissimum.

Notare licet, quod vergentia cognoscitur non solum per ventris intumescentiam, verum etiam per eius detumescentiam, taliter, ut alternativè fiat intumescentia, & detumescentia; detumescit venter, dum fiunt aliquæ deiectiones, & postea quam istæ cessaverint, tunc denuó alvus intumescit. Per hanc alternativam tumescentiam, & detumescentiam agnovit Hypoc. vergentiam in filio pitionis laborante febre acuta cum comate magno, in eo natura movebat humores in ventrem inferiorem, & ibi detinebantur, à qua detentione venter intu-

tu-

tumescebat;apposito suppositorio multa egesit per inferiorem ventrem, indeque prædicta mala remissiora fiebant; sed est dignum animadversionis, quod breviter à prædicta evacuatione materiæ morbosæ venter intumuit, & febris, somnusque profundus maiora fiebant.

Tertium signum vergentiæ sunt moderatæ evacuationes, hoc est, quod bis, aut ter in die alvus laxus fiat, taliter, ut biliosæ deiectiones appareant; verum si venter bis, aut ter in die evacuet, sive sit in tempore cruditatis, sive in tempore coctionis, indicat talem vergentiam, in principio universali clamitat natura Medico, ut auxiliet cum levi purgante; quia eo indiget ad excernendam talem materiam morbosam impropriè turgentem, ne decumbat in aliquam partem principem: in tempore coctionis, hoc est, quando natura modo critico vult procedere, hoc est, evacuando per alvi fluxum in die critico perfecto, tunc in die indicativo natura evacuat bis, aut ter, & aliquoties aliquid amplius, ad hoc, ut per hanc vergentiam Medicus agnoscat crisim venturam faciendam esse per ventrem.

Signa urgentiæ sunt simpthomata gravissima, & instans periculum vitæ ob suffocationem, quam imminet magna copia materiæ morbosæ; hoc patet si attendimus definitioni urgentiæ, quæ nihil aliud est, quam maius periculum eiusdem morbi, ratione cuius imminet periculum vitæ ex mora; ex hoc infertur, urgentiam non mutare auxilium indicatum, sed significat, quod celerius adhibeatur, v. g. angina pituitosa celerrimè minatur suffocationem, & in eius urgentia, sine mora, in quacumque hora diei, vel noctis propinari debet purgans flegmagogum indicatum.

Quia simpthoma, quod manifestum est, per se notum fit, tantum hìc de occultiori simpthomate agendum venit: illud maximè innotescit ex alio eiusdem morbi simpthomate manifestiore, & remotius ex morbo, & causis eius, sed obscurius; sic ex corporis contabescentia, tanquam ex simpthomate notiore, nutritio diminuta cognoscitur, sic ex malo corporis colore noscitur læsa sanguificatio; sic constrictio debilis cordis dignoscitur ex motu debili impresso tangentis carpo, denique sic agnoscitur diminuta actio animalis ex motu voluntario debili indito nobis ex altero. Pro calce huius capitis animadvertere licet, quod ad rectam prosecutionem signorum

rum diagnosticorum, & prognosticorum multum indigent Practicantes in promptu habere aphorismos Hypocratis, seu brevissimas sententias, quæ non parũ conducunt ad diagnosim, prognosim, & curationẽ. Etiam sunt utilissimi Aphorismi, seu selectiores sententiæ, educti ex libris Doctissimi Hypocratis latini Aurelij Cornelij Celsi. Non minus eis prodesse possunt varij Aphorismi, quos ego scripsi experientia instructus; & idcirco moneo, ut Practicantes memoriæ commitant prædictos Aphorismos, qui in sequentibus capitibus describuntur.

CAPUT XIV.

IN QUO CONTINETUR Liber primus Aphorismorum Hypocratis.

APHOR. I.

Vita Brevis, ars verò longa, occasio autem præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed, & ægrum, & asidentes, & exteriora.

II.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt; sinminus, contrà. Sic, & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & benè tolerant: sinminus contra. Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conveniat, aut non.

III.

Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum verò non quiescant, neque possunt proficere in melius, reliquum est, ut decidant in deterius. His de causis, bonum habitum statim solvere expedit, ut corpus rursus nutriri incipiat. Neque compresiones ad extremum ducendæ, periculosum enim: sed qualis natura fuerit eius qui debet præferre, ad hoc ducere convenit. Sic, & evacuationes, quæ ad extremum deducunt periculosæ. Et rursus refectiones, cum extrema fuerint, periculosæ.

IV.

Victus tenuis atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, in quibus non convenit, periculosus. Et rursus qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est. Nam, & repletiones quæ ad extremum deveniunt, graves sunt.

In

V.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. Quicumque enim error committitur magnus, maior in hoc fit quam in paulo pleniori victu. Propterea etiam ſanis periculoſus exiſtit valdè exquiſitus victus, & conſtitutus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atque ad modum exquiſitus, eo qui ſit paulò plenior magis periculoſus.

VI.

Extremis morbis, extrema exquiſitè remedia optima ſunt.

VII.

Ubi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores: & extremè tenuiſsimo victu utendum eſt. Ubi verò non, ſed pleniorem victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum eſt, quanto morbus extremis eſt mollior.

VIII.

Quando morbus in ſuo vigore coſtiterit, tunc victu tenuiſſimo utendum eſt.

IX.

Coniectari autem oportet, an æger cum victu ſufficiat perdurare donec morbus conſiſtat, & nunquid prius ille deficiat, nec poſsit cum victu perdurare: vel morbus antea deficiat atque habiteſcat.

X.

Quibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, ijs ſtatim tenuis victus adhibendus eſt: quibus verò poſterius debet conſiſtere, ijs, & in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud, cibus ſubtrahendus: prius verò uberius alendum, ut æger ſufficiat.

XI.

In acceſsionibus abſtinere oportet: nam cibum dare nocuum eſt, & quibus per circuitum fiunt acceſsiones, in ipſa acceſsione abſtinere oportet.

XII.

Acceſsiones verò, & conſtitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuitum ſucceſsiva incrementa, ſive quotidie, ſive alternis diebus, ſive per maiora intervalla fiant. Sed ex ijs quæ mox apparent, indicia ſumuntur; quemadmodum *in morbo laterali ſi circa initia ſtatim ſputum appareat, morbum breviat: ſi verò poſtea appareat, producit.* Et urina, & alvi excrementa, & ſudores, quæcumque apparuerint, vel bonam morborum indicationem, vel malam, vel breves, aut longos fore morbos oſtendunt.

XIII.

Senes facillimè ieiunium ferunt, ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent, minus adoleſcentes, omnium mi-

nimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt vividiores.

XIV.

Qui crescunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus absumitur. Senibus veró parum calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum est corpus.

XV.

Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus, plurimus est: unde, & pluribus egent alimentis: indicio sunt ætates, & athletæ.

XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & alijs qui tali victu uti consueverunt.

XVII.

Et quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora,& particulatim oporteat offerre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini.

XVIII.

Æstate,& autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè: secundum locum ver habet.

XIX.

Ijs qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

XX.

Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere oportet.

XXI.

Quæ ducere oportet, quo maximè vergunt per loca conferentia, eo ducere.

XXII.

Concocta medicari, atque movere non cruda, neque in principijs modo non turgeant; plurimum veró non turgent.

XXIII.

Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur qualia conveniunt, & ægri facile tolerant. Atque ubi usque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

XXIV.

In acutis morbis raró, & in principijs medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

XXV.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile

cile ferunt: si contra difficulter.

CAPUT XV.

LIBRI SECUNDI APHOrismorum Hypocratis.

APHOR. I.

IN quo morbo, somnus laborem facit, mortale. Si verò iuvat, non mortale.

II.

Ubi somnus delirium sedat, bonum.

III.

Somnus, atque vigilia, utrumque si modum excesserit, malum.

IV.

Non satietas, non fames, neque aliud quidquam, quod modum naturæ excesserit, bonum.

V.

Spontaneæ lassitudines morbos prænunciant.

VI.

Quicumque dolentes parte aliqua corporis, omninò dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat.

VII.

Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet: quæ verò brevi, breviter.

VIII.

Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti significatur: quod si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet, quod indiget evacuatione.

IX.

Corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere.

X.

Non pura corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes.

XI.

Facilius est impleri potu; quam cibis.

XII.

Quæ relinquuntur in morbis post indicationem, reciduas facere consueverunt.

XIII.

Quibuscumque crisis fit, ijs nox gravis ante accessionem: quæ verò subsequitur, magna ex parte levior existit.

XIV.

In profluvis alvi mutationes excrementorum iuvant, nisi ad mala mutatio fiat.

XV.

Ubi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosæ fuerint, corpus una ægrotat. Si verò similes sanis, tutum est corpus nutrire.

XVI.

Ubi fames, laborandum non est.

XVII.

Ubi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem sanatio.

XVIII.

Eorum quæ universim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.

XIX.

Acutorum morborum non omninò sunt certæ prænunciationes, aut salutis, aut mortis.

XX.

Quibus iuvenibus alvus humecta est, ijs senescentibus exiccatur: Quibus verò iuvenibus alvus sicca est, ijs senescentibus humectatur.

XXI.

Famem vini potio solvit.

XXII.

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio, & quicumque ex evacuatione, repletio, & aliarum contrarietas.

XXIII.

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

XXIV.

Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octavus principium. Est autem, & undecimus considerandus, ipse enim quartus est secundæ septimanæ. Rursus verò, & decimus septimus considerandus, ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus verò ab undecimo.

XXV.

Æstivæ quartanæ magna ex parte breves, autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.

XXVI.

Febrem convulsioni supervenire melius est, quam febri convulsionem.

XXVII.

His, qui ob iustam causam non levius se habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt. Talium enim multa stabilia non sunt, neque multum durare, & permanere consuevere.

XXVIII.

Febricitantium non omninò leviter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plusquam ratio postulat contabescere, malum illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.

XXIX.

Cum morbi inchoant, si quid movendum videtur, move: cum verò consistunt ac vigent, melius est quietem habere.

XXX.

Circa initia, & fines omnia imbeciliora: circa statum verò fortiora.

XXXI.

Eius qui à morbo cupidè comedit, nihil proficere corpus malum.

Om-

XXXII.

Omnes ferè qui malè ſe habent, circa initia cupide comedentes, nec quicquam præficientes, ad poſtremum rurſus cibum non appetunt: qui verò circa initia cibum valdè faſtidiunt, poſteà bene appetentes, ij in melius vadunt.

XXXIII.

In quovis morbo mente conſtare, & benè ſe habere ad illa quæ offeruntur: bonum, contra verò ſe habere malum.

XXXIV.

In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut conſuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus, quam ubi nullis iſtorum congruit.

XXXV.

In quovis morbo, partes ad umbilicum, & imum ventrem attinentes craſsitudinem habere, melius eſt; multum verò extenuari ac contabeſcere, pravum: Sed, & hoc quoque ad inferiores purgationes periculoſum.

XXXVI.

Qui ſanitate corporis fruuntur, medicamenta purgantia aſſumentes, ſtatim debilitantur: & qui pravo utuntur cibo.

XXXVII.

Qui corpore valent, difficulter ferunt medicationes.

XXXVIII.

Parum deterior potus, aut cibus, ſuavior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuavibus, eſt præferendus.

XXXIX.

Senes iuvenibus plurimum quidem ægrotant minus: diuturnis verò morbis correpti, fere commoriuntur.

XL.

Raucedines, & gravedines in valde ſenibus coctionem non admittunt.

XLI.

Qui frequenter ac fortiter abſque cauſa manifeſta deficiunt animo, repentè moriuntur.

XLII.

Solvere apoplexiam fortem, impoſsibile: debilem verò, non facile.

XLIII.

Qui ſuffocantur, & à vita deficiunt, nondum tamen mortui ſunt, non referuntur in vitam, quibus ſpuma circa hos apparet.

XLIV.

Quibus natura admodum craſsi ſunt citius intereunt, quam qui graciles.

XLV.

Quicumque iuvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximé ætatis, & temporum, & locum, & victum quoque liberantur.

Duo-

XLVI.

Duobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat.

XLVII.

Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quam iam confecto.

XLVIII.

In omni corporis motu, ubi laborare cæperit, quies ſtatim laſsitudinem aufert.

XLIX.

Conſueti ſolitos labores ferre, etſi ſint imbeciles, aut ſenes non conſuetis, fortibus, atque iuvenibus facilius ferunt.

L.

Quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſint inſuetis minus moleſtare ſolent. Oportet igitur etiam ad inſueta tranſire.

LI.

Plurimum, atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſive quovis alio modo corpus movere, periculoſum: omne enim nimium naturæ inimicum: ſed quod paulatim fit, tutum eſt, cum aliàs, tum cum ab altero ad alterum tranſitus fit.

LII.

Omnia ſecundùm rationem, facienti, ſi non ſuccedat ſecundùm rationem, non eſt tranſeundem ad aliud, ſuppetente quod ab initio probaveris.

LIII.

Quicumque alvos humidas habent, ſiquidem iuvenes ſint, in meliùs commutantur ijs qui ſiccas habent. Qui verò in ſenectute, eò deteriùs commutantur: nam ſeneſcentibus magna ex parte exſiccantur.

LIV.

Magnitudo corporis, iuventæ quidem neque indecens, neque illiberalis: ſenectæ verò inutilis, & deterior parvitate.

CAPUT XVI.

IN QUO DESCRIBUNTUR Aphoriſmi Hypocratis, Libri tertij.

APHOR. I.

MUtationes temporum potiſsimum pariunt morbos: & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes fiunt, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo.

II.

Naturæ, aliæ quidem ad æſtatem, aliæ verò ad hyemem benè, malève ſe habent.

III.

Morbi quoque alij ad alia benè, vel malè ſe habent, & quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera.

In

IV.

In temporibus, quando eadem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

V.

Austri auditum hebetant, caliginem visui offendunt, caput gravant, tarditatem ac languorem inducunt. Quando (igitur) invaluerint, talia in morbis accidunt. Contra si aquilonia sit tempestas, tusses (vigent) faucium asperitates, alvi duræ, urinæ difficultates, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando igitur hæc viget, talia in morbis expectare oportet.

VI.

Quando æstas fit veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.

VII.

In siccitatibus febres acutæ fiunt. Quod si amplius talis pergat esse annus, qualem fecerit constitutionem, tales plurimum morbos oportet expectare.

VIII.

In legitimis temporibus, ac convenientem servantibus temperaturam, morbi legitimi, & boni iudicij fiunt: in intempestivis autem, non legitimi, & mali iudicij.

IX.

Autumno morbi acutissimi, atque exitiales, maxima ex parte. Ver autem saluberrimum, & minimè exitiale.

X.

Autumnus tabido malus.

XI.

De temporibus siquidem hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver verò pluviosum, & australe, necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines, & intestinorum difficultates, præcipuè verò mulieribus, & viris qui natura sunt humidiores.

XII.

Si verò hyems australis, & pluviosa, & serena fuerit, ver autem siccum, & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit, ex quacumque occasione abortiunt: quæ verò parient, imbecilles, & morbidos infantes pariunt; quare, vel statim intereunt, vel tenues, & valetudinarij vivunt. Cæteris verò mortalibus difficultates intestinorum, & lippitudines siccæ fiunt, senioribus autem destillationes, quæ citò interiment.

XIII.

Si verò æstas sicca fuerit; & aquilonia, autumnus verò pluviosus, & australis: dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines atque gravedines, quibusdam autem, & tabes.

XIV.

Si verò aquilonius, & siccus, ijs qui naturam habent humidio-

diorem ; & mulieribus confert: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & gravedines , nonnullis verò morbi melancholici.

XV.

Ex anni autem constitutionibus , in universum siccitates imbribus sunt salubriores , & minus mortiferæ.

XVI.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt , febres longæ, alvi profluvia , putredines , morbi comitiales , & apoplexiæ , & anginæ. In siccitatibus autem tabitudines , lippitudines, articulorum dolores, stilicidia urinæ , & difficultates intestinorum.

XVII.

Quotidianæ autem constitutiones , aquiloniæ quidem cogunt corpora , firmiora , & agiliora , coloratiora , & melius audientia faciunt, & alvos exiccant , & oculos mordent : & si pectus dolor aliquis prius obsederit , dolorem augent. Austrinæ diffundunt corpora , & humectant , auditum obtundunt, capita aggravant , & vertigines faciunt , oculis atque corporibus difficilem motum præstant, & alvos humectant.

XVIII.

Quantum ad tempora anni, vere quidem , & prima æstate pueri , & qui hos proximé sequuntur ætate , optimè degunt, & sani sunt maximè : æstate verò , & autumno aliquatenus, senes : per reliquum autem autumnum , & hyemem , qui mediam ætatem habent.

XIX.

Morbi , omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibusdam ipsorum , & fiunt , & exacerbantur.

XX.

Vere etenim furores, & morbi melancholici , & comitiales, & profluvia sanguinis , & anginæ , & gravedines , & raucedines , & lepræ , & tusses , & impetigines , & vitiligines , & pustulæ ulcerosæ plurimæ , & tubercula , & articulorum dolores.

XXI.

Æstate autem nonnulli horum , & febres continuæ, & ardentes , & tertianæ febres plurimæ , & quartanæ,& vomitus, & alvi profluvia , & lippitudines oculorum , & aurium dolores , & oris ulcerationes , & genitalium putredines , & sudores.

XXII.

Autumno verò plurimi æstivi morbi fiunt , & febres quartanæ , & erraticæ , & lienes, aqua inter cutem , & tabes , & stillicidia urinæ , & difficultates intestinorum , & coxendicum

cum dolores, & anginæ, & asthmata, volvuli, morbi comitiales, furores, melancholiæ.

XXIII.

Hyeme verò morbi laterales, & pulmonis inflammationes, lethargi, gravedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, laterum lumborum, & capitis, vertigines, & apoplexia.

XXIV.

In ætatibus autem talia contingunt parvis, & nuper natis puerulis, oris ulcera (quæ aphthæ vocantur) vomitus, tusses, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

XXV.

In progressu verò cum iam dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulsiones, alvi profluvia, & maximè cum caninos edunt dentes: & ijs præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & alvos duras habent.

XXVI.

Cum verò iam magis adoleverint, tonsillæ, & vertebræ, quæ est in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, (quos Græci asthmata vocant) calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ (quas Græci acrochordonas vocant.) satyriæ, strangutiæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipuè antedicta.

XXVII.

Grandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem, & plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluvia sanguinis.

XXVIII.

Plurimi autem morbi puerilis iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli in septem mensibus, nonnulli verò in annis septem, quidam verò iam ad pubem accedentibus. Qui verò permanserint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis cum menstrua erumpunt, consenescere consueverunt.

XXIX.

Iuvenibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij, sed præcipuè antedicti.

XXX.

Ultra hanc ætatem progressis asthma, *id est, creber anhelitus*, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alvi profluvia, choleræ, difficultates, & levitates intestinorum, hæmorrhoides.

XXXI.

Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, & renum, vertigines, apoplexia, habitus corporis depravatio,

pruritus totius corporis, vigiliæ: alvi, oculorum, & narium humiditates, visus obtusus glaucedinis, auditus graves.

CAPUT XVII.

IN QUO CONTINETUR Liber quartus Aphorismorum Hypocratis.

APHOR. I.

UTero gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, & usque ad septimum, sed hæ minus: à juniore autem fœtu, & seniore abstinere oportet.

II.

In medicationibus talia, educere è corpore, qualia sponte prodeunt, utile: quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

III.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leviter ferunt: contraria verò graviter.

IV.

Medicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores.

V.

Sub Cane, & ante Canem, difficiles sunt medicationes.

VI.

Graciles, & facile vomentes, purgare superius, caventes hyemem.

VII.

Vomentes verò difficulter, & mediocriter carnosos, per inferiora, caventes æstatem.

VIII.

Tabidos verò, per inferiora, caventes superiora.

IX.

Melancholicos verò plenius per inferiora: eadem ratione contraria apponentes.

X.

Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus, malum est.

XI.

Quibus adsunt tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter solvitur, hydrops siccus contrahitur.

XII.

Quorum alvi intestinorum levitate laborant: hyberno tempore per superiora purgari, malum.

XIII.

Qui non facile per superiora purgantur, ad veratrum admittendi sunt, pleniore cibo, & quiete corporibus ante potionem humectatis.

XIV.

Cùm biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad somnos verò atque quietem minus.

In-

Indicat autem navigatio, turbari motione corpus.

XV.

Cum voles helleborum magis ducere, move corpus; cum verò ſiſtere, ſomnum inducito, nec moveto.

XVI.

Carnes ſanas habentibus helleborus periculoſus: facit enim convulſionem.

XVII.

Eum qui non febricitat, cibi faſtidium, morſus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione indigere per ſuperiora ſignificant.

XVIII.

Dolores qui ſunt ſupra præcordia, quicunque egent purgatione, medicari oportet per ſuperiora ſignificant. Quicunque autem infra ſubſiſtunt, per inferiora.

XIX.

Qui in medicamentis purgati non ſitiunt, non ceſſant priuſquam ſitiant.

XX.

Non febricitantibus ſi termina acciderint, & genum gravitas, & lumborum dolor, purgari per inferiora oportere, ſignificatur.

XXI.

Deiectiones nigræ, ſanguini atro ſimiles, & ſponte procedentes, ſive cum febre, ſive ſine febre, peſsimæ: & quantò colores pravi fuerint plures, tanto deterius: à medicamento verò procedentes, meliores ſunt: idque quanto plures fuerint colores, non pravi.

XXII.

Morbi quibuslibet incipientibus, ſi atrabilis, vel ſupernè, vel infernè exierit, lethale.

XXIII.

Quibuſcunque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quamvis aliud modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti ſanguis niger per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur.

XXIV.

Difficultas inteſtinorum, ſi ab atrabile inceperit, lethalis eſt.

XXV.

Sanguinem quidem ſuprà ferri, qualiſcunque ſit, malum: infra autem, bonum, cum viget deijcitur.

XXVI.

Difficultatem inteſtinorum habenti ſi veluti carunculæ deijciantur, lethale eſt.

XXVII.

Quibus febricantibus ſanguinis fluxerit multitudo quacumque ex parte: cum reficiuntur, alvi ijs humectantur.

XXVIII.

Quibus bilioſæ ſunt deiectiones, hæ ſuperveniente ſurditate ceſſant: & quibus ſurditas

adest, supervenientibus biliosis deiectionibus, cessat.

XXIX.

Quibus, febricitantibus sexto die rigores fiunt difficile iudicium sequitur.

XXX.

Quibuscumque accesiones fiunt, quacumque hora febris dimiserit, si eadem cras occupaverit, iudicium habent difficile.

XXXI.

Febricitantibus lassitudinem habentibus in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

XXXII.

Quibus autem revalenscentibus ex morbo pars aliqua dolet, ibi fiunt abscessus.

XXXIII.

Sed si ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus statuitur.

XXXIV.

Si febrem habenti suffocatio repentè supervenerit, nullo tumore in faucibus existente: est lethale.

XXXV.

Si febrem habenti repentè collum pervertatur, ac vix posit devorare, non existente tumore, lethale est.

XXXVI.

Sudores febricanti si inceperint, boni, tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & vigesimoprimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoprimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivam.

XXXVII.

Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem; cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.

XXXVIII.

Et qua parte corporis sudor est, ibi significat morbum esse.

XXXIX.

Et qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus est.

XL.

Et ubi in toto corpore mutationes fiunt, & si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alius ex alio oriatur: longitudinem morbi significat.

XLI.

Sudor multus ex somno factus absque causa manifesta, corpus uti pluri cibo significat: si verò cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet, quod evacuatione indiget.

XLII.

Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum.

XLIII.

Febres quæcumque non inter-

termittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocumque autem modo intermiserint, periculum abesse significant.

XLIV.

Quos febres longæ exercent, ijs tubercula, vel labores in articulis fiunt.

XLV.

Quibus tubercula, vel in articulis labores ex febribus accidunt, ij pleniore utuntur cibo.

XLVI.

Si rigor indicat febre non intermittente, ægro iam debili, lethale est.

XLVII.

Excreationes in febribus non intermittentibus, lividæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, omnes malæ. Sed si prospere excernuntur, sive per alvi excretionem, sive per urinas, bona. Si verò aliquid eorum quæ non confert excerni, per hæc loca excernitur, malum.

XLVIII.

In febribus non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò urantur, & sitim habeant, lethale est.

XLIX.

In febre non intermittente, si labrum, vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili existente corpore, quicquid horum evenerit, mors proxima est.

L.

Ubi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium acciderit, lethale.

LI.

In febribus, abscessus qui ad primas iudicationes non solvuntur, longitudinem morbi significant.

LII.

Ijs qui in febribus, vel in alijs morbis sponte illachrymant, nihil horribile accidit; qui verò non sponte, horribilius.

LIII.

Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, ijs fortes fiunt febres.

LIV.

Quibus plurimum siccæ tusses leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

LV.

Ex inguinum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias.

LVI.

Febricanti sudor superveniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.

Qui

LVII.

Qui à convulsione, aut distensione nervorum tenetur, febre superveniente liberatur.

LVIII.

Febre ardente laboranti, rigore superveniente, solutio fit.

LXIX.

Tertiana exquisita, septenis circuitibus cùm longissima est, iudicatut.

LX.

Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut alvus turbuata solvit morbum.

Qui morbi diebus paribus iudicantur, malè iudicantur, ac lubenter repetunt.

LXI.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet reverti.

LXII.

Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.

LXIII.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur.

LXIV.

Quibus in febribus morbus regius septimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo supervenerit, bonum: nisi dextrum hypocondrium obduruerit: si verò non, non bonum.

LXV.

In febribus circa ventriculum fortis æstus, & cordis morsus, malum.

LXVI.

In acutis febribus convulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum.

LXVII.

In febribus, ex somnis timores, vel convulsiones, malum.

LXVIII.

In febribus spiritus, offendens, malum: convulsionem enim significat.

LXIX.

Quibus adhuc febricitantibus urinæ sunt crassæ, grumosæ, paucæ, multitudo earum tenuis superveniens, iuvat: præcipuè verò tales veniunt, quibus ab initio, vel non ita multo post, sedimentum inest.

LXX.

Quibus febricitantibus urinæ sunt perturbatæ, quales sunt iumentorum, ijs dolor capitis, vel adest, vel aderit.

LXXI.

Quibus septimo die fit crisis, ijs nubecula rubea quarto die in urina apparet, & alia ex ratione.

LXXII.

Quibus urinæ albæ sunt, & perspicuæ malæ: præsertim verò si in delirantibus apparent.

LXXIII.

Quibus hypocondria suspensa

sa murmurant, lumborum dolore superveniente, ijs alvi humectantur, nisi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proveniat: hæc verò in febribus.

LXXIV.

Quibus speratur abscessus futurus ad articulos, eos liberat abscessu urina multa, crassa, & alba, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, brevi, admodum solutio fit.

LXXV.

Si sanguinem, aut pus mingat, aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat.

LXXVI.

Quibus cum urina crassa carunculæ parvæ, aut veluti capilli una exeunt, ijs à renibus excernitur.

LXXVII.

Quibus cum urina crassa furfurea quædam simul exeunt, ijs vesica scabie laborat.

LXXVIII.

Quicunque sponte sanguinem mingunt, ijs à renibus venula rupta significatur.

LXXIX.

In quorum urinis velut arenulæ subsistunt, ijs vesica laborat calculo.

LXXX.

Si sanguinem mingant, aut grumos vel stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum indicat ventrem, & pectinem, & femen, ad vesicam labor est.

LXXXI.

Si sanguinem, aut pus minxerit, aut squamulas, & gravis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.

LXXXII.

Quibus in urinaria fistula tubercula nascuntur: ijs suppuratione facta, & eruptione, solutio advenit.

LXXXIII.

Mictio noctu plurima contingens, parvam significat deiectionem.

CAPUT XVIII.

LIBRI QUINTI APHORISmorum Hypocratis.

APHOR. I.

Convulsio ex helleboro, lethalis est.

II.

Convulsio ex vulnere, lethalis est.

III.

Ubi sanguis plurimus fluxerit, singultus, aut convulsio superveniens, malum.

IV.

Ex nimia purgatione convulsio, aut singultus superveniens, malum, & lethale.

V.

Si ebrius quispiam repentè ob-

obmutuerit, convulsus moritur, nisi febre corripiatur: aut ubi ad horam pervenerit, qua solvuntur crapulæ, vocem recuperet.

VI.

Quicumque tetanō corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt.

VII.

Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuscunque autem vigesimoquinto anno, ferè commoriuntur.

VIII.

Quicumque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur.

IX.

Tabes fiunt præcipuè ætatibus à decimo octavo usque ad trigesimumquintum.

X.

Quicumque ab angina liberantur, ijs ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt: si verò has effugerint, suppurantur.

XI.

Qui tabe molestantur, si sputum quod extusiunt grave olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.

XII.

Quibuscunque tabe laborantibus, capilli à capite defluunt: ij alvi profluvio superveniente, moriuntur.

XIII.

Quicumque spumosum sanguinem expuunt, ijs è pulmone eductio fit.

XIV.

Tabe laboranti, profluvium alvi superveniens, lethale.

XV.

Quicumque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur, à die qua fit ruptio, liberantur. Si verò non, ad tabem transeunt.

XVI.

Calidum ubi quis sæpius eo utitur, hæc mala affert, carnis effœminationem, nervorum imbecilitatem, mentis torporem, profluvia sanguinis, animi defectionem: quibus mors sucedit.

XVII.

Frigidum autem, convulsiones, tetanos, livores, rigores febriles.

XVIII.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò utilè.

XIX.

Quæcumque refrigerata sunt, excalefacere oportet, exceptis ijs, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

XX.

Ulceribus frigidum quidem mor-

mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, livorem inducit, rigores febriles, convulsiones, tetanos.

XXI.

Est autem ubi in tetano sine ulceratione iuvene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem revocat. Calor autem hæc solvit.

XXII.

Calidum suppuratorium non in omni ulcere, magnum ad securitatem est iudicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, convulsiones, & tetanos mitigat; capitis solvit gravitatem, plurimum autem confert osſium fracturis, sed nudis præcipuè eorumque maximé, qui in capite ulcera habent, & quæcumque à frigore moriuntur, vel ulcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, utero vesicæ, his calidum amicum, & iudicans, frigidum inimicum, & perimens.

XXIII.

In his frigido est utendum; unde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa admoto, sed circa ea unde influit: & ubicumque inflammationes, aut velut incendia quædam ad rubrum, & floridum sanguine recenti tendunt: ijs ipsis admoto: nam uteribus nigredinem offert. Erysipelas etiam non ulceratum iuvat: nam exulceratum lædit.

XXIV.

Frigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica: tusses movent, sanguinis profluvium, & destilationes.

XXV.

Tumores articulorum, atque dolores, absque ulcere, podagras, & cōvulsiones horum plurima frigida aqua largè effusa levat, & extenuat, solvitque dolorem: nam modicus torpor dolorem solvit.

XXVI.

Aqua quæ citò calet; & citò refrigeratur, levisſima est.

XXVII.

Qui noctu bibere appetunt, ijs admodum sitientibus, si superdormiverint, bonum.

XXVIII.

Sufficus aromatum muliebria ducit: sæpius verò, & ad alia utilis esset, nisi capitis faceret gravitatem.

XXIX.

Gravidas purgare, turgente materiá, quarto mense usque ad septimum, minus verò has. Recentiores autem, & seniores fœtus cavere oportet.

XXX.

Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.

XXXI.

Mulier gravida, sanguine misso ex vena; aborit: & præcipuè si fœtus sit grandior.

X Mu-

XXXII.

Mulieri sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus, solutio advenit.

XXXIII.

Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.

XXXIV.

Mulieri gravidæ, si alvus plurimum profluat, periculum est ne abortiat.

XXXV.

Mulieri quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniens sternutatio, bonum.

XXXVI.

Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam.

XXXVII.

Mulieri utero gerenti, si mammæ graciles repentè fiant, abortit.

XXXVIII.

Mulieri utero gerenti, & geminos habenti, si altera mamma gracilis fiat, alterum abortit: & siquidem mamma dextra gracilis fiat, marem: si verò sinistra, fœminam.

XXXIX.

Si mulier quæ neque gravida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

XL.

Quibuscumque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

XLI.

Si vellis noscere an conceperit mulier: cum dormitura est, ei non incœnatæ aquam mulsam pòtandam da: & si alvi termina patietur, concepit, si minus non concepit.

XLII.

Mulier gravida si marem concepit, benè colorata est: si verò fœminam, malè colorata.

XLIII.

Si mulieris gravidæ in utero sit erysipelas, lethale.

XLIV.

Quicumque præter naturam tenues existentes, utero gerunt, abortiunt prius quam crassescant.

XLV.

Quæcumque mediocriter corpora habentes abortiunt secundo, aut tertio mense sine occasione manifesta; ijs acetabula uteri plena mucoris sunt, & non possunt propter pondus fœtum continere, sed disrumpuntur.

XLVI.

Quæcumque præter naturam crassæ, non concipiunt utero, ijs omentum os uteri comprimit; & priùs quàm extenuentur non concipiunt.

XLVII.

Si uterus in coxam vergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.

Fœ-

XLVIII.

Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis.

XLIX.

Ut secundæ procidant, sternutatorio apposito, nares comprime, & os.

Mulieri gravidæ, tenesmus superveniens abortum facit.

L.

Mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mammam appone.

LI.

Quæ utero gerunt, ijs uteri os comprimitur.

LII.

Mulieri utero gerenti, si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat; si verò mammæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.

LIII.

Quæ corrupturæ sunt fœtus, ijs mammæ extenuantur. Quod si rursus duræ fiant, dolor, aut mammas, coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpent.

LIV.

Quibus os uteri durum est, ijs uteri os comprimi est necessarium.

LV.

Quæcumque utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter extenuantur, calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo; aut abortum facientes periclitantur.

LVI.

In fluxu muliebri, si convulsio, & animi defectus advenerit, malum, & lethale.

LVII.

Menstruis largius fluentibus, morbi eveniunt: non fluentibus autem, ex utero morbi contingunt.

LVIII.

Rectò intestino, aut utero inflammationem paciente, & renibus purulentis urinæ advenis stillicidium; & iecinoris verò inflammationem singultus sequitur.

LIX.

Si mulier non concipit, scire autem velis, si conceptura sit, pannis circumtectam infernè suffias: & si odor videatur per corpus ire ad nares, & os, scito quod ipsa non ex se ipsa sterilis est.

LX.

Si mulieri gravidæ purgationes procedant, impossibile est fœtum esse sanum.

LXI.

Si mulieri cessent purgationes, neque febri, neque rigore superveniente, & fastidia cibi incidant: iudica ipsam in utero habere.

LXII.

Quæcumque frigidos, & spis-

spissos uteros habent, non concipiunt. Et quæcumque præhumidos uteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura. Et quæcumque siccos multum, & præcalidos: nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcumque verò ex utriusque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.

LXIII.

Similiter autem, & in maribus. Aut enim propter corporis raritatem spiritus extra fertur, ita ut semen non transmittat ad os; vel propter spissitudinem humor non exit foras; vel propter frigiditatem non concalescit, itaque in eo loco concrescit; vel propter caliditatem hoc idem accidit.

LXIV.

Lac dare caput dolentibus, malum. Malum verò, & febricitantibus, & quibus hypocondria suspensa murmurant, & siticulosis: malum autem, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Convenit autem tabidis dare: qui non valdè multum febricitant, & in febribus longis, & parvis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

LXV.

Quibus tumores in ulceribus apparent, non admodum convelluntur, neque insaniunt, verum his evanescentibus de repente, illis quidem quibus à tergo, covulsiones, & tetani fiunt; quibus autem à fronte, insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.

LXVI.

Si in vulneribus fortibus, & pravis tumores non appareant, ingens malum.

LXVII.

Molles boni, crudi verò mali.

LXVIII.

Dolenti parte capitis posteriore, in fronte recta vena incisa prodest.

LXIX.

Rigores incipiunt; mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum percurrunt ad caput, sed, & viris parte corporis posteriore magis quam anteriore, veluti ex femore, & cubito. Sed, & cutis rara: indicio autem est pilus.

LXX.

A quartanis capti, non admodum à convulsionibus capiuntur. Si verò prius capiantur, & quartana supervenerit, liberantur.

LXXI.

Quibus cutes circuntenduntur aridæ, & duræ, sine sudore mo-

moriuntur: quibus verò laxæ, & raræ, cum sudore moriuntur.

LXXII.

Qui regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.

CAPUT XIX.

IN QUO DESCRIBUNTUR Aphorismi Libri sexti ex Hypocrate.

APHOR. I.

IN longis levitatibus intestinorum, si ructus acidus superveniat, qui prius non erat, signum bonum.

II.

Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus verò contraria, salubrius degunt.

III.

In longis difficultatibus intestinorum, cibi fastidium, malum, & cum febre peius.

IV.

Ulcera circumglabra prava sunt.

V.

Dolores laterum, pectoris, & aliarum partium, si multum differant, sunt considerandi.

VI.

Renum, & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur.

VII.

Dolores ventris sublimes, leviores: qui verò non sublimes, fortiores.

VIII.

Aqua inter cutem laborantibus, ulcera in corpore facta difficulter sanantur.

IX.

Latæ pustulæ non admodum pruriunt.

X.

Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures morbum solvit.

XI.

Melancholia, & nephritide laborantibus hæmorrhoides supervenientes, bonum.

XII.

A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non servatur, periculum est aquam inter cutem, vel tabem advenire.

XIII.

A singultu correptum, sternutatio superveniens liberat.

XIV.

Hydrope correpto, si aqua è venis in ventrem defluxerit, solvitur.

XV.

Longo alvi profluvio laboranti, spontaneus vomitus superveniens, morbum solvit.

XVI.

Pleuritide, & peripneumonia

nia correpto; alvi profluvium adveniens, malum, & lethale.

XVII.

Lipientem alvi profluvio corripi bonum.

XVIII.

Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut præcordijs, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.

XIX.

Cùm discissum fuerit os, aut cartilago, vel nervus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalesci.

XX.

Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

XXI.

Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides, supervenerint, insaniæ solutio.

XXII.

Quæcumque ruptiones ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio solvit.

XXIII.

Si timor atque mœstitia longo tempore perseverent, ex eo atrabilis significatur.

XXIV.

Si quid intestinorum gracilium discindatur, non coalescit.

XXV.

Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

XXVI.

Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solvuntur.

XXVII.

Quicumque suppurati, aut aquam inter cutem patientes uruntur; aut secantur: si pus, aut aqua universim effluxerit, omnes moriuntur.

XXVIII.

Eunuchi neque podagra laborant, neque calvi fiunt.

XXIX.

Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

XXX.

Puer podagra non laborat ante usum venereorum.

XXXI.

Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum solvit.

XXXII.

Balvi ab alvi profluvio longo maximè capiuntur.

XXXIII.

Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.

XXXIV.

Quicumque calvi sunt; ijs magnæ varices non fiunt: quibus verò calvis varices magnæ superveniunt, ij rursus capillati fiunt.

XXXV.

Aqua inter cutem laborantibus tusſis ſuperveniens, malum.

XXXVI.

Difficultatem urinæ vena ſecta iuvat, ſecare verò interiores.

XXXVII.

Angina correpto, ſi tumor fiat in collo, bonum: foras enim morbus deducitur.

XXXVIII.

Cancros occultos habentes melius eſt non curare. Curati enim citò pereunt, non curati verò longius tempus perdurant.

XXXIX.

Convulſio fit, vel ex repletione, vel inanitione: ita verò, & ſingultus.

XL.

Quibus dolor circa hypocondrium fit abſque inflammatione, ijs febris ſuperveniens dolorem ſolvit.

XLI.

Quibuſcumque ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, ijs ob craſsitudinem puris, aut loci, non innoteſcit.

XLII.

Morbo regio laborantibus, ſi fiat hepar durum, malum.

XLIII.

Quicumque lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, ijs ſupervenientem longam difficultatem inteſtinorum aqua inter cutem, aut levitas inteſtinorum excipit, & moriuntur.

XLIV.

Quibus ex ſtillicidio urinæ ileos ſupervenerit, in ſeptem diebus pereunt: niſi febre ſuperveniente ſatis urina fluxerit.

XLV.

In ulceribus annuis, aut etiam diuturnioribus, abſceſſum os pati eſt neceſſe, & cicatrices cavas fieri.

XLVI.

Quibus gibbi ex aſthmate, aut tuſsi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

XLVII.

Quibuſcumque venæ ſectio, vel medicatio convenit, hos verè purgare, vel venam incidere oportet.

XLVIII.

Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperveniens, bonum.

XLIX.

Quibuſcumque morbi podagrici fiunt, ij ſedata in quadraginta diebus inflammatione, finiunt.

L.

Quibuſcumque præciditur cerebrum, ijs neceſſe febrem, & bilis vomitum ſupervenire.

LI.

Quicumque ſani dolore capitis repentè capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſep-

septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.

LII.

Oportet verò considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alvi profluvio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & lethale valde.

LIII.

Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores: quæ verò cum studio, periculosiores.

LIV.

In acutis passionibus, quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria, mala.

LV.

Dolores podagrici vere, & autumno magna ex parte moventur.

LVI.

In morbis melancholicis in hæc pericula inciditur: stuporem corporis, vel convulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant.

LVII.

Apoplexiæ autem fiunt, maximè à quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

LVIII.

Si omentum excidat necessariò putrescit.

LIX.

Quibuscumque à longo coxendicum dolore molestatis cavitate sua excidit coxa, & rursus recidit, ijs mucores superveniunt.

LX.

Quibuscumque à coxendicum dolore molestatis diuturno excidit coxa, ijs femur tabescit, & claudicant, si non urantur.

CAPUT XX.

IN QUO CONTINETUR liber septimus Aphorismorum Hypocratis.

APHOR. I.

IN morbis acutis frigus partium extremarum, malum.

II.

In osse ægrotante caro livida, malum est.

III.

A vomitu singultus, & oculorum rubor, malum.

IV.

A sudore horror, non bonum.

V.

A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum.

VI.

In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ, malum.

VII.

Ex multa potatione, rigor, & desipientia, malum.

A

VIII.

A tuberculi introrſum ruptione, virium deiectio, vomitio, aut animi defectio fit.

IX.

A profluvio ſanguinis, deſipientia, ac convulſio, malum.

X.

Ab ileo vomitus, ſingultus, convulſio, vel deſipientia, malum, & lethale.

XI.

A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.

XII.

A pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

XIII.

Ab æſtibus fortibus convulſio, aut tetanus, malum.

XIV.

Ex capitis ictu obſtupeſcentia, & deſipientia, malum.

XV.

A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum.

XVI.

A puris ſputo phthiſis, & fluxus: cum verò ſputum retinetur, moriuntur.

XVII.

In hepatis inflammatione ſingultus, malum.

XVIII.

Ex vigilia convulſio, vel deſipientia, malum.

XIX.

Ex oſsis nudatione eryſipelas.

XX.

Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum.

XXI.

A forti in ulceribus pulſu, profluvium ſanguinis, malum.

XXII.

A ventris dolore diuturno, ſuppuratio.

XXIII.

A deiectione ſyncera, difficultas inteſtinorum, malum.

XXIV.

In oſsis præciſione, deſipientia, ſi vacuum apprehenderit.

XXV.

Ex medicamenti potione convulſio, lethalis eſt.

XXVI.

In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas, malum.

XXVII.

Mulieri uero gerenti, ſi tetanus ſupervenerit, facit abortum.

XXVIII.

Quando os, aut cartilago, aut nervus abſcinditur in corpore, neque augetur, neque coaleſcit.

XXIX.

Et qui leucophlegmatia detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſupervenerit, à morbo liberatur.

XXX.

Quibus in alvi profluvijs excrementa ſpumoſa ſunt, ijs ex capite pituita defluit.

XXXI.

Quibuscumque febricitantibus, in urinis fiunt sedimina, veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significant.

XXXII.

Quibus autem urinis biliosa sedimina, ac supernè tenuia sunt, acutum morbum significant.

XXXIII.

Quibuscumque urinæ divulsæ sunt, ijs turbatio fortis in corde fit.

XXXIV.

Quibus in urinarum summo bullæ insident, morbum renalem, & longum significant.

XXXV.

Quibus autem summum est pingue, & confertum, ijs renum dolor, & morbus esse acutus significatur.

XXXVI.

Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiunt: siquidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta: si verò dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus expecta futuros interius.

XXXVII.

Quicumque evomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare: si verò cum febre, malum. Curare verò acerbis, & refrigerantibus.

XXXVIII.

Destilationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies.

XXXIX.

Si quis sanguinem minxerit, & grumos, & stillicidio urinæ laboret, & dolor inciderit in imum ventrem, pectinem, & ad anum: circa vesicam morbus esse significatur.

XL.

Si lingua repentè incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupida: tale est melancholicum.

XLI.

Si senioribus supra modum purgatis singultus supervenerit, non bonum.

XLII.

Si febris non ex bile sit: multa aqua calida capiti super infusa, solutio fit febris.

XLIII.

Mulier ambidextra non fit.

XLIV.

Quicumque suppurati uruntur, vel secantur, si pus purum fluxerit, & album, evadunt: si verò subcruentum, & fœculentum, ac fœtidum, pereunt.

XLV.

Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt, in tunica enim his pus continetur: si verò qualis amurca fluat, pereunt.

Do-

XLVI.

Dolores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, venæ sectione curato.

XLVII.

Aqua inter cutem laborans, si tussi corripiatur, desperatus est.

XLVIII.

Urinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ sectio solvit: incidere autem interiores.

XLIX.

Ab angina correpto tumor, & rubor in pectore superveniens, bonum: extra enim vertitur morbus.

L.

Quibus cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt: si verò hos evaserint, sani fiunt.

LI.

Sternutamentum fit ex capite, calefecto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani. Aër enim intus contentus extra erumpit. Sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

LII.

Quibus hepar vehementer dolet, ijs febris superveniens solvit dolorem.

LIII.

Quibus à venis sanguinem mittere confert, ijs verè venam oportet secare.

LIV.

Quibus inter ventriculum, & septum transversum pituita reposita est, & dolorem affert, non habens viam ad alterum ventrem ijs per venas in vesicam pituita versa, solvitur morbus.

LV.

Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, ijs venter aqua repletur, & moriuntur.

LVI.

Anxietudo, oscitatio, horror, vinum æquale æquali potum solvit ægritudinem.

LVII.

Quibus in urinario meatu tubercula fiunt, ijs suppuratione facta, & eruptione, solvitur dolor.

LVIII.

Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

LIX.

Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere convenit: fames enim corpora siccat.

LX.

Ubi in toto corpore fiunt mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.

LXI.

Sudor multus, calidus, vel fri-

frigidus, semper fluens, repletionem humoris esse significat: abducere igitur oportet, robusto quidem supernè, debili verò inferné.

LXII.

Febres quæcumque non intermittentes, si tertia die fortiores fiunt periculosæ quocunque autem modo intermiserint, significant quod non sunt periculosæ.

LXIII.

Quibuscunque febres sunt longæ, ijs, tubercula, vel ad articulos dolores decumbunt.

LXIV.

Quibuscunque tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decumbunt, ij cibo pleniore utuntur.

LXV.

Si quis cibum febricitanti dederit, sano quidem robur, laboranti verò morbus.

LXVI.

Quæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet si talia sunt, qualia sanis excernuntur. Quæ igitur minimè similia sunt his, hæc morbosiora. Quæ verò sunt sanis similia, hæc minimè morbosa.

LXVII.

Et quibus deiectiones si stare permiseris, & non moveris, veluti strigmenta subsistunt: & si pauca sint, paucus est morbus: quod si multa, multus ijs confert alvi purgatio. Quod si alvo non purgata dederis sorbitiones, quantò plures dederis, tantò magis nocebis.

LXVIII.

Quibuscunque cruda infrà deijciuntur, atrabilis inest: si plura, maior: si pauciora, minor est morbus.

LXIX.

Excretiones in febribus non intermittentibus lividæ, sanguineæ, biliosæ, & fœtidæ, omnes malæ. Cum verò bene excernuntur, bonum est, & per ventrem, & per vesicam: & ubi aliquid secedens steterit non purgatum, malum.

LXX.

Corpora oportet, ubi quis purgare voluerit, fluida facere: & si supra velis fluida facere, sistere alvum: si verò infra, humectare.

LXXI.

Somnus, vigiliæ, utraque modum excedentia morbus.

LXXII.

In febribus non intermittentibus, si exteriora frigent, interiora uruntur, & febris habeat, lethale.

LXXIII.

In febre non intermittente, si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium pervertatur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit: quicquid horum fuerit, lethale est.

A

LXXIV.

A pituita alba, aqua inter cutem supervenit.

LXXV.

Ab alvi profluvio difficultas intestiuorum.

LXXVI.

A difficultate intestinorum levitas intestinorum supervenit.

LXXVII.

A corruptione, abscessus ossis.

LXXVIII.

A sanguinis vomitu, tabes, & puris purgatio suprà.

LXXIX.

Qualia fuerint vesicæ, aut alvi excrementa, & ex carnibus, & sicubi albi à natura corpus exierit; si parum, paucus est morbus: si multum, multus: si valdè multum, lethale est.

CAPUT XXI.

LIBRI OCTAVI APHORISmorum Hypocratis.

APHOR. I.

Qui Seniores annis quadraginta phrenitici fiunt, non admodum convalescunt: minus enim periclitantur ij, quorum naturæ, & ætati morbus fuerit familiaris.

II.

Quibuscunque oculi in morbis lacrymantur voluntariè, bonum; quibus verò sine voluntate, malum.

III.

Quibus in febribus quartanis sanguis è naribus fluxerit, malum *est*.

IV.

Sudores in diebus iudicatorijs oborientes, vehementes, & veloces, periculosi *sunt*, *&* qui expelluntur ex fronte velut guttæ, & aquæ scaturientes: & frigidi valdè ac multi, necesse *est* enim eiusmodi sudorem prodire cum violentia, & laboris excessu, ac expressione diuturna.

V.

Ex morbo diuturno, alvi fluor malum.

VI.

Quæcunque non sanat medicamenta ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat, quæ ignis non sanat, ea incurabilia iudicare oportet.

VII.

Tabes ijs maximè ætatibus fiunt; quæ á decimo octavo *sunt*, usque ad trigesimum quintum.

VIII.

Quæ secundum naturam ad tabem vergunt, omnia quidem vehementia, quædam verò etiam lethalia. Secundum autem erat, si eo tempore ægrotet, quo tempus ipsum morbo opem fert, quemadmodum febri ardenti æstas, hydropico hyems,

hyems, id enim quod est à natura victoriam obtinet, at spleni plus affert timoris.

IX.

Lingua nigra atque cruenta, cum quid horum signorum abest, non admodum malum *signum*: morbum enim minorem significat.

X.

Hæc igitur in febribus acutis observare oportet, *uti noscamus*, quando *quis* moriturus sit, & quando evasurus.

XI.

Testis dexter frigidus convulsusque mortiferum *est*.

XII.

Ungues nigri, & digiti manuum, ac pedum frigidi, contracti, vel remissi, mortem proximum esse significat.

XIII.

Labra livida, aut etiam resoluta, & inversa, & frigida, mortifera.

XIV.

Aures frigidæ, perlucidæ, contractæ, lethales sunt.

XV.

Et tenebricosa vertigine laborans, & *lucens* aversans, & somno ac ardore multo detentus, desperatus *est*.

XVI.

Et qui paulatim rabie agitari incipit, & non agnoscit, neque audit, neque intelligit, exitio proximus *est*.

XVII.

Morituris *signa* hæc multo fiunt manifesta, & venter attollitur, atque inflatur.

XVIII.

Terminus verò mortis est, cum animæ calor supra umbilicum ad locum septo transverso superiorem ascendit, & omnis humor exuritur. Cum *autem* pulmo, & cor calore in mortiferis locis coacervato humorem amiserint, caloris spiritus confertim exhalat, cuius ope totum, cum toto compactum erat. Præterea partim per carnes, partim per capitis spiracula, unde vivere dicimus, relinquens anima corporis domicilium, frigidum, & mortale simulacrum una cum bile, sanguine, pituita, & carne deditione reddit.

CAPUT XXII.

IN QUO CONTINENTUR Aphorismi Cornelij Celsi, extracti ex Libro primo.

APHOR. I.

UT alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem ægris medicina promittit.

II.

Desidia atque luxuria, hæc duo prius in Græcia corpora vitiarunt, deinde apud nos afflixerunt.

Non

III.

Non credunt posse eum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret.

IV.

Eum rectè curaturum esse dicunt, quem prima origo causæ non fefellerit.

V.

Occursurum enim initio dicunt eum, qui originem non ignorarit.

VI.

Differunt pro natura locorum genera medicinæ.

VII.

Nam ne agricolam quidem, aut gubernatorem disputatione, sed usu fieri.

VIII.

Alij putant interesse, non quid morbum faciat, sed quid tollat.

IX.

Morbi non eloquentiâ, sed remedijs curantur.

X.

Neque quicquam est stultius, quam quale quid vivo homine, est, tale existimare esse, moriente, imo jam mortuo.

XI.

Cuius rei non est certa cognitio, eius opinio certum reperire remedium non potest: Verumque est quod ad ipsam curandi rationem nihil plus confert quàm experientia.

XII.

(Medicina) est ars conjecturalis, neque respondet ei plerumque non solum conjectura, sed experientia.

XIII.

Interest enim, fatigatio morbum, an sitis, an frigus, an calor, an vigilia, an fames fecerit; an cibi vinique abundantia, an intemperantia libidinis.

XIV.

Neque ignorare medicum oportet, quæ sit ægri natura; humidum magis, an magis siccum corpus eius sit, validi nervi, an infirmi, frequens valetudo an rara, eaque, cum est, vehemens esse soleat, an lenis, brevis, an longa.

XV.

Vix ulla perpetua præcepta Medicinalis ars recipit.

XVI.

Hypocrates dixit, mederi oportere communia, & propria intuentem.

XVII.

Non eadem omnibus, etiam in similibus casibus opitulantur.

XVIII.

Qui secundis aliquando frustra curatus est, contrarijs sæpe restituitur.

XIX.

Cum par scientia sit, utiliorem tamen medicum esse (scias) amicum, quàm extraneum.

XX.

Sanus humo, qui & benè valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet; ac neque Medico, neque iatroaliptâ egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro: navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.

XXI.

Bis die cibum capere, potius quam semel, potest homo: & semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat.

XXII.

Concubitus neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est: rarus, corpus excitat, frequens solvit, cum autem frequens non numero sit, sed natura ratione ætatis, & corporis, scire licet eum non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur.

XXIII.

Cavendum, ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur.

XXIV.

Imbecillis stomacho, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque penè cupidi literarum sunt, observatio necessaria est, ut quod corpori vel loci, vel studij ratio detrahit, cura restituat. Ex his igitur qui benè concoxit, manè tutò surget, qui parum quiescere debet, & si manè surgendi necessitas fuerit redormire: qui non concoxit ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitatione, neque negotio credere.

XXV.

Scire licet integrum corpus esse, cum quotidie manè urina alba, dein rufa est: illud concoquere, hoc concoxisse significat.

XXVI.

Si lucubrandum est, non post cibum facere, sed post concoctionem.

XXVII.

Quem interdiu vel domestica, vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod servandum curationi corporis est. Prima autem eius curatio exercitatio est, quæ semper antecedere cibum debet; exercitationis autem modus, & finis esse debet sudor, aut certè lassitudo, quæ citra fatigationem sit.

XXVIII.

Nunquam utilis est nimia sacietas. Sæpe inutilis est nimia abstinentia. Sæpe si qua intemperantia subest, tutior est in potione quam in esca.

Se-

XXIX.

Secunda menſa bono ſtomacho nihil nocet, in imbecillo coaleſcit.

XXX.

Poſt ſatietatem nihil agendum.

XXXI.

Ubi expletus eſt aliquis, facilius concoquit, ſi, quicquid aſſumpſit: potione aquæ frigidæ includit, tum pauliſper invigilat, deindè benè dormit.

XXXII.

Neque ex ſalubri loco in gravem, neque ex gravi in ſalubrem tranſitus ſatis tutus eſt.

XXXIII.

Neque verò ex multa fame nimia ſatietas, neque ex nimia ſatietate fames idonea eſt.

XXXIV.

Periclitatur, & qui ſemel, & qui bis die cibum incontinenter contra conſuetudinem aſſumit.

XXXV.

Neque ex nimio labore ſubitum ocium, neque ex nimio ocio ſubitus labor ſine gravi noxa eſt.

XXXVI.

Cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit aſſueſcere.

XXXVII.

Nimis ocioſa vita utilis non eſt, quia poteſt incidere laboris neceſsitas.

XXXVIII.

Illud noſſe oportet quod ex labore, ſudanti, frigida potio pernicioſiſsima eſt: atque etiam cum ſudor ſe remiſit, itinere fatigatis inutilis.

XXXIX.

Levat laſsitudinem etiam laboris mutatio: eumque, quem novum genus cujuſdam laboris preſsit, id quod in conſuetudine eſt, reficit.

XL.

Quod contra conſuetudinem eſt, nocet, ſeu molle, ſeu durum eſt.

XLI.

Ante omnia ſcire convenit naturam corporis: quia alii graciles, alii obeſi ſunt; alii calidi, alii frigidiores; alii humidi, alii ſicciores, alios adſtricta, alios reſoluta alvus exercet.

XLII.

Raro quiſquam non aliquam partem corporis imbecillam habet.

XLIII.

Vomitus inutilis eſt gracilibus, & imbecillum ſtomachum habentibus: utilis eſt plenis, & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerunt. Nam, ſive plus eſt, quam quod concoqui poſsit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet: ſi verò corruptum eſt, nihil commodius eſt, quam id, qua via primum expelli poteſt, ejicere.

XLIV.

(Vomitum) luxuriæ causa fieri non oportere confiteor.

XLV.

Qui valere, & senescere volet, (vomere) quotidianum non habeat.

XLVI.

Dejectio autem medicamento petenda est, ubi venter suppressus parum reddit; ex eoque inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque superioris partis mala increscunt.

XLVII.

Sed purgationes quoque, ut interdum necessariæ sunt, sic ubi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cum omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas sit.

XLVIII.

Vinum dilutius pueris, meracius senibus (convenit.)

XLIX.

Hyeme plus esse convenit; minus, sed meracius, bibere. At Vere paulum cibo demendum adjiciendumque potioni, sed dilutius tamen bibendum est. Æstate, ut sæpius utendum cibo, sic exiguo est. Per Autumnum propter cœli varietatem periculum maximum est: itaque neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportet: Cibo vero jam pleniore uti licet, minus sed meracius bibere.

L.

Venus Hyeme non perniciosa, Vere tutissima: neque Æstate verò, neque Autumno utilis est: tolerabilior tamen per Autumnum est. Æstate in totum, si fieri potest, abstinendum.

LI.

Capiti nihil æquè prodest atque aqua frigida.

LII.

Semper post cibum conquiescere (oportet) neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni dimoveri.

LIII.

Calor adjuvat omnia, quæ frigus infestat.

CAPUT XXIII.

APHORISMORUM QUI IN libro secundo Cornelij Celsi continentur.

APHOR. I.

Saluberrimum ver est, proximè deinde ab hoc hyems, periculosior æstas, autumnus longè periculosissimus. Ex tempestatibus verò optimæ æquales sunt, sive frigidæ, sive calidæ: Pessimæ, quæ variant maximè: quo fit, ut autumnus plurimos opprimat.

II.

Saluberrimi sunt sereni dies: me-

meliores pluvii, quàm tantum nebulosi, optimique hyeme, qui omni vento vacant: æstate quibus favonii perflant. Si genus aliud ventorum est, salubriores septentrionales, quam subsolani, vel austri sunt.

III.

Ventus ubique ferè à mediterraneis regionibus veniens salubris, à mari gravis.

IV.

Pessimum ægro est cælum, quod ægrum fecit.

V.

Ætas media tutissima est, quia neque juvente calore, neque senectutis frigore infestatur.

VI.

Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet.

VII.

Corpus autem habilissimum, quadratum est, neque gracile, neque obesum. Nam longa statura, ut in juventa decora est, sic matura senectute conficitur: Corpus gracile, infirmum: obesum hebes est.

VIII.

Inimicior senibus hyems, æstas adolescentibus est.

IX.

Omnis pueritia primum circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem periclitatur.

X.

Adolescentia morbis acutis, itemque comitialibus, tabique maximè objecta est.

XI.

Obesi plerumque acutis morbis, & difficultate spirandi strangulantur, subitoque sæpè moriuntur.

XII.

Si speciosior, & plenior aliquis, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet: quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, ferè retro quasi ruina quadam revolvuntur. Pejus tamen signum est ubi aliquis contra consuetudinem emarcuit, & decorem coloremque amisit, quoniam in his quæ superant, est quod morbus demat: in his quæ desunt non est, quod ipsum morbum ferat.

XIII.

Sunt quædam proprietates hominum, sine quarum notitia non facilè quicquam in futurum præsagiri potest.

XIV.

Facilè securus est aliquis in iis, quæ sæpè sine periculo evasit.

XV.

Mali morbi testimonium est vehementer, & crebro spirare.

XVI.

Mali etiam morbi signum est nimis celeriter emacrescere.

XVII.

Periculosum est etiam, post arquatum morbum febrem oriri.

XVIII.

Nulla acuta febris leviter terrere nos debet.

XIX.

Vomitus sinceræ pituitæ, vel bilis periculosus, pejorque si viridis, aut niger est: at mala urina est, in qua subsidunt subrubra, aut livida: deterior, in qua quasi fila quædam tenuia, atque alba, pessima ex his, si tanquam ex furfuribus factas nubeculas repræsentat; diluta quoque, atque alba vitiosa est, sed in phreneticis maximé. Alvus autem mala est ex toto suppressa. Periculosa etiam, quæ inter febres fluens, conquiescere hominem in cubili non patitur, utique si quod descendit, est per liquidum, aut albidum, aut pallidum, aut spumans. Item quod excernitur malum est, exiguum glutinosum, lividum, biliosum, cruentum, aut pejoris odoris, quam consuetudine, malum est; & sincerum.

XX.

Urina verò fulva, & tenuis in magna cruditate esse consuevit. Pessima tamen est, præcipuèque mortifera, nigra, crassa, mali odoris. Alvus quoque varia, & discreta reddens, pestifera est: sed ægrum in præcipiti jam esse denuntiat, quæ liquida, eademque, vel nigra, vel pallida, vel pinguis est; utique si magna fœditas odoris accessit.

XXI.

Qui spumantem sanguinem excreant, his in pulmone vitium est.

XXII.

Mulieri si lac ex mammis profluit, imbecillum est, quod intus gerit; duræ mammæ sanum illud esse testantur.

XXIII.

Quibus causa doloris, neque sensus ejus est, his mens laborat.

XXIV.

Si in ventrem sanguis confluxit, ibi in pus vertitur.

XXV.

Scire licèt, inter ea, quæ ars adhibet, naturam plurimum posse.

XXVI.

Omni resolutione nervorum ad medicinam non idonea sunt tempora hyems, & autumnus; aliquid sperari potest vere, & æstate. Isque morbus mediocris vix sanatur, vehemens sanari non potest.

XXVII.

Quartana æstiva brevis; autumnalis ferè longa est, maximè quæ cœpit hyeme appropinquante.

Om-

XXVIII.

Omne auxilium corporis, aut demit aliquam materiam aut adjicit, aut evocat aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, aut durat, aut mollit.

XXIX.

Sanguinem, incisâ venâ, mitti novum non est: sed nullum penè morbum esse, in quo non mittatur, novum est.

XXX.

In mittendo sanguine non tam annos Medicus numerare, quam vires ægrotantis æstimare debet.

XXXI.

Tenuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat.

XXXII.

Satius est anceps experiri auxilium, quam nullum.

XXXIII.

Cum sit crudo minimè mittendus sanguis, tamen ne id quidem perpetuum est; neque enim semper concoctionem res expectat: Nam si ex superiore parte decidit aliquis, si contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinem vomit: quamvis paulò ante sumpsit cibum, tamen protinus ei materia demenda est; idemque etiam in alijs repentinis casibus dictum sit.

XXXIV.

Si morbi ratio patitur, sanguinis detractioni tempus aptissimum est dies adversa valetudinis secundus, aut tertius. Sed ut aliquando etiam primo die sanguinem mittere necesse est; sic numquam utile post diem quartum est, cum iam spatio ipso materia, & exhausta est, & corpus corrumpit, ut detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum.

XXXV.

Quod si vehemens febris urget, in ipso impetu eius sanguinem mittere, hominem iugulare est. Expectanda ergo intermissio, & ista medicina ferè in biduum dividenda: Satius enim est primo levare ægrum, deinde perpurgare, quam simul omni vi effusa fortasse præcipitare.

XXXVI.

Mittere autem sanguinem cum sit expeditissimum usum habenti, tamen ignaro difficillimum est; iuncta est enim vena arterijs, his nervi, ita si nervum scalpellus attigit, sequitur nervorum distentio ea quæ crudeliter hominem consumit. At arteriâ incisâ neque coit, neque sanescit, interdum etiam, ut sanguis vehementer erumpat, efficit.

XXXVII.

Incidenda ad medium vena est, ex qua cum sanguis erumpit: colorem habitumque eius oportet attendere: Nam si is cras-

crassus, & niger est, vitiosus est, ideoque utiliter effunditur: Si rubet, & perlucet integer est: eaque misio sanguinis adeo non prodest, ut etiam noceat: protinusque is supprimendus est.

XXXVIII.

Semper ante finis faciendus est, quam anima deficiat.

XLIX.

Vehementi malo nisi æque vehemens auxilium succurrere non potest.

XL.

Medicamenta stomachum fere lædunt.

XLI.

Alvus si vehementius fluit, aut sæpius ducitur, hominem infirmat.

XLII.

Medicamentum non semper ægris prodest, nocet semper sanis.

XLIII.

Initia morborum primum famem sitimque desiderant; ipsi deinde morbi, moderationem, ut neque alius quam expedit, neque eius ipsius nimium sumatur. Neque enim convenit iuxta inediam protinus satietatem esse. Quod si sanis corporibus etiam inutile est, ubi aliqua necessitas famem fecit, quanto inutilius est in corpore ægro? Neque ulla res magis adjuvat laborantem, quam tempestiva abstinentia.

XLIV.

Pertinet ad rem, omnium proprietates nosse.

XLV.

Plus alimenti est in pane, quam in ullo alio cibo.

XLVI.

Omne animal si lactens est, minus alimenti præstat.

XLVII.

Omne ferum animal domestico levius est.

XLVIII.

Ovum durum valentissimæ materiæ est; molle, vel sorbile, imbecilissimæ.

XLIX.

Brassica subcruda alvum movet, bis cocta stringit.

L.

Ad cataplasma calefaciens valentior omnis farina est ex mulso, quam ex aqua cocta.

CAPUT XXIV.

CONTINENS APHORISMOS libri tertij Cornelij Celsi.

APHOR. I.

NAtura repugnante nihil medicina proficit. Magis tamen ignoscendum Medico est parum proficienti in acutis morbis, quam in longis: hic enim breve spatium est intra quod; si quod non profuit auxilium, æger extinguitur: ibi, & mutatio-

tioni remediorum, & deliberationi tempus paret, adeo ut raro, si inter initia medicus accessit, obsequens æger sine illius vitio pareat.

II.

Illud ignorari non oportet, quod non omnibus ægris eadem auxilia conveniunt.

III.

Oportet itaque ubi aliquid non respondit, non tanti putare auctorem quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud.

IV.

In acutis morbis serius æger alēdus est, ut primo demptâ materiâ impetum frangat: In longis maturius, ut sustinere spatium affecturi mali posſit.

V.

Multum interest ab initio quis rectè curatus sit, an perperam; quia curatio minus his prodest, in quibus aſsiduè frustra fuit.

VI.

Omnium optima sunt quies, & abstinentia: solaque abstinentia sine ullo periculo medetur.

VII.

Non dubium est quin vix quisquam, qui non diſsimulavit, sed per hæc mutare morbo occurrit, qui non ægrotet.

VIII.

Asclepiades officium esse medici dicit, ut tuto, ut celeriter, ut jucundè curet, id votum est, sed ferè periculosa esse nimium, & festinatio, & voluptas solet. Qua vero moderatione utendum sit, ut quantum fieri potest omnia ista contingant quæritur, qua ratione primis diebus æger continendus sit. Antiqui medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebantur, eo quod cruditatem maximè horrebant. Deinde eam materiam, quæ lædervidebatur, ducendo sæpius alvum subtrahebant. Asclepiades medicamenta sustulit, alvum non toties, sed ferè tamen in omni morbo subduxit. Febre vero ipsa infestante se remedio hoc uti professus est, convellendas enim vires ægri putavit, luce, vigiliâ, siti ingenti, sic, ut ne eos quidem primis diebus elui sineret. Quo magis falluntur, qui per omnia jucundam eius disciplinam esse contendunt. Etenim ulterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit, primis vero tortoris vicem exhibuit. Ego autem medicamentorum dari potiones, & alvum duci non nisi raro debere concedo. Et id non ideo tamen agendum, ut ægri vires covellantur existimo: quoniam ex imbecillitate summum periculum est. Minui ergo tantum exsuperantem materiam oportet, quæ naturaliter di-

digeritur, ubi nihil novi accedit. Itaque abstinendus á cibo primis diebus, in luce habendus æger, nisi infirmus interdiu est, isque cubare, quam maximè conclavi debet. Quod ad sitim vero somnumque pertinet, moderandum id est, ut interdiu vigilet, noctu, si fieri potest, conquiescat: ac neque potet, neque nimium siti crucietur. Os etiam eius elui potest, ubi & siccum est, & ipsi fœtet, quamvis id tempus aptum potioni non est: Commodeque Erasistratus dixit, sæpe inferiore parte humorem non requirente, os, & fauces requirente.

IX.

Optimum medicamentum est opportunè cibus datus, qui quando primum dari debeat quæritur, alijs quintum diem, alijs sextum expectantibus. Asclepiades ubi ægrum triduo per omnia fatigaverat, quarto die cibum indulgebat. At Themison non quando cœpisset febris, sed quando desijsset aut certè levata esset, & ab illo tempore expectato die tertio cibum dabat. Nihil autem horum utique perpetuum est: nam potest primo die dari, potest secundo, potest tertio, potest non nisi quarto, aut quinto, potest post unam accessionem, potest post duas potest, post plures. Refert enim qualis morbus sit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni; minimeque in rebus multum inter se differentibus perpetuum esse præceptum temporis potest.

X.

Illud est unum semper, & ubique servandum, ut ægri vires subinde assidens Medicus inspiciat, & quandiu supererunt, abstinentia pugnet: Si imbecillitatem vereri ceperit, cibo subveniat. Id enim eius officium est, ut ægrum neque supervacua materia oneret, neque imbecillitatem fame perdat.

XI.

Antiquos admodum celèbres Pythagorici numeri fefellerunt, cum hic Medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri, & ex his coniectare quando cibus dandus sit.

XII.

Ferè graviorem accessionem levior nox sequitur, quo fit, ut graviorem accessionem nox quoque tristior antecedat.

XIII.

Matutinum tempus remissius ferè est ægris.

XIV.

A tempore meridiano omnis æger ferè pejor fit.

Ma-

XV.

Matutinum tempus natura sua levissimum est.

XVI.

Integro corpore, cibo tempus aptius est.

XVII.

Scire oportet optimum cibo tempus esse febre finita.

XVIII.

Cum ægros semper securos agere conveniat, ut corpore tantum non etiam animo laborent, tum præcipuè ubi cibum sumpserunt: itaque si qua sunt quæ exasperatura sunt eorum animos, optimum est ea dum ægrotant eorum notitiæ subtrahere.

XIX.

Venis maxime credimus, fallacissimæ rei, quia sæpe istæ lentiores celerioresve sunt, & sexu, & ætate, & corporum natura.

XX.

Periti Medici est non protinus, ut venit, apprehendere manu brachium, sed primum residere hilari vultu, percontarique quemadmodum se habeat: & si quis eius metus est, eum probabili sermone lenire: tum deinde eius corpori manum admovere.

XXI.

Medicus neque in tenebris, neque à capite ægri residere debet; sed illustri loco adversus eum; ut omnes notas ex vultu, quoque cubantis perspiciat.

XXII.

Cibus febricitantibus humidus est aptissimus, aut humori certè, quam proximus: utique ex materia quam levissima; maximèque sorbitio, eaque si magnæ febres fuerunt, quam tenuissima esse debet.

XXIII.

Apponendi sunt ægro varij cibi, sicut Asclepiades præcepit, tum demum ubi fastidio urgetur; neque satis vires sufficiunt, ut paulum ex singulis degustando famem vitet. At si neque vis, neque cupiditas deest, nulla varietate sollicitandus æger est, ne plus assumat quam concoquat. Neque verum est, quod ab eo dicitur, facilius, concoqui varios cibos: eduntur etiam facilius ad concoctionem autem materiæ genus, & modus pertinent.

XXIV.

Neque inter magnos dolores, neque increscente morbo tutum est ægrum impleri cibo, sed ubi inclinata iam in melius valetudo est.

XXV.

Id quoque videndum est, quod quidam solum præcipiunt, adstrictum corpus sit, an profluat. Quorum alterum strangulat, alterum digerit, nam si

adstrictum est, ducenda alvus est, movenda urina, eliciendus omni modo sudor: contrà si profluet, sudor coërcendus, quies adhibenda erit, tenebris somnoque quandocunque volet, utendum; non nisi levi gestatione corpus agitandum, & pro genere mali subveniendum.

XXVI.

In febre pestilente minime utile est, aut fame, aut medicamentis uti, aut ducere alvum. Si vires sinunt, sanguinem mittere optimum est, præcipuèque si cum dolore febris est.

XXVII.

Ex toto, non sic pueri, ut viri, curari debent.

XXVIII.

Non facilè sanguinem mittere, non facilè ducere alvum, non cruciare vigiliâ, fameve, aut nimia siti, non vino curare satis convenit.

XXIX.

Cum verò in summo incremento morbus est, utique non ante diem quartum magna siti antecedente frigida aqua copiosè præstanda est, ut bibat etiam ultra satietatem, & cum iam venter, & præcordia ultra modum repleta sunt satisque refrigerata, vomere debet. Quidam ne vomitum quidem exigunt, sed ipsâ aquâ frigidâ tantum ad satietatem datâ pro medicamento utuntur. Ubi utrumlibet factum est, multa veste operiendus est, & collocandus ut dormiat; fereque post longam sitim, & vigiliam, post multam satietatem, post infractum calorem, plenus somnus venit, per quem ingens sudor effunditur: idque præsentissimum auxilium est: sed in his tamen, in quibus præter ardorem nulli dolores, nullus præcordiorum tumor: nihil prohibens, vel in thorace, vel in pulmone, vel in faucibus, non ulcus, non defectio, non deiectio, non profluvium alvi fuit.

XXX.

Cum eadem omnibus convenire non possunt, ferè quos ratio non restituit, temeritas adiuvat.

XXXI.

Notæ inflammationis sunt quatuor rubor, & tumor, cum colore, & dolore.

XXXII.

Sæpe etiam pertinatia iuvantis, mulum corporis vincit.

XXXIII.

Quartana neminem iugulat; sed si ex ea facta quotidiana est, in malis æger est. Quod tamen nisi culpá, vel ægri, vel curantis, nunquam fit.

XXXIV.

Vetus quartana raró, nisi vere solvitur.

Si

XXXV.

Si quartana quievit, diu meminisse eius diei convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem: facilè enim revertitur nisi á sano quoque aliquandiu timetur.

XXXVI.

Ex phreneticis alij hilares, alij tristes sunt, alij facilius continentur, & intra verba desipiunt, alij insurgunt, & violenter quædam manu faciunt, atque ex his ipsis alij nihil nisi impetu peccant, alij etiam artes adhibent, summamque speciem sanitatis in captandis maiorum operum occasionibus præbent, sed exitu deprehenduntur. Ex his autem eos, qui intra verba desipiunt, aut leviter etiam manu peccant, onerare asperioribus coërcitionibus supervacuum est: eos vero qui violentius se gerunt, vincere convenit, ne vel alteri, vel sibi noceant. Neque credendum est si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, sanum iam se fingat, quamvis prudenter, & miserabiliter loquantur, quoniam is dolus insanientis est. Adversus omnium sic insanientium animos gerere se pro cuiusque natura necessarium est.

XXXVII.

Asclepiades perinde esse dixit, his sanguinem mitti, ac si trucidentur, rationem hanc sequutus, quod neque insania esset nisi cum febre intenta, neque sanguis nisi in remissione eius, rectè mitteretur.

XXXVIII.

Multa in præcipiti periculo rectè fiunt, alia omittenda.

XXXIX.

Phreneticis somnus difficilis, & precipuè necessarius est; sub hoc enim plerique sanescunt.

XL.

Somnus illis medicamentis accersendus est (quæ soporifera sunt) habita scilicet eadem moderatione, quæ hîc necessaria est, ne quem obdormire volumus, excitare postea non possimus.

XLI.

Neque ignorare oportet leviorem esse morbum cum risu quàm serio insanientium.

XLII.

Aquæ inter cutem tres species sunt: communis est humoris nimia abundantia, ob quam ne ulcera quidem in his ægris facilè sanescunt.

XLIII.

Facilius in servis, quam in liberis tollitur (*hydropisis*) quia cum desideret famem, sitim, & mille alia tædia, longamque patientiam, promptius his succurritur, qui facilè coguntur, quam quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi tempe-

rare non possunt; ad salutem perducuntur. Ideoque non ignobilis Medicus, Crysippi discipulus, apud Antigonum Regem, amicum quendam eius, notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitum, negavit posse sanari. Cumque alter Medicus Epirotes Philippus se sanaturum polliceretur, respondit, illum ad morbum ægri respicere, se ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cum summa diligentia, non Medici tantummodo, sed regis custodiretur, tamen malagmata sua devorando, bibendoque suam urinam, in exitium se præcipitavit.

XLIV.

Inter initia non difficillima curatio est, si imperata sunt, quies, sitis, inedia. At si malum inveteravit, non sine magna molestia discutitur.

XLV.

Multum ambulandum; currendum aliquando est; superiores maximè partes sic perfricandæ, ut spiritum ipse contineat. Evocandus est sudor non per exercitationem tantum, sed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano similibusque alijs: maximèque utiles naturales, & siccæ sudationes sunt, quales super Bajas habemus in myrtetis. Balneum atque omnis humor alienus est.

XLVI.

Potio non ultra danda est quam ut vitam sustineat; optimaque est, quæ urinam movet.

XLVII.

Hydropicis alvum moliri cibo melius est, quam medicamento.

XLVIII.

Non alienum erit metiri potionem hydropici, & urinam; nam si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est.

XLIX.

Ubi convaluit aliquis (*ex hydrope*) diu tamen alienus ei veneris usus sit.

L.

Qui de phthisi dubitant, an sit, hac notâ utuntur. Quod excreatum est, si in ignem impositum mali odoris est.

LI.

Phthisis ætate firmissima maximè oritur, idest, ab anno duo de vigesimo usque ad annum quintum, & trigesimum.

LII.

Lac quod in capitis doloribus, & in acutis febribus pro veneno est; in phthisi tamen, sicut in omnibus longis difficilibusque febriculis rectè dari potest.

LIII.

Comitialis morbus sæpius viros, quam fœminas occupat.

Om-

LIV.

Omnis vomicæ finis est ut rumpatur.

CAPUT XXV.

IN QUO CONTINENTUR Aphorismi, Libri quarti Cornelij Celsi.

APHOR. I.

Nihil pestiferum est, nisi quod pulmonem exulceerat.

II.

Alvus ducta sæpe superiores partes resolvit.

III.

Sæpe fœminæ quibus sanguis per menstrua non respondet, hunc expuunt.

IV.

Exercitatio, quæ superiores partes maximè moveat in omnibus stomachi vitijs aptissima est.

V.

In omnibus stomachi vitijs præcipiendum est, ut, quo modo se quisque æger refecerit, eodem sanus utatur.

VI.

Peripneumonia plus periculi, quam doloris habet.

VII.

Uno die fluere alvum sæpe pro valetudine est; atque etiam pluribus dum febris absit, & intra septimum diem conquiescat: Purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, utiliter effunditur. Verum spatium periculosum est: interdum enim tormina, & febriculas excitat, viresque consumit; interdum autem evenit, ut id neglectum pluribus diebus curari difficillimum sit.

VIII.

Quisque experimentis in se credere debet.

IX.

Medicamentis uti nisi in vehementibus malis supervacuum est.

X.

Podagricis equitare alienum est.

XI

Quibus articulorum dolor certis temporibus revertitur, hos á curioso victu cavere oportet, ne inutilis materia corpori supersit.

CAPUT XXVI.

CONTINENS APHORISMOS Libri quinti Cornelij Celsi.

APHOR. I.

Medicamentorum usum magna ex parte Asclepia-

piades, non sine causa sustulit, cum omnia ferè stomachum lædant, malique succi sint: ad ipsius victus rationem potius omnem suam curam transtulit. Verum ut illud in plerisque morbis utilius est, sic multa admodum corporibus nostris incidere consueverunt, quæ sine medicamentis ad sanitatem pervenire non possunt. Illud ante omnia scire convenit, quod omnes medicinæ partes ita connexæ sunt, ut ex toto separari non possint, sed ab eo nomen trahant, à quo plurimum petunt. Ergo ut illa quæ victu curat, aliquando medicamentum adhibet, sic illa quæ præcipuè medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem victus debet, quæ multum admodum in omnibus malis corporis proficit.

II.

Uti somniferis nisi nimia necessitas urget alienum est: sunt enim ex vehementibus medicamentis, & stomacho alienis.

III.

Est prudentis hominis primum, eum qui servari non potest, non attingere, ne videatur occidisse; quem sors ipsius interemit. Deinde ubi gravis metus est, sine certa tamen desperatione indicare necessarijs periclitantis in difficili rem esse, ne si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videatur. Sed ut hæc prudenti viro conveniunt, sic rursus histrionis est parvam rem attollere, quo plus præstitisse videatur.

IV.

Periculosa vulnera sunt ubicumque venæ maiores sunt, quoniam exhaurire hominem profusione sanguinis possunt.

V.

Pessima quæque plaga curva est: tutissima, quæ lineæ, modo recta est.

VI.

Facilius sanescit puer vel adolescens quam senior; valens quam infirmus: neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quam si alterum ex his est: integri habitus quam corrupti; exercitatus quam iners: sobrius, & temperans, quam vino, venerique deditus.

VII.

Opportunissimum curationi tempus vernum est; aut certè neque fervens, neque frigidum. Siquidem vulnera, & nimius calor, & nimium frigus infestant; maximeque tamen horum varietas: ideoque perniciosissimus autumnus est.

VIII.

Perniciosa febris, est, quæ vel levi vulneri supervenit, vel ultra tempus inflammationis durat, vel delirium movet: vel si nervorum rigorem, aut distentionem, quæ ex vulnere orta est, ea non finit.

IX.

Vomitus biliosus non voluntarius, vel protinus, ut percussus est aliquis; vel dum inflammatio manet, malum signum est in his duntaxat, quorum vel nervi, vel etiam nervosi loci vulnerati sunt.

X.

Si lividus, aut pallidus, aut varius, aut niger color est; scire licet malum vulnus esse.

XI.

Album, aut rubicundum esse vulnus, commodissimum est.

XII.

Optimum medicamentum, quies est.

XIII.

Vinum omnibus dum febris, dum inflammatio est, alienum est.

XIV.

Omnis cancer non solum id corrumpit, quod occupavit; sed etiam serpit.

XV.

Cancri initium quidem recipit curationem: ubi verò penitus insedit, insanabile est, plurimique sub frigido sudore moriuntur.

XVI.

Vetus ulcus scalpello circumcidendum est, excidendæque eius oræ, & quicquid super eas livet, æquè incidendum.

XVII.

Omnis feræ morsus habent quoddam virus.

XVIII.

Maxima pars venenorum frigore interimit.

XIX.

Pus quo crassius, & albidius est, eo periculi minus est.

XX.

Pustulæ maximè vernis temporibus oriuntur.

CAPUT XXVII.

IN QUO CONTINENTUR Aphorismi Libri sexti, & septimi Cornelij Celsi.

APHOR. I.

QUo gravior inflammatio est, eo magis leniri medicamento debet.

II.

Aphthæ longe periculosissima sunt ulcera; sed in pueris, quos sæpe consumunt.

III.

In quibusdam hæmorrhoides parum tuto supprimuntur, qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt; habent enim purgationem hanc, non morbum.

)(§)( )(✠)( )(§)(

APHOR.

APHOR. I.

EAdem medicamenta sæpe salutaria, sæpe vana sunt.

II.

Esse chirurgus debet adolescens, aut certè adolescentiæ propior, manu strenua, stabili, nec unquam tremiscente, eaque non minus sinistra quam dextra promptus, acie oculorum acri, claraque; animo intrepidus, immisericors, sic, ut sanari velit eum, quem accepit, non ut clamore eius motus vel magis, quam res desiderat, properet, vel minus, quam necesse est, secet; sed perinde faciet omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.

III.

Fere sine cicatrice potest esse is locus, qui expertus ferrum non est.

IV.

Semper ubi scalpellus admovetur, id agendum est, ut & quam minimæ, & quam paucissimæ plagæ sint: cum eo tamen, ut necessitati succurramus, & in modo, & in numero.

V.

Medici partium est, eniti ad reperiendam sanitatem.

VI.

Duo genera curationum sunt, alia, in quibus eligere tempus non licet, sed utendum est eo, quod incidit; sicut in vulneribus, & fistulis; alia in quibus nullus dies urget, & expectare tutissimum, & facilé est, sicut evenit in ijs, quæ, & tardè increscunt, & dolore non cruciant.

CAPUT XXVIII.

IN QUO CONTINETUR Liber unicus Aphorismorum novissimorum Autoris.

APHOR. I.

VEritas, & certitudo medicinæ tàm longæ, quàm occultæ est non syllogismus; sed demonstratio experimentalis, cum puncto indivisibili.

II.

Medicus verùm doctus erit, si ad nova invenienda cum libertate intellectus laborat.

III.

Malè dicitur fortuna, quæ ex curationibus mirabilibus vulgariter vocatur fortuna.

IV.

Et multoties Medico, tum ægroti, tum assidentes parum fidunt.

V.

Praxis chirurgica inseparabilis à medica, medico non est minus necessaria.

Cap.

VI.

Captè vivant medici dum ægritudines parvæ apparent.

VII.

Cœterum valdè falluntur medici, umbras morborum pro morbis habentes.

VIII.

Quæ ſimptomata morbi cauſam non ſequuntur, minimè ſimptomata ſunt.

IX.

Aer ſivè calidus, ſivè frigidus, oculis adverſiſsimus eſt, itaque fumus.

X.

In autumno febres graviores, & maligniores, periculoſioreſque alio quovis tempore ſunt, præcipuè illæ quibus excretio per cutim prodeſt.

XI.

Multoties ſiderantur medici in acutiſsimis morbis, ſperantes coctionem ad expurgationem non neceſſariam.

XII.

Vigilanti cum forti dolore, & refrigeratione extremitatum ſomnus ſpontaneus ſuperveniens, perſeverante refrigeratione, læthalis.

XIII.

Eſt lumbricorum certiſsimum ſignum acidus odor ab ore promanans, cum pueri non ſint lanctantes.

XIV.

Imperfectæ iudicationes aliquando fiunt perfectæ, & ſine febris reverſione.

XV.

Membrorum retractiones, quæ ab inflammatione proveniunt, periculo vacant, & tractu temporis ſaneſcunt, niſi tendines, aut nervi ſauciati fuerint.

XVI.

Nunc in hoc ſæculo natura vim medicatricem diſperdit, quippe ſervilis medicorum eſt, nimirum hi eam deijciunt, ut videas naturam, quæ in ſæculis præteritis libera, & liberalis erat, iam etiam claudem, & in fine mancam.

XVII.

Tabe correptis ſi vomitio proficua videatur, non cum antimonio, ſed cum hypepiquana fiat, ita ſecurè medicus operabitur.

XVIII.

Quæcumque mulieres, etiamſi gravidæ, iliaca hyſterica correptæ, vomendo ſolum liberantur, cruditas redundans.

XIX.

Diſentericis poſt paregoricum, rugitus ventris, & inferna expulſio flatuoſa ſuperveniens bonum, ſi antea non fuerit.

XX.

Colica laboranti, ſi nec clyſteribus, nec purgantibus, nec fomentis, venter moveatur, eſt idoneum irritans ſuppoſitorium.

XXI.

Qui magna ira apprehenduntur subsequente alvi fluxu, à dolore capitis, vigilijs, epilepsia, & febre liberantur, autem si repente febre capiantur, hi citissimè absolvuntur, supervenienté spontaneo alvi fluxu, aut exhibito purgante.

XXII.

Diuturno catharro correptis raucedine repente superveniente, & perdurante, tabidi pereunt.

XXIII.

Cryses quæ evacuatione fiunt supprimantur, si aliter excernantur.

XXIV.

Mulieres quandoque à partu difficiliori venæ sectione liberantur, quandoque, expurgatione.

XXV.

Cum colica pictonica in paralysim terminatur, & à principio complicantur febris continua, & raucedo, læthale maxima ex parte.

XXVI.

Febris intermittens aliquando ob incuriam degenerat in continuam, aut hecticam.

XXVII.

Sicut in initio non purgato corpore, tàm cibus, quàm febrifugium nocet, ita parum ante iram naturæ per superiora purgatio convenit.

XXVIII.

Paroxismi febriles octavæ dosi antifebrili non cedentes, vomitu cedunt.

XXIX.

Motus sanguinis circa pulmones interceptus, apoplexiam fortem facit, & signo proprio constat.

XXX.

Pro lactatione infantum veneris abstinentia est variolarum, & quam plurium morborum dispositio.

XXXI.

Sine larga evacuatione numquam curatur vasorum larga repletio.

XXXII.

Materia partium nutritioni semper est sanguis, sed non omnis sanguis.

XXXIII.

Nobilibus, & pueris est non omninò securum febrifugium Cortex perubianus.

XXXIV.

Linguæ color, & sapor in curatione multum præstat, quia index est.

XXXV.

Morbo laterali laboranti, lingua valdè alba apparente cum difficiliori respiratione maxime læthale.

XXXVI.

Mulieribus aliquo membro torpentibus, vel repentè aphonicis, vel convulsis, parvi momenti feré sunt remedia paraliticorum; sed magni anti-hysterica.

In

XXXVII.

In puerorum epilepſia medici confunduntur, dum parum proſunt ſpecifica remedia.

XXXVIII.

Qui ex membri magni mutilatione poſt cicatrizationem moriuntur, ſepè, ſuperveniente alvi fluxu, aut colico dolore, moriuntur.

XXXIX.

Apoplectici, quibus ſpuma in ore, & naſo apparet, pereunt, & omnes citò pereunt.

XL.

Ad acuitatis morbi remiſsionem, vel ad eiuſdem deſtructionem unius accidentis correctio valdè præſtat.

XLI.

Diarrhea pleuritidi ſuperveniens ſine vera morbi, & accidentium remiſsione, venæ ſectionem, ex cubito admittit, ni vires contra iudicaverint.

XLII.

Quos thorax afficitur ob mucilaginoſos ſuccos, tenaciter hærentes, reiectio impetuoſa per vomitum ſolum à ſuffocatione liberat: verumtamen exhibito vomitorio antimoniali, ſi non evomat, ſed ſolum per alvum emeticum purget, fruſtraneum eſt remedium, & citius ſuffocantur.

XLIII.

Quibus, gonorrhea ſupræſſa per vitrioli ſpiritus, aut ſalis prunelæ exhibitionem (ut mos eſt) repente ſuccedit dolor fixus in medio thoracis, vel in alio latere cum laxitudine magna, periclitantur, ſi adſit tuſis, & febris.

XLIV.

Aeris poteſtas in phthiſicis magna eſt, ut in fine autumni, flante aquilonio peius ſemper ſe habeant, & ſtatim, ac ſtatim moriantur, forti flanti aquilonio, progrediente hyeme.

XLV.

Athſmatici, quibus pedes apparent tumidi, poſtea ſiccantur, & acutè convellitur pulmo, in ſumno periculo ſunt, aut celerrimè ſufocantur.

XLVI.

Qui empiematici, aut phtiſici fiunt, & rauci ſunt à principio, moriuntur, perſeverante raucedine; & quocumque tempore raucedo ſuperveniat, de eorum ſalute medicus deſperabit.

XLVII.

Urina rubra, & craſa, aut fœtida cum rubedine in morbis, tàm acutis, quàm longis diu apparens cum ingenti anorexia, lethalis.

XLVIII.

Qui veterno moriuntur, apoplexia propria, moriuntur.

XLIX.

Mulieres malignè febricitantes, ſi, lætargo ſuperveniente,

non respondent interrogatæ, aphonia simul corripiuntur; verum, si deficiente somno, maneat aphonia, ferè semper liberantur.

L.

In pulmonia apparere pulsum durum, & inæqualem, & repentè mutari in mollem, & æqualem, difficillima perseverante respiratione, subitaneam mortem expecta.

LI.

Medicus non potest cognoscere an liberetur, aut moriatur æger, nisi certus sit de morbi magnitudine, de eius statu, & de ægri viribus, aliàs confunditur, & confundit curationem.

LII.

Patris familias prima coctio est coctionum nutritioni corporis inservientium firmamentum.

LIII.

Hectica marasmus per caliditatem, & siccitatem, aut per frigiditatem, & siccitatem interimit.

LIV.

Quibus tota urina rubro colore tingitur, sæpe, ac sæpius venæ sectio nocere solet.

LV.

Naturalis urinæ constitutivâ, in febribus acutis deficientia, magnum periculum portendunt.

LVI.

Urinæ præternaturales non semper exitiosæ sunt, in vehementibus febribus.

LVII.

Urinam medicus non inspiciat, antequam à natura coctiones, & separationes factæ sint.

LVIII.

Erraticæ febres in quartanam terminantur, contento nigro maximè in urina apparente.

LIX.

Pulsus præternaturales sunt constitutiva exsuperantia, & à mediocritate defectus.

LX.

Sæpius per clysteres exacerbantur colici dolores.

LXI.

Extenuata pars in paralisi non magnificatur sine frictione.

LXII.

Pruritum producit acidum in cute.

LXIII.

Lochijs fluentibus, puerperæ febricitant, convelluntur, & sæpius moriuntur.

LXIV.

Quandoque mulieres, quæ bis non menstruant, morbo corripiuntur.

LXV.

Paralisim cum oleis, & unguentis curare non est posibile.

LXVI.

Lac cum testaceis securè exhibetur, & non cum melle.

Quan-

LXVII.

Quando natura operatur vincens, rectè operatur Medicus, cum nihil operatur, & ita est verè naturæ imitator.

LXVIII.

Longis autem pulmonum morbis, extremum remedium est aer campestris.

LXIX.

Qui morbis perpares moventibus laborant, dum recidivant, in die impari recidivant.

LXX.

Ventrem solvere supra ventris fluxum, in laxitate glandularum, & intestinalium fibrarum, læthale.

LXXI.

Gravidæ vomentes tum opiatis, tum adstringentibus, læduntur.

LXXII.

Tum ad vomitum, tum ad alvi fluxum sistendum, nunquam eodem ordine adstringentia adhibenda sunt.

LXXIII.

Lubricantia medicamenta in cœna, vel paulò ante cœnam exhibere commodisſimum est.

LXXIV.

Qui æstate febricitant, ferè semper febricitant ob transpirationem à frigore prohibitam.

LXXV.

Fermenti fusſorij violentia tercianas paſim transmutat in coliquantes, & sudorificas.

LXXVI.

Coagulationi nihil magis, quam aquæ calidæ pedilubia, prodest.

LXXVII.

Omnibus in morbis pulsus est contemplandus, & illi magna fides tribuenda.

LXXVIII.

In morbis tàm brevibus; & acutis, quàm longis periculosis, & non periculosis arteriotomia non spernenda.

LXXIX.

Non omnes qui sanguinem spuunt, & simul cum tusi febricitant, contabescunt; verum plures ex his, qui cum febre tusiunt, etiam si non cruentum spuant, tabidi fiunt, & moriuntur.

LXXX.

Dum natura motu vincenti movet, imperiti Medici expectatores non sunt, sed in omni ægri visitatione aliquid præcipiunt esse faciendum, ut aliquid sapere videantur, negligendo Hypocratis præcepta, & naturæ opera perturbando.

LXXXI.

Vitia, quæ longo tempore sunt contracta, sensim, otioque multo curantur, quia repenté in totum supprimi perdificile est.

LXXXII.

Medicus in reficiendo largus sit, avarus verò in evacuando, nisi nimia infestet plenitudo.

Mor-

LXXXIII.

Morbi conditionem remedium sequitur; verum simplex morbus remedio simplici profligatur, & composito compositus.

LXXXIV.

Artis beneficio congestos humores, qui digeri non possunt supurare oportet.

LXXXV.

Ex partibus extremis corporis virtus medicamentorum usque ad profundum ulceris penetrare potest.

LXXXVI.

Diutius canis rabidi ulcera servanda sunt aperta; & ut supurationem, sorditiemque contrahant, oleosa remedia admoveantur.

CAPUT XXIX.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS, & prognosticis sputi.

S*Putum tenue*, & *liquidum* indicat cruditatem, & præsertim, si apparet in principijs morborum; verumtamen significat morbum citò, velociterque terminari, quia humor eum producens est tenuis, & subtilis, facilis ad resolutionem.

Sputum crassum, & *viscidum* indicat morbum esse longum, & difficulter solvi; quia eius causa propter lentorem non admitit facilem resolutionem. *Sputum moderatè crassum*, hoc est mediocris consistentiæ inter tenue, & crassum semper indicat coctionem morbosæ causæ, nisi aliquid deterius conditionis adiungatur. *Sputum spumosum* assignat occasionem morbi fuisse pituitam putrescentem, quæ simul habet commixtionem magnæ copiæ flatus.

Multa sputa in affectionibus pectoris, si statim in principio appareant, bona sunt propter duas causas; tum, quia significant robur virium, & facultatis expellentis fortitudinem; tum quia indicant humorem esse benigniorem, & obedientem motui naturæ. Pauca enim sputa in eisdem affectibus mala sunt, quia significant imbecilitatem virium, & expultricis facultatis, simulque malignitatem, & inobedientiam materiæ humorosæ: & ideo si in phthisi, & in pleuritide, &c. retineatur sputum, mortem proximam significat.

Rotunda sputa, cum febre acuta, significant adesse inflammationem in septo transverso, vel in aliqua parte nimis approximata. *Sputa rotunda*, & *nigra*, in pleuritide, & in peripneumonia apparentia, indicant maximam assationem materialis causæ, & minatur periculum strictæ mortis.

Spu-

Sputum dulce apparens in pleuritide bonum eſt, quia indicat dominium ſanguinis. *Acidum* veró malum eſt, quia ſignificat dominium melancholiæ. *Sputum amarum* indicat dominium bilis, & ſi etiam cum amarore fuerit fœtidum, & appareat in pleuritide, læthale eſt, quia ſignificat adeſſe internam putredinem, aut ulcus adeſſe in pulmone, aut in alia parte contenta in cavitate vitali.

Sputa ſimpliciter alba bona ſunt, quia indicant cauſam eſſe benignam, & coctioni obedientem; dicuntur ſimpliciter alba, quia ſi præter albedinem ſint viſcida, & rotunda, mala ſunt, quatenus indicant magnam cruditatem materiæ morbificæ.

Sputa rubra in pleuritide, quanto citius apparent, tanto ſemper meliora ſunt, tum quia ſignificant morbum fieri à ſanguine, qui eſt humor mitiſsimus omnium, tum quia indicat virtutem eſſe validam; & idcircò feliciter terminari ſolet pleuritis, niſi fuerit nimis fortis, ac doloroſa, quia tunc terminatur in mortem, vel ad ſupurationem vertitur.

Sputum nigrum in principio apparens, & in quocumque tempore, ſemper eſt pravum; quia non ſolum demonſtrat morbi cruditatem, ſed etiam mortem futuram; ratio eſt, quia vel ſignificat magnam copiam caloris interni præternaturam, vel extinctionem naturalis; & idcircò Medicus prædicere poteſt gangrenam ſupervenire parti inflammatæ.

Sputa viridia indicant dominium bilis porraceæ, & ſignificant congelationem, aut magnam aſſationem humorum. *Sputum*, quod facile excernitur, ſemper eſt bonum, quia ſignificat benignitatem materiæ morboſæ, & conſtantiam naturæ: quod difficulter expellitur, malum eſt, quia propter eius craſitiem, & viſcoſitatem adhæret in ſubſtantia veſiculoſa pulmonum, & imminet citò ſuffocationem venturam.

Ut detur concluſio huic capiti, licet animadvertere, quod ſi breviter ſputum concoctum appareat in pleuritide, & peripneumonia, ſignificat proximam ſalutem; & ideo Hypoc. In lib. de Coac. ita dixit: *Sputum in pleuriticis tertia die maturari, ac ſpui incipiens, citiores ſolutiones facit, verum poſteriùs tardiores.* Ergo ex his verbis infertur, quod ſi crudum ſputum appareat, neceſſariò morbum eſſe longæ durationis oſtendit. Si in principio ſputum ſit multum exitiale ſignificat ægrum citò moriturum. Si multum exitiale non fuerit, etiam

etiam mortem prædicit, sed non tam velocem.

CAPUT XXX.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS, & prognosticis salivæ.

SCiant Practicantes, signa diagnostica, & prognostica à saliva desumanda esse; igitur cordati Medici statuerunt cuiusvis ferè morbi statum facilius, ac certius innotescere ex inspectione salivæ, quam urinæ, & sanguinis; idcircò suadeo, & commendo maximo opere, ut omnes praxim medicam exercentes, attentè salivam considerent; ratio est in promptu: si enim ex urina, quæ immediatè provenit ex sanguine, & serò, promptè licet conjicere de sanguinis, & serè mixtione, temperie, motu, & statu, prout differt urina, vel quantitate, vel consistentia, vel colore; quidni etiam ex saliva, quatenus illa differt quantitate, consistentia, odore, colore, &c. iudicare possumus statum, atque conditionem sanguinis seri, & spirituum animalium, & ulterius, quoque de digestione ventriculi, eiusque vitijs, atque incommodis præsentibus, & futuris præsagium, & iudicium ferre.

Cum præcedentibus animadversionibus, & supponendo, quod, cum lingua constructa sit ex cinis glandulosis copiosissimis, & eminentijs, ac philamentis nerveis, vasisque salivalibus, & ex eis stilat copia illius seri, seu limphæ, quæ vocatur *Saliva*, continuè madida est, necessum est, quod sapor percipiatur iuxta conditionem salivæ: ergo qualis saliva fuerit, talis etiam erit vitiosus status sanguinis: ergo inspectio salivæ multum prodest tam ad diagnosim, quam ad prognosim.

Saliva viscida arguit redundantiam pituitæ, si copiosè excernatur; tamen significat eius viscositas, & mucositas adesse in sanguine redundantiam viscositatis. Si fuerit insipida, indicat adesse in sanguine tale peccatum. Si saliva represen- tet saporem salsum, acidum, vel amarum, prædicit sanguinis statum esse salsum, acidum, aut amarum, &c.

Dum *copiosa saliva* post pastum excernitur, indicat stomachum laborare, vel propter eius imbecilitatem, vel propter excedentem quantitatem, vel malam qualitatem ciborum, etiamque significat cibum corrumpi, quod accidit, non solum ob pravam qualitatem, verum tamen ob nimiam humiditatem. Animadvertitur, quod copiosa

spui-

ſpuitio ſalivæ non tantum poſt cibum, ſed in quocumque tempore frequenter experitur, non ſolum fieri ob prædictas cauſas, ſed propter auctoritatem uteri, ut patet in mulieribus paſsione hyſterica correptis, quæ abundantem ſalivam ſpuunt, velut ſi mercuriali unguento fuiſſent unctæ.

Saliva multum ſpumoſa arguit laborem nativi caloris, & gigni in corpore magnam copiam flatuum. Notandum eſt, quod ſpumoſa ſaliva, in apoplexia apparens, indicat mortem eſſe propinquam, quia apoplexia eſt vehementer fortis; & ratio tam proximi periculi conſiſtit in eo, quod talis ſpuma procedit ex impedito motu circulari ſanguinis circa pulmones, & per pulmonum vaſa ſanguifera, eodemque tempore prohibetur circuitus ordinarius limphæ.

Scire licet, quod ſi ſaliva ſpumoſa lethalis eſt in prædicta apoplexia; & ex Hypoc. conſtat, quod copioſa ſpuitio ſalivæ in phreneticis eſt valdè mala, & ut iam ego vidi læthalis (hoc intelligi debet cum grano ſalis, ad hoc ut falax non ſit præſagium; & ideo dico igitur, quod ſi superveniente prædicta copioſa ſpuitione, delirium permaneat, tunc prædicito mortem citò venturam) tandem in alijs morbis, valdè ſalutaris eſt ſalivæ excretio copioſa, ut experientia docuit in eis, qui variolis corruptivis, ſeu confluentibus corripiuntur, igitur raro mortui fuerunt. Etiam ſatis obſervatum eſt in febribus, tam continuis, & malignis, quam intermittentibus eſſe valdè utile abundantem ſalivam ſpui, quia omnes febricitantes, quandiu ita ſpuunt, ſemper extra periculum ſunt, ut pluries vidi in mea practica ſatis longa.

In fine huius capitis notare oportet, quod non ſolum copioſa ſpuitio ſalivæ prodeſt multum in ſupraſcriptis acutis morbis; verum etiam eſt valdè proficua ad extirpandos alios morbos inveteratos, ut lues venerea, quartana febris, epilepſia, mania, vertigo, melancholia morbus, cephalalgia chronica, podagra, paralyſis, lepra, ſcabies, antiquata ulcera, &c.

CAPUT XXXI.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS, & prognoſticis ſudoris.

SIgna ſudoris ſimpthomatici ſunt eadem, ex quibus noſcitur quælibet evaquatio, quæ ante tempus coctionis fit, & non ex imperio naturæ, ſed prop-

propter eius violentiam, dum valdè irritatur à crudis humoribus. Signa sudoris critici perfecti, & salutaris sunt eadem ex quibus venimus in cognitionem perfectæ crisis cum omnibus conditionibus, quæ ad eandem requiruntur, & iam fuerunt præscriptæ in tractatu secundo pathologiæ.

Sudor calidus copiosus, & fluēs à toto corpore in febribus acutis in die decretorio optimus, est præcedentibus signis perfectæ coctionis, quia denotat vitalem facultatem esse robustam. Dicitur in die decretorio, quia, quamvis sit calidus, & copiosus, universalisque, si advenit in primò, vel in secundò die, in febre valdè acuta mortem significat, ut observavit Hypoc. in adolescente, qui in foro mendacium habitabat: iste in secundo die sudavit, & mortus fuit die undecimo. Iam memor, dum in anno 1701. essem in Salmantina Civitate, me, cum Doctore Domino Emmanuele à Joli & Orozco, meritissimo, ac sapientissimo Medicæ facultatis, Cathedrario Vespertino, vidisse Ioannem de Huerta vulgò, *Rey de los Sastres*, qui, cum corriperetur febre peracuta simpliciter, multum sudavit in secundo die, & quamvis levamen sensibiliter apparuit, nolui incaute fidere, quia clamitabat Hypoc. sequenti Consilio: *Perniciosa sine signis levantia, mortem indicant.* Parum duravit levamen; igitur altero die febris exacuit cum tali pernitie, quod æger in die septimo obit, tanquam in die propriæ terminationis cuiuscumque morbi peracuti simpliciter.

Sudor frigidus in acutis morbis apparens mortem significat propter caloris nativi extinctionem; si sequatur inflammationem internam, læthalis est; quia indicat ex vehementia inflammationis partem mortificari, & ideo Avic. in lib. 4. tract. 1. ita dixit: *Sudores frigidos, cum febris caliditate omninò malos esse.* Notatur, quod sudor frigidus in morbis acutis semper exitium significat, si adsit simul virium imbecilitas; sed si vires fuerint constantes, tunc indicat dubium esse prognosticum, & in hoc sensu tam respectu sudoris frigidi, quam aliorum simpthomatum scripsit Hypoc. hunc Aphorism. *Acutorum morborum non omninò sunt certæ prænuntiationes, ad salutem, vel ad mortem.* Inter sudores frigidos peximi sunt, qui circa colum, & caput erumpunt, quia semper mortem significant, & numquam longitudinem

nem morbi; igitur observatur in moribundis.

Sudor diaphoreticus est satis periculosus; quia sensibiliter coliquatur corpus, & vires in ruinam vertuntur propter vehementem inflammationem internam, aut ob intensissimum calorem alicuius ardentis febris, & facile inducit debilitatem essentialem. Sudor sincopticus, qui fit à debilitate essentiali facultatis vitalis, semper indicat mortem esse in propinquo: Quia si procedit à nimia copia causæ morbificæ, vel á repentinis, & immodis evacuationibus, non significat tantum exitium; quamvis semper est satis periculosus à quacumque causa proveniat. Circa prædictas duas species sudoris, memor esto de sequenti sententia aphoristica, quam in lib. 4. scripsit Hypoc. *Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens, frigidus magis, calidus verò minus morbum significat.*

Sudor simpthomaticus, qui in febribus continuis apparet, ut plurimum est læthalis; præcipue, si multus fuerit, quia, quamvis minoretur portio humorum redundantium facillimè vitalis facultas extremè debilitatur. Si sudor simpthomaticus copiosus appareat in principio accessionis alicuius febris tertianæ, vel circa invasionem paroxismi est periculosus, & ut plurimum læthalis; si eius impetus quam citissimè non cohibeatur; quia ab intenso calore præternaturali disipatur nativus calor, & vitales spiritus, cui disipationi sequitur extremorum frigiditas, quæ satis exitialis est.

Paucus sudor in morbis acutis, si fuerit in die critico cum præcedentibus omnibus conditionibus ad optimam crisim tria significat, vel debilitatem facultatis expultricis, vel non sufficientem tenuitatem materiæ morbosæ, vel pororum cutaneorum obstructionem, & in hoc casu, si Medicus non rarefacit poros, & propinat remedium diaphoreticum, tunc in maius periculum migrat æger, quia materia morbosa revertitur versus aliquam principem partem, & excitat aliquod simpthoma læthale; vel expellitur per inferiorem ventrem, quod est minus malum; animadvertendum est, quod si à natura evacuatur per alvi fluxum, & tunc apparent aliquæ sudatiunculæ, cum parvo, vel nullo levamine simpthomatum, quæ antea sequebantur febrem, ferè moritur æger.

Sudor nocturnus, & copiosus, qui in tempore somni acidit;

dit, aquacumque causa proveniat, dum non est manifesta, semper periculosus est, quia siccat, & attenuat corpus, illudque disponit ad hoc, ut inducatur atrophia, vel febre habituali corripiatur. Notare licet, quod talis sudor semper læthalis est in hæcticis, & phthisicis.

CAPUT XXXII.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS, & prognosticis pulsus.

IN hoc principio pithagorico: *Superius inferius unum*, sumpsit fundamentum æqualitas pulsus, consentiens extremum unius instrumenti pulsus, cum extremo alterius instrumenti, hoc est, arteria cum sinistro ventriculo cordis, quod procedit à naturali tensione fibrarum prædicta instrumenta componentium, & dependet ex eo, quod à corde versus aortam effunditur sanguis cum debita proportione, ex aortaque in reliquas arterias; ergo extremum unius instrumenti habet mutuam, & æqualem communicationem cum alio; ergo motus prædictorum instrumentorum est æqualis, quia eorum tensio naturalis est.

Tensio naturalis demonstratur ad clariorem intelligentiam in figura I. tabulæ V. quam in III. corda cannabina, quæ existit inter duas columnas, assignat littera C. Ex hoc infertur, quod inæqualitas pulsus nascitur ex eo quod arteriæ recipiant unica vice maiorem quantitatem sanguinis, & in alia minorem; ex quo sequitur earum fibras unica vice laxari, & in alia adquirere maiorem tensionem. Animadverto, ut legant Caput XII. Tract. II. Patholog. ubi clarissimè manet dictum, & demonstratum circa æqualitatem, & inæqualitatem pulsus.

Æqualis pulsus significat sanguinis massam in omni sua parte, quam cordis ventriculos continuò ingreditur, æqualiter esse rarescibilem in corde; insuper eam in nulla sua parte esse acriorem, debitam etiam dispositionem viarum tam in cerebro, quam nervis, pro descensu animalium spirituum in fibras cordis. Ex hoc infertur, pulsum æqualem esse bonum, & indicem constantiæ virium, salutis, & temperiei totius corporis propter consonantiam inter pulsus instrumenta, & sanguinem. Pulsus verò inæqualis contrarium indicat.

Advertendum est, quod inæqualitas pulsus potest esse naturalis; & idcircò licet attendere ad ætates, ne Practi-

cantes terreant; cum aggrediuntur ad curationem; ideò multum confert, ut Medici homines pulsent in naturali statu ad noscendas mutabilitates naturales pulsus; verum si in tempore Galeni illi Medici Romani ita fecissent, minime circa intermitentiam naturalem pulsus aberrassent in illo ægroto, cuius historiam scripsit Magister Galenus in lib. de prænotione. Si est in senibus, experitur naturaliter varium, & mutabilem esse pulsum: in pueris etiam accidit ob diversas causas, vel quia laborant verminatione, vel quia se replent alimento; vel quia abundant cruditatibus in ventriculo. Iam memor prædictum Magistrum lucem dedisse de asignata variatione pulsus, quando in cap. 3. lib. 3. de præsagat. ex pulsib. ita loquitur: *Ex multis cibis ingestis pulsus inæquales, & inordinatos apparere, & ex cruditatibus in stomacho generatis.*

Alij sive adolescentes sint, sive iuvenes, & consistentes, naturaliter habent pulsum parvum; alij etiam habent parvum, & languidum pulsum, & illi sunt qui à natura ventriculum debilem habent, & simul apparatum cruditatum. Ergo Medici, qui non agnoscunt tales variationes, & mutabilitates pulsus, necessum est, ut in morboso tempore fallantur, & fallant, dum veniat tempus præsagiendi.

Adhuc restat animadvertere cordatis Practicantibus, ut in præsagiendo minimam fallentiam non habeant ratione æqualitatis pulsus; quia non solum decipi possunt ab inæqualitate, verumetiam ab æqualitate, cum æqualitas pulsus sit index virium constantiæ, ut antea dictum manet; sed in promptu habere debent æqualitatem adiungi aliquibus differentijs pulsus, v. gr. parvo, debili, & maximé humili, seu molli, quia dum ita adiungitur, talis æqualitas est necessariò læthalis; statim consilium do Practicantibus, ut ex tali æqualitate salutem, seu securitatem minimè promittant, nec laudent talem pulsum æqualem, ne similes sint imperitis, quos fallit æqualitas; vos verò cum isto consilio numquam promittebitis salutem, sed potius ægrotantis mortem, propter debilitatem essentialem facultatis vitalis.

Dissonantia principij Pithagorici attentè considerari debet, quæ consistit in duobus extremis tensionis, & laxitatis, quia sine ista consideratione species præternaturales pulsus tam simplices, quam com-

compositæ, rite intelligi non possunt.

Hoc supposito dico, quod illa dissonantia est extrema tensio, vel laxitas, & quanto magis, vel minus recedant instrumenta pulsus à moderata, & consona tensione, tanta erit extrema tensio, vel laxitas, & tunc pulsus erit præternaturalis plus, minusvè, sive recedat consona tensio versus extremam tensionem, vel versus extremam laxitatem.

Tensio dupliciter debet considerari, videlicet maior, & maxima, quæ demonstrantur in figura I. prædictæ tabulæ V. *Maior tensio*, quam moderata, & naturalis, observatur in II. chorda, cannabina, quam assignat littera B. Maxima tensio extremæ tensionis videtur in I. chorda, quam assignat littera A. Laxitas extrema tripliciter oportet concipi, videlicet parva, maior, & maxima: *parva* laxitas est, quando parum recedit à moderata, & consona tensione, ut observatur in IV. chorda, eamque assignat littera D. Maior laxitas vocatur, quando maior est recessus à prędicta tensione, ut observatur in V. chorda, quam assignat littera E. Maxima laxitas apellatur, dum maximus est recessus à tensione naturali, ut experitur in VI. chorda, & littera F. eam assignat.

Insuper, ut melius mente concipiatur omne quod præscriptum manet, licet asserere, tantam esse signorum necessitatem, ut sine illis corruant omninò Medicinæ fundamenta: idcirco in materia tam difficili, ut pulsus est, porrò indigent Practicantes, ad benè præsagiendum, in promptu habere duo signa patognomonica, per quæ veniant in cognitionem omnium differentiarum pulsus, dum procedunt à prædicta extrema tensione, vel à laxitate.

Duo signa Patognomonica sunt pulsus, *durus*, & *mollis*, quia arteriæ impetus observatur durus, quando tensio fibrarum cordis inditur in fibras nervosas longitudinales quartæ tunicæ arteriæ: tunc enim crispatur, seu durescit ipsa arteria, instar chordæ cannabinæ; sicut impetus arteriæ percipitur mollis, si prædictæ fibræ quartæ tunicæ laxentur, & molliantur: pono exemplum in pulsu celeri ad efficiendam evidentem demonstrationem duorum signorum patognomonicorum; igitur talis pulsus originem habet, tam à tensione prædictarum fibrarum, quam ab earum laxitate.

Dupliciter demonstrari debeo, videlicet à priori, & à posteriori; à *priori*, apparet in

Ioan-

ESTAMP. V




FIG. I
A B C D E F
1
2
3
4
5
6
G
Senum
FIG II
H
I
Juvenum
FIG. III
K
L
Puerorum
FIG. IIII
M

Ioanne celerrimus pulsus; si à tensione oritur, tunc durities observatur in arteria, & si procedit à laxitate, tunc in arteria percipitur mollities. *A posteriori* fiat demonstratio cum experientia; Franciscus mortuus fuit cum celerrimo pulsu, & si statim ab eius obitu extrahatur cor, eum invenietis tensum, & durum. Antonius obit cum pulsu molli, & si illicò post cor extrahatur, eum observabitis esse molle, seu laxum.

Animadvertere oportet, quod in maxima tensione non solum crispantur, & durescunt fibræ nerveæ longitudinales quartæ tunicæ arteriæ; sed etiam fibræ annulares tertię tunicæ eiusdem arteriæ, taliter, ut resileant instar arcuum; & tunc temporis representant figuram serræ, quapropter percipimus pulsum esse simul durum, ac serrinum, ut videtur in inflammationibus magnis partium membranosarum, sed præcipuè in pleuritide; quia illa maxima tensio, & crispatio fibrarum nervosarum membranæ pleuræ communicatur supradictis tunicis arteriæ.

Transeamus iam ad enodandas significationes differentiarum simplicium pulsus tam in sanis, quam in ægris. *Pulsus magnus* significat in sanis robur virium, & fortitudinem facultatis vitalis; tamenque perfectam salutem, & copiam caloris nativi, & vitalium spirituum. In ægrotantibus indicat redundantiam ignei, & præternaturalis caloris morbosque calidos, & inflammatorios. *Pulsus parvus* in sanis ostendit imbecilitatem vitalis facultatis, inopiam caloris, & spirituum vitalium, & corporis crasitiem. In ægrotis demonstrat morbum esse ortum ex frigiditate, præsertim, si adsit simul raritas, & tarditas; etiam significat debilitatem virtutis vitalis, & virium languorem.

Pulsus celer in sanis ostendit caloris nativi redundantiam, robur facultatis vitalis, & tenuitatem spirituum. In ægrotis significat morbum esse ortum à causa calida, quod demonstratur à copia præternaturalis caloris, simulque ostendit necessitatem attrahendi aërem ad generandos spiritus. Notatur, quod pulsus celer plerumque adiunctus est pulsui magno. *Pulsus tardus* significat in sanis facultatis vitalis imbecilitatem, & diminutionem caloris nativi, & spirituum vitalium. In ægrotis ostendit morbos esse frigidos, & postrationem virium; & inevitabilem mortem, si ei adiungatur languidus pulsus.

Pulsus vehemens, seu *fortis* significat in sanis robur vitalis facultatis: in ægrotis verò pollicetur spem sanitatis. *Pulsus debilis*, seu *languidus* demonstrat debilitatem vitalis facultatis, & magnam resolutionem spirituum vitalium, & caloris nativi; & ideò perpetuò est suspectus talis pulsus. Notare licet, quod si cum instaurantibus, & corroborantibus remedijs instrumenta non adquirant fortitudinem aliquam, sed potius magis debilitentur ob maiorem laxitatem prædictarum fibrarum, tunc mors minimè evitari potest propter tantam perniciem coniunctam, & quia frigus possidet corpus cordis.

Pulsus durus in sanis significat duritiem arteriarum ortam ex laboribus, & nimis exercitijs. In ægrotis verò indicat morbos siccos, quæ siccitas semper est comes intemperiei calidæ. *Mollis pulsus* ostendit in sanis redundantiam humiditatis, vitam sedentariam, & magnum usum potus aquæ, & alimentorum nimis humidorum, & tamen copiosam humectationem arteriarum. In ægrotis verò significat morbum esse ab humiditate ortum, ideòque talis pulsus observatur in cachexia, hydrope, & in obstructionibus, & tumoribus edematosis viscerum.

Pulsus creber, seu frequens in sanis significat redundantiam caloris nativi. In ægrotis demonstrat morbos calidos; & redundantiam vaporum fuliginosorum; indicat etiam magnam necessitatem attemperationis, & refrigerationis partium internarum. *Pulsus rarus* in sanis ostendit frigidam corporis complexionem. In ægrotis significat morbos ortos ex causa frigida; & si pulsui raro simul adiungantur parvus, & tardus, nunquam caret pernicie; tunc significat ingentem refrigerationem cordis; & extinctionem caloris nativi, ob idque Medicus mortem inevitabilem debet prædicere.

Accedamus iam ad explicandas significationes differentiarum compositarum pulsus, ut Practicantes ritè valeant prædicere. *Serrinus pulsus* significat inflammationē partium internarum, & præcipue nervosarum, & ideò aliqui asserunt non tantum significare duritiem instrumentorum, sed etiam inæqualem calorem arteriarum, qui quidem calor producitur ab illa inæquali crispatione fibrarum nervosarum longitudinalium, & annularum quartæ, & tertiæ tunicæ arteriæ. Etiam pulsus serrans

in laboriosis morbis est signum perniciosum. Estque tamen summè periculosus in pleuritide, si adiungatur serranti pulsui frequentissimus pulsus, & ob id Magister Galenus docuit in lib. 4. de Præsagat. Ex pulsib. *Nullum pleuriticum cum tali pulsu servatum esse.*

Vermicularis pulsus indicat postrationem virium vitalium, & dissipationem spirituum; quia plerumque hic pulsus comitatur post vehementes evacuationes, cuiuscumque generis, ut alvi profluvium, aut sanguinis è naribus eruptionem, &c.

Pulsus formicans est periculosior vermiculante, & omnibus generibus pulsuum inæqualium; quia ostendit extremam dissipationem virium, & vitalis facultatis: sciantque Practicantes hunc pulsum esse certissimum significatorem mortis, nisi accidat in animi deliquio ex repentinis causis producto, ut repentinis, & copiosis evacuationibus; quia tunc emendari potest, suprimendo nimias evacuationes, & vires roborando.

Pulsus Martilinus, *saltans*, *bis pulsans*, *seu dicrotus*, significat inæqualem intemperiem cordis, etiamque monstrat adesse copiam vaporum fuliginosorum putridorum, malignorumque, & ideo satis periculosus est, quia ut plurimum moritur æger, si febris fuerit maligna, ut aliquoties observavi.

Pulsus caprisans ostendit redundare fuliginosos vapores, & naturam eos desipare. Iste pulsus est signum salutare, nisi appareat in febrium malignarum principio universali, & iam ægro existente debili, quia tunc mortem significat, ex eo quod non solum à natura dissipantur prædicti vapores, sed etiam spiritus.

Palpitans, vel *tremens pulsus*, prænuntiat futuram syncopem, & si perseveret, est index certissimus mortis, quia morte imminente cor paulatim destituitur viribus vitalibus; & ut istud verum sit, requiritur, quod cor proximus sit debilitati essentiali, vel iam adsit in actu propter venenosam, & malignam qualitatem: igitur dum à flatu producitur talis pulsus, non est absolutè læthalis, quia ferè semper liberantur ægroti.

Undosus pulsus significat vitalem facultatem gravari à nimia humiditate, & solet esse nuntius sudoris venturi in febribus: notare oportet, quod si undosus pulsus post sudorem alteretur, promittit spem salu-

tis; si verò undosus mutetur post sudorem in vermiculãtem, est signum pernitiosum; quia imminet vitæ periculum, nisi vires vitales roborentur cum instaurantibus auxilijs.

Pulsus deficiens est valdè exitialis, indexque mortis, quia arguit vires vitales esse superatas à morbo: Notatur, quod si talis pulsus appareat in principio universali, nullis evacuationibus præcedẽtibus, & adsit rubor faciei, tunc non ostendit tantum exitium; igitur procedit illa deficientia à multitudine materiæ morbosæ vitalem facultatem nimis gravantis, cuius periculum, quam promptissimè auferri solet cum evacuatione conveniente; sed præcipuè per venæ sectionem; quia ut plurimum nascitur ex plenitudine quoad vires.

Reciprocus pulsus, intercidens, seu intercurrens, est summè periculosus, quia ostendit resolutionem virium vitalium, ruinamque facultatis vitalis; animadvertere licet, quod si appareat talis pulsus, ubi nondum vires lapsæ sunt, non est tam exitiosus, quia spem salutis Practicantes habere possunt; igitur ostendit tunc causam eius esse copiam vitiosorum humorum, aut vaporum fuliginosorum adesse in arterijs, vel in cordis cavitatibus, quos natura expellere conatur, & si ea per se expellere non potest, tunc ab illo gravamine, quam facile deoneratur natura facta venæ sectione ex basilica vena; cum facultas vitalis non sit per se imbecilla; sed potius abundantia humorum gravata.

Intermitens pulsus est periculosus, sed non indicat tantum exitium, ac pulsus deficiens, quia intermitens significat minorem postrationem facultatis vitalis: istud considerandum est maxima prudentia; igitur debet intelligi de intermitenti pulsu, qui non transit ex intermissione duarum pulsationum, quia si transeat, est signum exitiale, quod ostendit mortem præsentem.

SCHOLIA.

Dignum considerationis est, ut Practicantes in promptu teneant notitiam specierum pulsuum morientium, quæ sunt quinque, videlicet *vermicularis, formicans, undosus, deficiens, & intermitens*; igitur ab eisdem causis penes magis, penes minus proveniunt, & non differunt, nisi motus extensione, & remissione: verum undosus pulsus inter moriendum, ut plurimum mutatur invermiculantem, & vermiculans transit in formicantem;

tem; formicans verò mutatur in deficientem; quatenus ad pulsum intermitentem notare debeo, quod, ut certè Medicus valeat evidentèr prædicere mortem, est necessum, ut intermitenti pulsui adiungatur parvus, & rarus pulsus.

Insuper notare oportet pulsum intermitentem non semper esse læthalem; quia in pueris, & senibus; sive febricitent sive non, evidenter, non possumus mortem prædicere, quia facilè à tali pulsu liberantur: in iuvenibus verò, & simul in adolescentibus, & consistentibus moneo, ut Practicantes mortem prænuntient, quia certè eveniet; verum ut prædictio non sit fallax, monere debeo, quod in omnibus ætatibus sine dubio mors sequitur intermitentem pulsum, dum intermitentia fiat à debilitate essentiali facultatis vitalis; hoc est, à maxima laxitate, aut tensione fibrarum nervearum quartæ tunicæ arteriæ, ut iam demonstravi in figura I. tabulæ V. in VI. chorda cannabina, quam asignat littera F. igitur in ictuum progresione fibræ cordis iam laxæ adipiscuntur maiorem laxitatem, ita ut contrahi nequeant ad hoc, ut observetur illud principium pitagoricum *superius inferius unum*; tunc enim cor desinit introducere sanguinem in arterias; & idcirco necesse est, pulsum sistere, ac intermitere per illud intervallum temporis assignatum; & cognoscitur, quod à tali laxitate pendet, quia intermitenti præter parvitatem, & raritatem adiungitur pulsus mollis.

Extenditur etiam ad aliam causam eadem intermisio, videlicet adtensionem maximam fibrarum, ut iam demonstravimus in I. chorda asignata per litteram A. in figur. I. prædictæ tabulæ; videlicet quando fibræ cordis tensæ valdè tendantur in ictuum progresione; quia tunc ipsæ fibræ maximopere tensæ non facilè torquentur, ut intrudatur sanguis in arterias; & ideo sanguis commoratur in corde, ob idque intermitit pulsus. Cognoscitur, quod talis intermitentia procedit à tensione prædictarum fibrarum in eo, quod præter parvitatem, & raritatem pulsui intermitenti associatur pulsus durus.

Memor esto dixisse iam à debilitate essentiali facultatis vitalis produci pulsum intermitentem, quia tunc in promptu habebam sequentia verba, quæ Magister Galenus in lib. 2. de Caus. puls. scripsit: *Porrò non solum facultatis infirmitas inducit intermitentem pulsum;*

sum; sed & instrumentorum valida opilatio, aut compressio, & constrictio. Ex quibus verbis infertur, quod in omnibus ætatibus potest talis pulsus carere periculo, tam in tempore salutis, quam in morboso; in tempore salutis verificatur, dum talis pulsus est naturalis, & si Medicus non agnoscit esse familiarem, & naturalem intermitentiam pulsus, quia in statu salubri non tetigit pulsum, præcise confunditur Medicus, & prædicit cum periculo fallendi, sicut confusi fuerunt illi Medici Romani in illo ægrotante, cuius pulsus erat intermitens in tempore sanitatis; & ideo culpabant malignitati, cum non adesset talis malignitas; cuius Historiam refert Magister Galenus in lib. de Prænot.

Notandum est, quod si intermitens pulsus non fuerit naturalis, apparens in tempore morbi, potest sine dubio vacare periculo, sive æger corripiatur morbo chronico, aut acuto: *Chronico*, ut asthma, affectio hypocondriaca, hysterica passio, &c. In quibus morbis multoties absque periculo apparet intermitens pulsus, ut passim observatur propter flatum elevatum, qui instrumenta pulsifica vitiat, cum tali proportione, ut producatur intermitentia.

In *acuto* talis intermitentia observatur, quam frequenter in morbis acutis periculosis, ut in febribus putridis sinochalibus, & inflammatorijs, in quibus ob plenitudinem quoad vasa, & quoad vires, producitur talis intermitentia propter obstructionem, & compressionem. Etiam experitur in vehementibus inflammationibus internis, sed præcipuè pulmonis, & pleuræ, ut accidit in forti pleuritide, ubi frequenter reperitur intermitens pulsus ob magnam tensionem, & crispationem pleuræ, quæ communicatur fibris nerveis longitudinalibus, & anularibus quartæ, & tertiæ tunicæ arteriæ: in hoc casu non est læthalis, quia facta sanguinis missione prædictæ fibræ laxantur, & intermitentia tunc aufertur; & si perseveret post venæ sectionem remissa inflammatione, Medicus iudicare debet, quod intermitentia est naturalis, vel læthalis: Naturalis, quando non adest alia causa à qua produci posit; læthalis dum adsunt graviora simpthomata, vel maligna qualitas à qua dependet.

Insuper animum verto circa verissimam instructionem, ut Practicantes rectius iudicium ferant de pulsu singulorum temperamentorum, ætatum, sexuum, temporum anni,

ESTAMP. VI




FIG. II

anni, somni, animique quorundam passionum. *Pulsus proprius temperamenti calidi* est magnus, & frequens, celeriter enim in illo sanguis in corde effervescit, ac rarescens adhuc validè excutitur in arterias, easque expandit in omnem dimensionem.

Pulsus proprius temperamenti frigidi est parvus, tardus, & debilis, quia contrarium accidit in sanguine, quatenus ad effervescentiam, ac rarescentiam, &c. quæ contingit in calido temperamento. *Pulsus proprius sicci temperamenti* est rarus, & duriusculus aliquando, utcumque magnus, si simul sit calidum temperamentum. *Pulsus proprius temperamenti humidi* est non nihil magnus, & rarus, sed mollis. Notatur, quod ex iam dictis facile est venire in cognitionem pulsuum propriorum temperamentorum compositorum, v.g. calidi, & sicci, calidi, & humidi, &c. coniungendo pulsus, qui proprij sunt temperamentis simplicibus.

Pulsus puerorum est valdè creber, ac molliusculus, quia habent sanguinem tenuem, & cor tenellum. *Pulsus iuvenum, & virorum* est maximus, & vehementissimus. *Pulsus mulierum* est creber, mollis, subinde magnus, sed sæpius parvus, quia solent esse caloris debilioris, & obnubilati ab humiditatibus, ex quibus mulieres abundant. *Pulsus senum* est rarus, & debilis ob languorem caloris, quia in eis adest copiosum serum, seu aqua. Notatur, quod pulsus etiam est non nihil durus, quia senex in substantia sua sunt aridi.

Pulsus veris est magnus, vehemens, & moderatè creber, quia sanguis à hyeme prævia tum abundat, calorque mediocriter se habet. *Pulsus Æstatis* est frequens, non nihil magnus, & fortis, ex eo quod sanguis in illa alacrius rarescat, & calor sit maior. *Pulsus autumni* est inconstans, & debilis, tum propter minorationem caloris, tum ob frequentem variationem aeris. *Pulsus hyemis* est parvus, debilior, & rarior; quia in hyeme ratione serositatis languet calor, & magis minoratur ab aere satis frigido.

Pulsus somni est languidior, rarior, minorque, quia tunc calor minor est; & quando dormiens incipit excitari à somno, augetur pulsus in illo, & est valdè inæqualis, quia spiritus iam excitati interruptim quasi ex cerebro prosiliunt in nervos cordis.

Pulsus iræ est magnus, fortis,

tis, & frequens, quia vehementer, & copiosè spiritus deferuntur in cor. *Pulsus tristitiæ* est parvus, debilis, & rarus, quia spiritus languent in cerebro debiliter ex eo egrediuntur, & ita propelluntur in cor. *Pulsus lætitiæ* est magnus, & fortis, sed moderatè, & tamen æqualis, quia spiritus animales leniter, nec minus abundanter in cor deferuntur, eumque movent.

Pulsus proprius amoris, dificilius noscitur, compositus enim est ex pulsibus diversorum animi passionum amori interludentium. Tamen peritus in praxi, & exercitio materiæ pulsus posset dignoscere, utcumque amorem per pulsum, si deficientibus indicijs morbi, pulsus sit valde inæqualis, & inordinatus, quia in amante valde inconstantèr solent moveri spiritus, tum in cerebro, tum extra illud, modò enim lætantur, modò tristantur, modò timent, modò benè sperant, &c.

Pro coronide huius capitis aliquas notas restat facere, ut Practicantes eficatius intelligant de ætatum pulsu. Prima nota stat in eo, quod in pueris magna est tam contractio, quam dilatatio, ut in fig. IIII. tabulæ V. demonstratur ex duabus arterijs, quas assignant litteræ L. M. quia habent tantam necessitatem attrahendi aërem, quam expellendi excrementa fuliginosa; tùm ob magnam copiam caloris nativi, tum, quia excrementis abundant, & ideò damnatur urina tenuis in pueris, tam in tempore salutis, quam in morboso, ob multas cruditates. Animadvertitur, quod in pueris fit etiam dilatatio, & contractio iuxta omnes dimensiones, ut observatur in duabus arterijs assignatis, quod demonstrant hæc duo signa ¶ ¶.

Secunda nota consistit in eo, quod contractio in juvenibus, & viribus minor est, & dilatatio maior, ut constat ex fig. III. prædictæ tabulæ, ubi demonstratur minor contractio ex minori arteria, quam assignat littera I. quæ est minor, quia juvenes naturaliter non abundant ex copia excrementorum, ut senes. Dilatatio verò maior est in juvenibus, ut demonstratur in arteria, quæ assignatur à littera K. quia necessitas attrahendi aërem ad attemperandum, & refrigerandum, est maior, quam expellendi excrementa. Licet animadvertere dilatationem, & contractionem in juvenibus fieri iuxta omnes dimensiones, ut in illis duabus arterijs hæc duo signa §§. demonstrant.

Ter-

Tertia nota dirigitur ad hoc, ut Practicantes ſciant in ſenibus conttactionem eſſe maiorem quam dilatationem, quia maior eſt neceſsitas expelendi excrementa humida, ex quibus ſenes abundant, ut demonſtratur in fig. II. prædictæ tabulæ per arteriam quam aſsignat littera G. Dilatatio veró eſt minor, quia ob prædictam humiditatem fibræ nerveæ longitudinales quartæ tunicæ arteriæ ſunt laxæ, ut videtur in arteria, quam aſsignat littera H. Porrò oportet animadvertere, quod in ſenibus prædicta contractio fit iuxta omnes dimenſiones, ſed præcipuè iuxta longitudinem: dilatatio verò non iuxta omnes tres dimenſiones, ut hæc duo ſigna ■■ demonſtrant in duabus arterijs iam aſsignatis.

CAPUT XXXIII.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS reſpirationis.

FAcilis reſpiratio in morbis acutis ſemper bona eſt, quia eſt indicium, ſanguinem, & reliquos humores liberè moveri per vaſſa pulmoniaca. Huius veritatis exemplum inter alios morbos ſit pleuritis, etiamque variolæ: in pleuritide bona reſpiratio portendit ſemper felicem indicationem iſtius inflammationis, niſi adiungatur aliquod ſimpthoma pernicioſum; & quo difficilior fuerit reſpiratio in pleuritide, tunc Practicantes in feliciorem eventum ſemper ſperare debent; & ideò ſi æger pleuriticus cum tam dificili reſpiratione non poteſt in lecto decumbere, mors citò ventura indicatur, quamvis pulſus ſit validus, & conſtans. In variolis, licet ſigna gravia appareant, parum interſt, ſi reſpiratio optima fuerit, quia tunc raró varioloſi moriuntur exiſtente tam optimo ſigno; igitur ex conſenſu Practicorum melioris notæ, nec diarrhea, nec diſſenteria ſunt tam pernicioſa ſimpthomata, ut eſt reſpiratio diffilis, & præcipué ſi de die in diem creſcit difficultas reſpirandi, quia indicat totum pulmonem plenum eſſe variolis, & dum accedunt vavariolæ ad ſupurationem, tunc augetur difficultas reſpirandi, quia pulmo inflammatur; & ſi tunc adiungitur vox rauca, difficultati ſpirandi ſignificatur mors in propinquo.

Supponendo omnem difficultatem reſpirandi eſſe terrificam in omnibus acutis morbis, ſive ſimplex ſit; ſive compoſita, ſi non procedat ex per-

perturbatione, quæ debet præcedere, dum crisis in propinquo est, transeamus iam ad specificandas significationes differentiarum compositarum difficilis respirationis. *Respiratio magna velox* significat adesse in corpore magnam copiam fuliginosorum excrementorum, & facultatem esse integram viribus, nullumque organum respirationis esse inflammatum, ut frequenter fit in paraphrenitide, seu delirio febribus ardentibus superveniente.

Respiratio parva, & *velox*, indicat esse coacerbatum excrementum fumosum, tamenque dolere aliquam partem earum, quæ moventur ad respirationem constituendam. *Respiratio parva*, & *tarda* ostendit dolere aliquam partem thoracem moventem; & si tali respirationi associentur gravia simpthomata periculosa, mortem indicat.

Respiratio magna, & *frequens*, significat aliquod instrumentum respirationis pati inflammationem, aut dolorem. *Respiratio magna*, & *rara*, ut plurimum significat delirium, & idcirco in phreniticis observamus talem respirationem: dixi, ut plurimum, quia quamvis talis respiratio sit proprium signum delirij, meo iudicio non est inseparabile, quia ægrotantes possunt ita respirare propter alias causas, videlicet, propter dolorem, vel propter virium imbecilitatem.

Respiratio parva, & *frequens*, indicat adesse dolorem, vel inflammationem supra septum transversum, ostenditque aliquam partem principem maximè lædi, aut dolore, aut inflammatione, aut ambobus simul. *Respiratio fœnomenata*, seu *frigida*, est exitialissima, quæ in proximè moribundis observatur propter extinctionem caloris nativi, & vitalium spirituum, ut Magnus Hypoc. in lib. prognost. ita loquitur: *Qui verò frigidus expiratur de naso, & ore exitialis iam est, & significat emortuam facultatem, seu calorem extinctum.*

Respiratio stertorosa in morbis acutis semper læthalis est, nisi æger patiatur morbum habitualem, ut *Asthma Apnea*, in qua habitualiter respirat difficilè, sed cum stertore, & sibilo, & tandem vivit aliquos annos. Læthalis est in acutis morbis, & ideò ante mortem per diem, aut plus talis stertor auditur, & indicat planè extinctam esse facultatem, taliter ut non valeat à faucibus expellere excrementa per sputum. Licet notare, quod

quod prædictus stertor significat retentionem sputi, & ideò est signum læthale in omnibus morbis acutis pectoris, vt in pleuritide, in peripneumonia, tandemque per istam respirationem agnoscimus iam phtisicos morti esse propinquos.

Pro calce huius capitis animadvertere oportet, ut Practicantes non oblivis cantur de respiratione deficiente, quia multum iuvat, tam ad pressagiendum, quam ad curandum in aliquibus morbis. *Respiratio deficiens* est, quando æger nullo modo videtur respirare, tunc deficiente respiratione, defficit etiam pulsus, & absunt omnia signa vitalitatis, ut apparet in sincope perfecto fortiori, in hysterica affectione; & in gradu intensiori apoplexiæ fortis, in quibus morbis ad hoc ut ritè sepeliantur corpora, in dubium vertuntur Medici, vtrum deficiente respiratione, posint vivere ægrotantes, & inter omnes opiniones, magis commoda est illa, quæ asserit esse imposibile animal vivere, & non respirare, naturaliter loquendo; istud verisimum est, si de evidenti deficientia respirationis intelligitur, & idcirco Magister Galenus in lib. 5. de loc. affect. ita fatus fuit: *At verò, si cor respiratione privetur, animal illico perire necesse est*: quia potest esse tallis deficientia apparens tantum, & quoad Medicos, & omnes adstantes nullo modo percipi respiratio; & idcirco, quia non percipiunt respirationem in apoplecticis, in hystericis, & sincopticis, eos alliquoties adhuc viventes sepeliunt; vt constat ex plurimis historijs, quæ pasim inveniuntur in non paucis auctoribus tam priscis, quam neotericis: ergo si ita est, procomperto habere debemus, quod homo naturaliter vivere non potest, deficiente respiratione: ergo, quia potest vivere, quamvis Medici, & adstantes inadvertant respirare, quia vel respiratio est tam languida, ut sensibus Medicorum nullo modo percipiatur, vel saltèm aërem sua sponte posse ingredi, & egredi in pulmones, quod sufficit, vt tales ægroti vivant, & conservetur calor nativus, qui languidus est; & adhuc sint capaces remedij, quando iam ab omnibus inter mortuos numerantur.

)(§)( )(§)( )(§)(

CAPUT XXXIV.

DE SIGNIS DIAGNOSticis, & prognosticis Urinæ.

QUia multa signa diagnostica ex quibus dignoscuntur urinæ species sunt manifesta, seu manifestè inferuntur ex capite XIV. tract. 2. Pathologiæ non licet repetere, sed tantum necessaria prænuntiare. Signa, quæ significant urinam esse integrè naturalem sunt tria, videlicet substantia mediocris, color palidus, rufus, aut flabus, & verum sedimentum. Verum etiam Practicantes scire debent vrinam dari mediam inter naturalem, & præternaturalem, hoc est, quod partim sit naturalis, & partim præter naturam, v. gr. dum substantia, & color urinæ sunt naturales, & non apparet sedimentum, vel si apparet nihil aliud est, quam succus crudus, aut mucosus, seu sabulosus &c. nam substantia mediocris, seu moderata ostendit exquisitas concoctiones, tum ventriculi, & tum vasorum sanguineorum, simulque significat benignitatem humorum, & salubritatem totius corporis,

In prædicto capite tractatus pathologiæ assignavi tres colores naturales urinæ, ex quibus accipiuntur tres species urinæ naturalis, scilicet *palida*, *rufa*, & *flava*, omnesque solum differunt iuxta maiorem, vel minorem portionem seri, vel bilis, quæ in eo dilluitur: ergo tres species urinæ sunt bonæ, quia significant inter se maiorem, vel minorem coctionem, & maiorem, vel minorem benignitatem humorum; & ideò habeant in promptu Practicantes, *urinam palidam* significare coctionem incipientem; *rufam*, ostendere coctionem mediam, *flavamque* indicare coctionem iam factam; sed hoc debet intelligi in temporibus morborum.

Urina palida, seu *spicea* frequenter apparet in augmento universali morbi salubris, quæ demonstrat coctionem incoatam, seu in fieri materiæ morbosæ. *Palida quæ nõnihil turbida est* significat aliquam frigiditatem ventriculi, & debilitatem facultatis concoctricis. *Palida tenuis*, & *per pauca* indicat adesse in vasis sanguiferis copiam pituitæ serosæ. *Palida valdè spumosa* significat flatus, rugitus, & tormina ventris.

Si urina palida sequatur aquosam urinam, existente delirio bona est, quia significat bilem descendere versus inferiora. Si sequatur tenuitatem, & aquosita-

ta-

tatem urinæ in cloriticis, & in alijs morbis ab obſtructione pendentibus promittit ſanitatē, quia oſtendit deobſtructionem viarum, per quas iam liberè deſcendit aliqua porciuncula bilis.

Rufa ſeu *citrina urina*, melior eſt, quam palida, quia ſignificat facultatem concoquentem eſſe magis robuſtiorem, morbum eſſe in principio particulari, vel in augmento ſtatus univerſalis; etiamque materiam morboſam eſſe mediocriter coctam. Notatur, quod hæc urina rufa eſt quæ ab aliquibus appellatur remiſſè aurea, quia in colore auro communi aſsimilatur.

Flava urina, ſeu *intensè aurea*, vel *remiſsè crocea* ſaluberrima eſt; igitur in ſanis oſtendit omnes coctiones eſſe inculpatas; in ægrotis ſignificat morbum eſſe in principio declinationis ſtatus univerſalis, vel circa illud; etiam indicat materiam morbificam eſſe perfectè coctam, & naturam eſſe victorioſam ſupra morbum, & iam proximam, vt eius fortitudine, adminiculationeque faciat declinare morbum declinatione vniverſali.

Anteà dictum eſt, ut perfectè naturalis ſit urina requiritur, quod præter ſubſtantiam, & colorem naturalem, eius ſedimentum ſit verum, quia ita ſignificat victoriam naturæ ſupra cauſam morbificam, & eius perfectam coctionem; deníque in morbis in quibus tale ſedimentum apparet omnino eſt ſignum ſalutare; igitur perfectæ coctiones manifeſtantur in urinis per verum ſedimentum.

Prædictæ doctrinæ minimè opponitur opinio eorum aſſerētium non eſſe præciſſe verum ſedimentum ad cognoſcendam perfectam coctionem, & ſalutis ſecuritatem, cum ſufficiens ſit apendiculum, ſeu ſuſpenſum naturale, vt conſtat ex lib. 4. de vict. rat. in acut. iuxta Galenum: Negare non poſſum, quod Magiſter Galenus in lib. citat. aſſerit quod eneorema, ſeu apendiculum cum naturale ſit, ſuficiens eſt ad hoc, vt habeamus ſpem ſalutis; verumtamen docet, ut urina optima ſit, quod in ea adſit verum ſedimentum iam [illegible] aſsignatum, [illegible] eſt littera textus prædicti Magiſtri: *Optima igitur urina eſt, quæ albam, & levem habet ſubſidentiam, neque tamen ad ſpem ſalutis ſemper apparere expoſtulabis, cum eneorema medio vaſe innatans ſit cum naturali, tum colore, tum ſubſtantia commodum videris, ſatis tibi erit.*

Inſuper ex præſcripta doctrina Galeni infertur mentem

eius non fuisse anteponere, neque conferre eneorema subsidentiæ, seu verò sedimento; quia agnovit optimam esse urinam cum tali sedimento, & ostendere aliquid amplius, quam spem salutis. Certissimum est satis esse Practicantibus: quod videant in urina suspensionem naturalem, tum in colore, tum in substantia ad hoc, ut valeant prædicere spem salutis in ægrotante, sed satis non est, vt præsagiant tam proximam spem salutis, ut indicat vera subsidentia alba, & levis, quæ in optima urina apparet; igitur significat perfectam coctionem materiæ morbosæ, quam non indicat eneorema, sed tantum mediocrem coctionem, sicut nubecula naturalis ostendit concoctionem incipientem.

Parvi momenti non est animadvertere, quod melius est, ut appareat eneorema, seu suspensio naturalis in urin[illegible]ima, quam [illegible] quod urina non habeat verum sedimentum, quia melior est habere indicium imperfectæ coctionis, quam indicium perfectæ cruditatis: igitur talis urina sine eneoremate, & sine sedimento perpetuò in morbis est mala; quia præter cruditatem prædicit mortem, aut longitudinem morbi: Mortem indicat, si facultas vitalis fuerit debilis, & adsit inopia caloris nativi; si verò vires valentes sint, indicat morbum esse cronicum, quod iam meus Magister Galenus in lib. 4. aphor. doctisimè docuit: *Morbum fore longum ostendunt urinæ, quæ non resident, si vires adfuerint, si debilitas adsit, ægri mortem prænuntiant.* Animadvertere debeo ne Practicantes in prognosticando fallant; quod certissima est sententia Galeni circa morbum longum, nisi adiungatur aliquod simpthoma ex gravioribus, quæ, licet vires sint constantes, celeriter eas in ruinam ducunt, & tunc æger brevisimè obit.

Sciant Practicantes, quod non nullæ conditiones requiruntur ad hoc ut noscatur verum sedimentum, quæ sunt quinque, videlicet: *Album, leve, unitum, non prorsus incumbens in fundo matulæ, & æquale.* Nam istæ conditiones ostendunt generalem indicationem sedimenti saluberrimi, & ideo dum tale verum sedimentum apparet in morbis, ostendit easdem bonitates, quas in sanis significat, dumtaxat copiam nativi caloris, æqualem temperiem corporis, perfectam concoctionem alimenti, & exquisitam sanitatem; & si in morbis, non tam exquisitè in actu ostendit prædictas bonita-

nitates, ac in ſanis; ad minus cum maxima approximatione indicat ad hoc, ut natura conſequatur in actu, quam citiſsimè, tales bonitates cum debita proportione.

Prima conditio veri ſedimenti eſt, quod ſit *album*, ſed albedini ſemper adiungi debet levitas: ergo ſi ſimul ſedimentum non fuerit album, & *leve*, quæ eſt ſecunda conditio, minimè erit verum; quia ratione albedinis convenit cum varijs differentijs præternaturalis ſedimenti; v.g. cum ſedimento mucoſo, crudo, purulentoque, quæ ſedimenta non facile dimoventur à fundo matulæ, neque aſcendunt, ut accidit in vero ſedimento, quod à leviſſima motione ſtatim dimovetur, & tendit verſus partem ſuperiorem urinæ, & à minima quiete matulæ eadem facilitate petit fundum.

Tertia conditio eſt, quod ſit *unitum*, quia ſi eſt divulſum, & non cohærens, ſignificat non eſſe perfectè factam coctionem, quæ impeditur vel à flatu in corpore redundante, vel ab aliqua portiuncula ſucci crudi, qui intendens mixtionem cum vero ſedimento, cum non poſsit uniri cum eo, tunc cauſat divulſionem. Licet animadvertere Practicantibus, quod ignoſcant, quando ſedimentum ſit divulſum propter flatum, vel ob ſuccum crudum: ſi producitur à flatu, noſcitur in eo, quod in urina apparet aliqua ſpuma alba; & ſi talis ſpuma non adfuerit, tunc facile in cognitionem venient, agitando urinam, ut ſedimentum denuò diluatur in ſeroſa ſubſtantia; tunc enim obſervatur, quod ſubſtantia urinæ perſeverat in ipſa moderatione, ſeu mediocritate naturali: Verum ſi divulſio dependet à commixtione prædicti ſucci crudi, poſt agitationem apparet ſubſtantia urinæ cum maiori craſitie, quam antea habebat.

Quarta conditio eſt, ut ſedimentum non ſit *prorſus incumbens in fundo matulæ*, ſed requiritur, ut verum ſit, quod piramidaliter à fundo matulæ ſurſum elevetur, quia dum ſedimentum non eſt verum, ſed potius ſuccus crudus, tunc efficit contrariam figuram piramidalem.

Conditio quinta, ut ſedimentum ſit verum, eſt, quod *æquale* ſit, hoc eſt, quod in quacumque hora appareat in urina, ſive inſpiciatur manè, ſive veſperè, ſive nocte, &c. ſed ſi intermittat, tunc non eſt verum, neque fidiſsimum ſedimentum, ad hoc, ut Practicantes valeant prædicere quidquid oſtendit ſaluberrimum ſedi-

ſedimentum; quia tunc ſignificat minorem ſecuritatem, & acutum morbum eſſe mutatum in chronicum: iam memor circa iſtud ſequentium verborum, quæ Hypoc. in lib. prognoſt, ſcripſit: *Urina optima eſt, ſi candidum ſedimentum fuerit leveque, & æquale per omne tempus, donec morbus iudicetur, ſecuritatem enim, & ferè morbum eſſe brevem ſignificat; ſi verò intermittit, atque interdum puram emittit urinam, interdum ſubſidet album; ac leve, morbus diuturnior eſt, & minus ſecurus eſt.*

Inſuper advertere oportet, quod ex inæqualitate, ſeu intermitentia prædicti ſedimenti nõ deſunt aliqui ex noſtra Schola Salmantina, qui aſſeruiſſent dari urinam intermitentem, ſeu alternativam; illorum unus, quem audivi in veſpertina Cathedra, fuit Doct. Fulgentius à Venavente, è cubiculo R[illegible] [illegible]nio naturalis in u[illegible]; quæ quidem urina intermitens indicat minorem ſecuritatem, quia ſi dum apparet, oſtendit coctionem, tamen dum intermitit ſignificat cruditatem alterius partis materiæ; ut iam Magiſter Galenus in lib. 1. de Morb. vulgarib. doctiſsimè exaravit, ita loquendo: *Urinæ cruditas, & concoctio alternantes, aliquos indicabant humorum concoqui, aliquos permanere crudos.* Eſt minus ſecura talis alternativa urina, quia licet morbus, dum apparet ſedimentum, ad ſanitatem ſpectet, ratione coctionis ab illo indicatæ; tamen propter reliquos humores, qui ſunt in cruditate, poſſunt ſupervenire gravia ſimpthomata, quæ de medio tolant ægrotantem.

Notare debeo unum magnæ conſiderationis, ut Practicantes valeant rectè curare, dum videant præſcriptam urinam intermitentem, & eſt aſſignare ſignificationes urinæ prædictæ; ſunt tres, quas oſtendit, videlicet humores eſſe partim concoctos, & partim crudos; morbum eſſe chronicum, & eius acceſsiones eſſe erraticas: Iſta doctrina non tam nuda eſt, quod non cooperiatur cum palio plurium Auctorum melioris notæ, & inter illos ſatis eſt Chriſtophorus de Vega, qui in comment. prognoſt. ita animadvertit: *Ecce tria, quæ ſignificantur ex hac intermitenti urina, morbi longitudo, errantes acceſsiones, & humores, quorum quidam ſunt cocti, quidam crudi, & in ſumma æthereogenei.* Ergo Practicantes valebunt rectè curare, quia talis urina alternativa eſt indicans, ut exibeatur medicamentum purgans; igitur poſt expur-

purgationem ſine dubio natura poteſt celerius ſanitatem amiſſam recuperare.

Explicatis iam quinque conditionibus veri, ſaluberrimique ſedimenti, & ſimul attentis his verbis Galeni, quæ in lib. 1. de Criſib. refert ad noſtrum intentum: *Urina, quæ benè colorota eſt, & albam, & levem, & æqualem habet ſubſidentiam, coctionis eſt ſignum.* Licet conſiderare talem urinam naturalem aliquoties apparere in principio univerſali putridarum febrium, tandēque malignarum cum putreſcentia; tunc enim cauſa febris non continetur intra venas, ſed potius in prima regione, ubi putreſcit, quia ſi adeſſet intra venas, nullo modo in tali tempore, cum ſit cruditatis tempus, poteſt apparere urina corpori ſano ſimillima, ſed potius cruda, propter imbecilitatem ſecundæ regionis, & idcircò meus Magiſter Galenus in lib. 1. iam citat. de Criſib. ita me docuit: *Urinæ quæ ſanis ſimiles ſunt, venoſum inſtrumentorum genus ſatis robuſtum eſſe demonſtrant; quæ verò crudiores ſunt, eiuſdem imbecilitatem ſignificant.*

Urina tenuis inſtar aquæ limpidæ ſignificat magnam cruditatem cauſæ morbificæ, & ſi in tenuitate perſeveret, non ſolum indicat cruditatem magnam, ſed etiam extremam: talis urina cum dolore in aliquo viſcere naturalis regionis ſignificat obſtructiones; quæ dignoſcuntur à dolore loci affecti, v.g. ſi dolor fuerit ſub dextro hypochondrio, oſtendit jecur eſſe obſtructum: ſi ſub ſiniſtro lien, & ſi circa vertebras lumborum renes eſſe obſtructos ſignificat. Si urina tenuis mingitur, ſtatim ac bibitur, ut accidit in diabete, eſt peſsima, quia indicat ſummam debilitatem facultatis retentricis, & fortitudinem expultricis. Si urina tenuis mingatur poſt aliquam evacuationem criticam, oſtendit recidivam, & criſim non fuiſſe ſecuram, ſeu perfectam propter reliquias materiæ morboſæ, craſſæ, & crudæ. Animadvertitur, quod ſi in principio univerſali, vel in augmento repentè appareat urina tenuis, oſtendit raptum cauſæ morbificæ verſus caput, unde ſequi ſolet delirium, aut lætargus, &c.

Craſſa urina ſemper ſignificat cruditatem, ſed non ortam ex imbecilitate caloris nativi, ſicut tenuis; ſed generatam ex redundantia crudorum humorum gravante calorem nativum. Urina, quæ mingitur craſſa, craſſaque perſeverat, ſi adſit debilitas virium, meritò præ-

prædicere debemus mortem ægrotantis, non tantum ratione crasitiei, quantum ratione debilitatis virium; quæ non possunt perdurare usque coquatur morbosa materia. Urina, que turbida mingitur, & postea clarescit, indicat, quod calor naturalis concoquere incipit causam morbosam. Si in febribus fortibus, hoc est, in earum principijs mingatur urina perturbata, significat adesse dolorem in capite, vel illum venturum, ut Hypoc. iam prædixit in Aphor. 70. lib. 4. *Quibus febricitantibus urinæ sunt perturbatæ, quales sunt jumentorum, ijs dolor capitis, vel adest, vel aderit.* Notare licet, quod non tantum indicat capitis dolorem, verum etiam potest prædicere mortem, aut longitudinem morbi: mortem ostendit, dum adest debilitas virium; morbi longitudinem, quando vires sunt constantes, ut in suo tempore valeant concoquere materiam morbificam.

Transeamus iam ad prædictiones quantitatis urinæ, & ut maiori cura fiat, debemus attendere, an sit mediocris, multa, aut pauca: *Mediocris* quantitas dicitur, quæ proportione respondet his, quæ ebibita sunt; regulare enim est, ut qui multum biberint, & humidioribus usi fuerint alimentis, multam emingant urinam: ergo moderata urinæ quantitas, salubritatem corporis ostendit. Si urina multa fiat, quia per crisim humores expelluntur à natura per illam viam, tunc ostendit securitatem, & salutem ægrotantis. Si urina multa expellatur propter coliquationem membrorum, iudicat mortem, aut hecticam febrem venturam. Evacuatio multa urinæ, si fuerit simpthomatica, semper in acutis morbis timenda est. Notare licet, quod in pleuritide, & peripneumonia excretio copiosa urinæ in die decretorio, præcedentibus signis, quæ debet sequi optima crisi, semper est bona, igitur cum ea à morte liberantur.

Urina pauca propter debilitatem facultatis expellentis significat ascitem venturam, aut tusim, & maximam difficultatem respirandi; & propter retentionem substantiæ serosæ, debemus timere suffocationem. Si pauca redditur urina, quia natura deponit serum per alvum, tunc indicat fluxum ventris secuturum.

Urina fœtida, si magna quantitate mingatur, est bona, ut causa; & mala, ut signum: bona, quia natura robusta expellit, quod noxium est. Mala, quia semper significat esse ma-

malignam putredinem in partibus internis,& in humoribus, à qua fœtor oritur. Notatur, quod fœtida urina in die critico apparens, & copiosè proijciatur, est bona, quia ostendit victoriam naturæ adversus morbum, & statim ægro subcedit levamen. Animadvertere oportet, quod urina fœtida in corporibus sanis semper est suspecta, quia solet esse præludium morborum putridorum, & malignorum, nisi talis fœtor nascatur ex commistione rerum fœtidarum, veluti sunt assa fœtida, allium, castoreum, &c.

Urina flava, quæ prima ponitur ab Auctoribus inter urinas, quæ ratione coloris appellantur præternaturales, ad explicandas eius significationes, licet considerare, an sit remisè flava, an verò intensè flava. *Remisè flava, seu lateritia* significat ustionem bilis flavæ, & intensam caliditatem: si color flavus perseveret in febre acuta, ostendit grave periculum, sed si color aliquantulum remittatur, & simul adsit robur virium, tunc significat spem salutis. Si talis urina appareat in corpore sano, prædicit ægrotaturum esse febre ardente, aut tertiana; & ideo in febribus, in quibus adest fermentum tertianæ, ostenditur talis color remisè flavus in urina, & simul in ea solet apparere contentum copiosum coloris lateritij. *Urina intensè flava, seu crocea* significat intemperiem calidam in corpore: tamen ostendere solet obstructionem viarum, per quas biliosus humor defertur à jecore in vesicam felleam, & ex ista per ductum colidocum ad intestinum duodenum, quod accidit in his, qui morbo regio corripiuntur.

Urina alba apparens in principio morborum, indicat adesse magnam copiam humoris pituitosi, quæ puituita naturam gravat, & ideo intempestivè expellitur ab ipsa natura, unde semper Practicantes timere debent apoplexiam, læthargum, paralysim, aut convulsionem. Si in corpore sano appareat talis urina, significat redundare humorem pituitosum; & ægrotaturum aliquo morbo frigido, ut colica, catarrho, apoplexia, &c. Si in morbo non acuto multo tempore appareat urina alba, ostendit talem febrem converti in quartanam. Notatur, quod urina alba est salutaris, quando natura facit expulsionem criticam humoris crassi, & pituitosi per vias urinarias.

Urina lactea, quæ est species albæ urinæ, habet plures significationes, & ut istas ritè in-

intelligant Practicantes, attendere debent ad eius crasitiem, & ad eius tenuitatem: Si lactea urina fuerit crassa, ostendit tres res, videlicet redundantiam crassæ pituitæ in venis, aut magnam permixtionem substantiæ seminalis cum sero, aut permixtionem chili cum substantia aquea urinæ. Quando lactea fit propter permixtionem seminis, aut chili, & sine acutie morbi multo tempore mingitur, significat venturam atrophiam, & tabem maximam. Lactea crassa, quæ in pauca quantitate mingitur, indicat obstructionem meatuum urinæ, productam à pituita mucosa. Lactea tenuis in pueris apparens, ostendit adesse calculum, vel dolores nephriticos. Si verò tenuis lactea in acutis febribus mingatur, minatur citam mortem, viribus fractis existentibus; si verò valentes sint, significat commutationē febris in pthisim.

Urina rubra non semper significat sanguinis abundantiam; quia potest mingi propter vitium peculiare renum, aut vesicæ, aut propter debilitatem facultatis retentricis, & idcircò periti Practicantes in promtu habere debent ista signa: Si rubedo urinæ similis est vino rubro, notat pletoram, & sanguinis ebullitionem. Si rubedo provenit à renum exulceratione, tunc indicant grumi sanguinis, qui post refrigerationem in fundò matulæ conspiciuntur. Si rubedo similis fuerit sanguini diluto, & in fundo matulæ non subsideat, velut grumi, tunc ostendit eius causam esse imbecilitatem facultatis retentricis in renibus. Si rubedo urinæ fuerit instar boli armeni, indicat inflammationem jecoris, & febrem ardentem. Urina rubra instar lixivij perspicua in hydrope apparens, minatur mortem præsentem. Urina purpuracea crassa, quæ commota ostendit spumam croceam, est index icteritiæ flavæ. Si rubra urina fiat à sale, qui diluitur, cognoscitur in eo, quod commota urina, apparet spuma alba. Si verò rubedo nascatur à copia bilis, tunc post commotionem urinæ, apparebit spuma crocea.

Viridis urina inter pravas urinas enumeratur, & significat intensum calorem, & morbum perniciosum esse, quia ostendit adesse copiam bilis prassinæ, aut eruginosæ in jecore, & in ventriculo. Si urina viridis appareat præcedente urina rubra, mortem portendit. Si appareat in mulieribus, & in pueris, indicat venturam convulsionem propter caloris nativi

tivi extinctionem. Si in febribus conspiciatur urina viridis, significat calorem vitalem esse extinctum ab intenso præternaturali, & simul imminet mortem. Si in phrenitide mingatur viridis, semper est index mortis.

Livida urina in febribus acutis semper timenda est, quia ostendit adustionem humidi radicalis, & extinctionem nativi caloris, & vitalium spirituum. Si cum dolore dextri hypocondrij, aut sinistri appareat urina livida, ostendit tunc esse tumorem, & morbificationem in jecore, aut in liene. Si urina livida mingatur in phrenitide, & in palpitatione cordis, prædicit mortem esse præsentem. Si cum tumore ventris appareat, minatur hydropem; & si æger iam sit hydropicus, superveniente urina livida, tunc præsentem mortem significat.

Urina nigra, vel est pessima, & prava, vel est salutaris; si appareat in principijs, augmentis, & statibus febrium, significat calorem adurentem, & si præcedente urina rubra, aut livida in talibus febribus sequatur nigra urina, semper læthalis est. Si in febribus perniciosis, existente iam partium extremarum refrigeratione, superveniat urina nigra, exitialissima est. Si in tempore sanitatis mingatur urina nigra, significat generationem lapidis in renibus. Salutaris est urina nigra, quando in declinationibus febrium modo critico excernit natura per vias urinarias humores adustos. Notandum est, quod aliquando urina nigra periculo caret, quamvis excernatur in principijs, & augmentis morborum, videlicet dum fit propter repurgationem humorum, ut observatur in quartanis, in menstruis supresis, in retentione puerperij, in spleneticis, in hypocondriacis, &c. Pro coronide urinæ nigræ volo ostendere sequentes versiculos Docti Ægidij.

Nigrorem urinæ faciens incommoda febris
Quartanam solvit: mortem portendit, & urit.
Si niger ad fundum residens se deprimat humor,
Matris purgatur multi sentina cruoris:
In febre, fert mortem, quæ nigra est paucula
Vesicæ vitio renum profususque remotè.

Urina vinea, & urina passea habent easdem significationes, quæ indicant adesse inflammationem in aliquo viscere; etiam ostendunt febrem esse exurentem, & malignam prop-

propter adustionem sanguinis, & bilis, quæ urinæ semper sunt timendæ, dum simpthomaticè apparent in ardentissimis febribus, & inflammationibus internis; & si præcedente urina vinea, postea appareat viridis, mortem ostendit. Si urinam rubram sequatur passea, indicat maius periculum propter assationem, & conversionem sanguinis in bilem adustam. Si in urina passea, quæ statim à principio febris acutæ, postquam agitetur, conspiciatur spuma flava, notat adesse inflammationem jecoris, & icteritiam. Si urina passea, vel vinea mingantur postquam aliqua evacuatio sanguinea, aut biliosa fuerit supressa, tunc non indicat tantum damnum. Si urina passea excernatur propter obstructionem venarum, & vesicæ fœleæ, tunc significat morbum terminari in icterum, & ut hoc præsagium sit verum, duæ conditiones requiruntur: prima, quod absit adustio prædicta: secunda, quod post urinæ agitationem, inspiciatur spuma crocea.

Urina pinguidinosa inter pravas ponitur ab Auctoribus, & significat vehementissimam ustionem coliquantem, & consumentem pinguedinem, secundas humiditates, & etiam carnes, seu partes solidas. Notatur, quod inter species urinæ pinguedinosæ, est periculosior illa, quæ tota est pinguedinosa; quia ostendit adesse in corpore vehementissimam ustionem. Urina pinguedinosa, quæ tantum oritur à renibus, est minus periculosa, quæ cognoscitur ex ardore, aut ex ardore, & dolore, qui in regione renum sentiuntur. Urina oleosa ferè idem prædicit, ac pinguedinosa, sed non est tam periculosa, quia vehementia caloris non est tam intensa, & morbus prorrogatur per plures dies, quam in pinguedinosa. Si urina oleosa appareat in quarto die primæ hebdomadæ acutæ febris, prædicit ægrum moriturum esse in feptima die.

Circa nubeculam, & appendiculum asserere debeo, quod in statu naturali debent habere colorem album, citrinum, aut flavum; quia significant coctionem: ergo præter istos colores, quæcumque suspensiones sunt malæ, & præternaturales, sive nigræ, sivè virides sint; quia indicant cruditatem materiæ morbificæ, aut eius pravitatem, & malignitatem, vel extinctionem caloris nativi, & vitalium spirituum, unde mors prædicenda erit. Nubecula nigra indicat longas vigilias; & delirium venturum; si febris fuerit ardens, aut ma-

lig-

ligna. Si in senibus appareat nubecula nigra in principio ardentis febris, læthalis est.

Quia in urina solet apparere spuma, animadvertere licet causas eius unas esse materiales, & alias efficientes: materiales sunt duæ, dumtaxat humor viscidus, & flatus: causæ efficientes sunt tres, scilicet motus, calor, & frigus. Si in urina adsit spuma alba, quæ post exactam urinæ refrigerationem perseverat, monstrat multam viscositatem, & humiditatem pituitæ, & eius agitationem, & concusionem à flatibus productam. Spuma multa innatans in urina, & perseverans, indicat plurimos flatus vagari in corpore, ventriculum, & intestina distendi; prænuntiatque ventris tormina secutura, & dolorem colicum excitari. Spuma nigra mala, & significat dominium humoris melancholici, & multam viscositatem illius. Rufa spuma, seu citrina in urina apparens, significat morbum regium, & magnam viscositatem humoris biliosi vesicam feleam obstruentis; etiamque obstructionem hepatis. Spuma livida, si cum febre acuta appareat, significat pulmonis obstructionem, & inflammationem, difficultatemque respirationis.

Sedimenta præternaturalia plurima sunt, sed tantùm referam aliqua magis communia, qualia sunt *furfuracea*, *squamosa*, *grumosa*, *farinacea*, *seu pultacea*, *orobea*, *filamentata*, *lactea*, *cineritia*, *purulenta*, *sabulosa*, *seu mucosa*, *arenulosaque*. *Sedimentum furfuraceum* dicitur, quando in urina apparent res quasi furfures; dum apparet absente febre, indicat vesicæ exulcerationem: si verò cum febre, ostendit consumptionem, marcoremque carnosarum partium. Si in vrina mulieris conspicitur tale sedimentum, significat uterum esse valdè debilem, & pituitosis vitiosisque humoribus scatentem.

Sedimentum squamosum appellatur, quando in urina apaparent res, quasi squamæ; & tale sedimentum cum febre indicat hecticam, & assumptionem partium solidarum totius corporis. Si verò sine febre excernatur talis materia squamosa, denotat vesicam urinæ scabie laborare: nam contingere potest, ut in tunica interiore vesicæ coligatur quædam materia acris, & salsa, quæ quasi scabiem eficit, non secus ac in cute exteriore; quare quemadmodum, si confricetur exterior cutis scabiosa, producit squamas, ita non mirum, si vesicæ scabiosæ idem accidat.

Sedimentum grumosum appel-

la-

latur, dum in urina conspicitur sanguis grumosus: si in urina sit sanguis grumosus graviter-olens, dolore existente circa regionem hypograsticam, indicat sanguinē manare ex vesica urinæ. Si grumosus sanguis in fundo urinæ mulieris appareat, significat eam laborare menstruali fluxu. Si sanguis grumosus purus, nigricans, residens in fundo matulæ, est indicium, quod à renibus excernitur, sed simul æger sentit dolorem pungentem non vehementem in dorso, ubi renes sunt; & si dolor adsit in pectine, tunc testatur esse exulcerationem in musculis cervicis vesicæ urinariæ.

Sedimentum farinaceum, seu *pultaceum* nominatur, quod simile est polentis, seu pultibus: Si apparet cum febre, significat magnum fervorem, seu excessivum calorem, qui carnes colliquat, & humores incrassat; si vires fuissent debiles, mortem indicat; si verò sint valentes, ostendunt longitudinem morbi.

Sedimentum orobeum, est quando apparent materiæ similes legumini. Tale sedimentum in febribus indicat consumptionem totius corporis; si verò appareat sine febre, denotat renum colliquationem.

Sedimentum filamentatum dicitur dum in fundo matulæ resident quædam corpuscula alba similia particulis filorum, quæ conspiciuntur post commotionem urinæ. Tale sedimentum significat seminis redundantiam, & dilatationem meatuum, vasorumque spermaticorum. Si appareat in urina mulieris, ostendit eam passam fuisse fluxum mensium albicantium. Si in urina virorum conspiciatur, prædicit adesse gonorrheam virulentam in universali declinatione, & tunc adiungitur per intervala pruritus molestissimus in parte interiori membri virilis: Circa hoc est dignum animadversionis, quod si talis pruritus deficiat, sine dubio possumus prædicere virum passum fuisse prædictam gonorrheam.

Sedimentum lacteum dicitur illud, quod habet colorem lacti similem; & significat ægrum laborare illo morbo, qui vocatur tabes dorsalis, & in illo, qui tali morbo non corripitur, imminet extenuationem corporis; quia evacuatur pars spirituosa succi nutrimentalis. Si in fundo matulæ fuerit tale sedimentum ipsum semen, sed spissum, & crassum, indicat resolutionem, seu laxitatem genitalium, quæ oritur ex nimia seminis redundantia, vel ex magna debilitate partium genitalium.

Sedimentum sabulosum, seu *Mucosum* est illud, quod asimi

mi

milatur ſubſtantiæ, que Hiſpanè vocatur *Mocos*, & indicat redundare intra venas humores craſſos, etiamque adeſſe in prima regione magnam copiam cruditatum pituitoſarum, etiāque inveniri tales humores viſcidos, & mucilaginoſos in renibus, & in alijs vijs urinæ. Tale ſedimentum etiam prædicit generationem lapidum, & imminet aliquam repentinam urinæ ſuppreſsionem.

Sedimentum Arenuloſum apellatur dum in fundo urinæ apparent arenulæ, quæ ſunt rubræ, vel albæ: Rubræ, & duriuſculæ oſtendunt calculum renum, ſi adſit lumborum dolor. Albæ arenulæ, & duræ indicant diſſuriam, & calculum veſicæ, ſi in pectine ſentiatur dolor.

Sedimentum cinericium vocatur illa materia collecta in fundo matulæ, quæ cineri perſimilis eſt; & ſignificat in venis redundare humorem melancholicum aduſtum. Si cum tali ſedimento adſit dolor in ſiniſtro hypocondrio, oſtendit lienem pati obſtructionem, ac tumorem. Si ſentiatur dolor in partibus pudicis, tunc cinericium ſedimentum, indicat ſuppreſsionem hemorrhoidum, aut eſſe in ano tumorem, qui ficus vocatur. Si in urina mulieris apparet tale ſedimentum, prædicit pati fluorem, vel menſium corruptionem, vel ſuppreſsionem evacuationis menſtrualis. Inter ſedimenta præternaturalia, etiā numeratur *Purulentum ſedimentum*, & eſt, quando in fundo matulæ conſpicitur pus. Si purè album fuerit pus, indicat abſceſſum fuiſſe ruptum in renibus, in veſica, aut in alijs vijs, per quas tranſit urina, aut eſſe ulcus in aliqua parte ex iam dictis. Si apparet paucum pus tendens ad rubedinem, denotat ulcus renum. Si verò copioſum, & magnum excernatur cum magno fœtore, prædicit ulcerationem veſicæ. Si cum tali ſedimento adſit dolor in dextro hipocondrio, ſignificat abſceſſum ruptum fuiſſe in hepate. Animadvertitur, quod per plures annos ſolet excerni tale ſedimentum ſine magno incommodo.

SCHOLIA.

ANimadvertere oportet circa cognitionem urinarum quæ dependere poſſunt à bile, vel à ſale; ut accidit in urina flava præternaturali, in vinea, &c. ne Practicantes confundantur: Si à bile procedunt, poſt agitationem urinæ, apparet ſpuma flava, & ſi dependet à ſale, tunc poſt commotionem ſpuma conſpicitur alba.

Circa præternaturale ſedimentum notare debeo vnum mag-

magnæ considerationis ad vitandos aliquos errores, & est, quod inveniri solet quoddam sedimentum, quod appellatur *succus crudus* simile naturali sedimento, cum quo falli solent, quam facilè aliqui Medici; verum distingui potest cum expressissimis notis: Prima est, quod succus crudus est gravis: Secunda, quod tale sedimentum est divulsum; & tertia, quod apparet in principio universali morbi. Significat enim cruditatem materiæ morbificæ, & in corpore adesse magnam sarcinam humorum crudorum, tamenque solet esse nuntius redundantiæ succorum crudorum in jecore liene, glandulis mesenterij, & in alijs partibus primæ regionis.

Insuper scire licet circa sedimentum arenulosum, quod aliquando arenulæ rubræ, & molles non raro adherent parietibus matulæ, quæ nihil aliud sũt, quam concretiones salinæ, & videntur aliquoties in febricitantibus, quæ indicant magnum æstum, inflammabilitatemque in sanguine, & ideo debent ostendere, aut præter naturalem calorem jecoris, aut febrem esse ardentem. Si tales Arenulæ appareant absente febre, & sint perlucidæ instar glaciei, & mediocris magnitudinis, tunc denotant obstructionem lienis: Si verò istæ arenulæ tali modo sunt constitutæ, sed valde exiguæ, indicant glandulas mesenterij, & alias conglovatas esse obstructas, aut aliter malè affectas. Arenæ rubræ, dispersæ per totam urinam usque ad superficiem, significant jecur esse obstructum.

Licet, præter dicta, aliquid amplius contemplare, ut rectius agnosci possint aliæ res, quę solent indicari ab arenulis mollibus: si tales arenæ habeant colorem argenti, & dispersæ per totam urinam instar vitri minutissimè confracti, splendescantque, & quasi innatando in superficie urinæ, indicant adesse affectionem scorbuticam coniunctam cum multis simpthomatibus, ut vertigine cordis palpitatione, &c. Verumetiam debemus notare arenas hærentes in superficie urinæ, indicare caput esse malè affectum. Si verò in medio urinæ hæreant, significant thoracem laborare; & si subsideant, adhæreantque fundo matulæ, ostendunt urgere morbum in abdomine. Tandem considerare oportet an tales arenæ significent adhæsse calculum, vel eius generationem, aut sint veræ concretiones salinæ, ne decipiantur Medici circa morborum curationem; istud distinguitur facillimè, si post quam tota urina fuerit

rit decantata, injiciatur in matula aqua limpida calida, tunc agitatur, & si arenulæ sunt concretiones salinæ, disolvuntur in aqua; si sunt arenæ veræ, non diluuntur, sed pòst agitationem petunt fundum, & subsident in fundo matulæ.

Licet considerare octo conditiones, circa urinæ collectionem; quia sunt multum necessariæ, ne decipiatur iudicium; prima conditio est, quod tota urina simul est excipienda, & quidem à somno, ubi concoctio alimenti iam perfectè facta est, quod matutino tempore consuevit fieri. Secunda consistit in eo, quod matula sit munda, & tersa ex vitro albo, & perlucido conflata, referens figuram oblongam, vesicæ urinariæ formæ similem, cuius fundum non debet esse planum, sed deorsum versus extumentem, similem cono.

Tertia conditio stat in eo, quod matula, in qua est excepta urina, cooperiatur omni cura, & collocetur in loco tepido, ad quem neque aeris frigiditas, nec ventorum flatus, nec radij solares pertingere queant. Conditio quarta est, ut ante inspectionem urinæ transeat temporis spatium necessarium ad minus per unam, aut alteram horam; quia si antea commoveatur, recta contemplatio urinæ non potest fieri; igitur in tempore assignato possunt exactè contenta ad invicem separari, & fœculentiora subsidere. Quinta conditio dirigitur ad assignandum modum, per quem Medicus valeat iudicare urinam, quæ sit conturbata; istud est, si urina intra præscriptum tempus ab insita qualitate turbetur, corrumpaturque, vel ab aliqua externa occassione; tunc matula cum urina imponi debet in aquam moderatè calidam, & ibi maneat, donec recipiat propriam formam, & constitutionem, quam ipsa urina habebat ante eius conturbationem.

Sexta conditio, ut inspiciatur urina in loco claro, & perspicuo, qui neque obscuritate, neque nimio splendore visum decipiat, hoc est, in loco medio, qui commodus est, ut contenta manifestè videantur, quapropter quidam pannum nigrum, vel aliud simile ponere solent post vas. Septima conditio est, ut urina non excipiatur post ingurgitationem vini meratioris, aut post assumptionem alicuius rei coloratæ, veluti crocus, qui urinam flavo colore inficit, aut post assumptionem pharmacorum, in primis rhabarbari, vel casiæ; mutant enim hæc, & alterant, tum co-

lorem, tum substantiam urinæ, & fallacem reddunt judicium, quia rhabarbarum inficit urinam flavo colore, casia fistula nigritia infuscat.

Conditio octava consistit in eo quod Medicus urinam contemplaturus ex opposita parte matulæ opponat palmam manus per spatium latitudinis palmæ, ut aeris radij lucidi in umbra manus colligantur, & in matula tanquam in speculo collecti exactius ostendant contenta in urina.

Advertendum est, ut Practicantes præter dictas conditiones antequam faciant judicium urinæ, contemplent regiones urinæ, quæ dividi debent in tres. Quemadmodum universum corpus humanum divisum est in tres magnas capacitates, scilicet in caput, thoracem, & infimum ventrem; ita verò tota urina contenta in matula dividitur in tres regiones, respondentes tribus iam prædictis corporis capacitatibus, videlicet in superficiem, in mediam, & in infimam, quæ demonstrantur in sequenti figura.

*** ***
***



AAAA asignant matulam, seu vas urinarium, in quo urina continetur. B, indicat superficiem, seu supremam regionem urinæ, quæ nubs appellatur, ex cuius constitutione deprehenduntur cerebri affectiones. C, asignat mediam regionem quæ, suspensum, seu œneorema nominatur, cuius constitutio, ut plurimum ostendit vitia partium, quæ in thorace continentur. D, indicat infimam regionem, quæ subsidentia, sedimentum, seu hypostasis vocatur, ex cuius consistentia, & forma conmostrantur morbi partium nutritioni corporis servientium, quæ in infimo ventre continentur.

Por-

Porrò etiam à Medicis contemplari debet ad rectum iudicium, an urina sit viri, aut mulieris: Si urina sit viri noscitur in eo quod eius color semper extenditur ad aureum; substantia est purior, ac tenuior, & sedimentum levius conspicitur, quam mulieris. Urina mulieris in colore est palidior, quam urina viri, substantia eius est paulò crasior, & turbidior, quia mulieres magis abundant humoribus excrementitijs, quam viri; sedimentum verò copiusius, & albidius, conspicitur, quam in viro.

Quia mutatur urina per ætates, licet demonstrare, quæ necessaria sunt ad hoc, ut Practicantes per inspectionem urinæ agnoscant ætatem, cuius est talis urina, an sit infantis, pueri, &c. Verum per ætates mutatur urina colore, & substantia: nam quantum procedit ætas ad virilem ætatem, tantum intenditur urinæ color ab albo ad aureum, & diminuitur sedimentum, & quantũ procedit ætas à virili ætate, usque ad senectutem, tantum enim remittitur ab aureo colore, & ad albedinem tendit.

Urina infantium refert albedinem seri lactis propter obtusionem caloris nativi, & copiam humiditatis. Puerorum urina est subaurea, & turbida cum copioso sedimento. Urina juvenum, & ætate florentium est flava, instar auri purissimi, sedimentum est album leve, & æquale; quia in eis viget plurimus calor nativus. Senum urina est tenuis, & alba cum pauco sedimento propter imbecilitatem nativi caloris. Notare licet, quod prædictæ urinæ mutabilitates debent intelligi de tempore sanitatis.

Pro coronide huius capitis porrò animadvertere convenit mutationes urinæ, quæ fiunt iuxta temperamenta, & humores: mutatur verò urina secundum temperamenta, seu qualitates excedentes in corpore, sicuti, & secundum naturam humoris redundantis in corpore; & ideo immoderata humiditas, & pituita abundans in corpore obtundit calorem nativum, & idcircò eficit urinam tenuem, & crudam. Caliditas, & bilis redundantia reddit urinam tenuem, cuius color est croceus, seu flavus. Siccitas verò urinam extenuat, & inducit in ea colorem fulgentem, & aureum. Melancholia, quæ frigida, & sicca est, urinam facit tenuem, & albam, quæ si urinæ commixceatur, tunc eam tingit colore fusco, aut nigro.

CAPUT XXXV.

DE SIGNIS ASTROLOGICIS, quæ in medicina necessaria sunt ad perfectam crisis intelligentiam.

EVidentissimum est augeri, & diminui humores iuxta Lunæ motum, & mutationem, cum universalis experientia luculenter textetur: ergo nimirum asserere possum, quod ad morborum naturam, & eventus cognoscendos non parum Practicantibus prodest observatio motus, & mutationis Lunæ: igitur iuxta incrementum, & decrementum huius luminaris, ut clarissimè demonstratur in figura II. tabulæ IIII. non tantum in corporibus animantium, sed & in stirpibus, & arboribus augentur, & minuuntur humores, & iuxta qualitatem signorum in quibus progreditur Luna, & iuxta planetarum naturam, Lunam irradiantium, humores quoque alterantur, nemoque inficias ire potest, quamvis astronomiæ maximus sit adversarius.

Iam dixi in capite XV. pathologiæ, quod causa eficiens externa crisis est motus, & influxus bonus, vel malus Astrorum, sed præcipuè Lunæ, à qua morborum acutorum motus reguntur. Nam Ptholomeus causas dierum criticorum refert ad motum Lunæ: cum enim Luna sua insita virtute gubernet, ac moderetur in corporibus animantium; Sol verò suo calore spiritus vitales regat, in conjuntione, & oppositione, quadratoque aspectu horum duorum corporum cælestium variæ fiunt mutationes, & conturbationes humorum in nostris corporibus.

Ad rectam intelligentiam oportet scire signaturas, seu caracteres, è quibus Astronomi utuntur ad significandos aspectus, & signa cælestia. *Aspectus* sunt septem, videlicet coniunctio, dodectilus, sextilis, quadratum, trinus, Quincunx, & oppositio, & demonstrantur in figura I. tabulæ IIII. Primus aspectus vocatur *Coniunctio*, & est quando duo Planetæ sunt in eodem gradu, in eodem signo, & in ipsa parte Zodiaci. Secundus dicitur *Dodectilus*, & est dum duo Planetæ inter se distant triginta gradus, hoc est, distantiam unius signi. Tertius appellatur *Sextilis*, & est quando duo Planetæ sexaginta gradus distant inter se. Quartus nominatur *Quadratum*, & est, quando duo Planetæ distant inter se nonaginta gradus, videlicet distantiam quatuor signo-

norum. Quintus vocatur *Trinus*, & est dum Planetæ duo inter se distant centum & viginti gradus. Sextus appellatur *Quincunx*, & est, quando duo Planetæ inter se distant centum & quinquaginta gradus. Septimus nominatur *Oppositio*, & dicitur talis, quando Planetæ duo distant inter se centum & octoginta gradus; ut de Luna, & Sole clarissimè fit demonstratio in figura II. præscriptæ tabulæ.

Insuper animadvertere oportet signa Zodiaci esse duodecim, & eorum caracteres demonstratos esse in fig. I. tabulæ III. Primum signum vocatur *Aries* qui calidus, & siccus est. Secundum dicitur *Taurus*, qui est frigidus, & siccus. Tertium appellatur *Geminis*, qui calidus, & humidus est. Quartum vocatur *Cancer*, & est frigidus, & humidus. Quintum nominatur *Leo*, qui calidus, & siccus est. Sextum appellatur *Virgo*, quod signum est frigidum, & siccum. Septimum vocatur *Libra*, & istud signum est calidum, & humidum. Octavum dicitur *Scorpius*, qui est frigidus, & humidus. Nonum appellatur *Sagitarius*, qui calidus, & siccus est. Decimum nominatur *Capricornius*, qui est frigidus, & siccus. Undecimum dicitur *Aquarius*, cuius temperamentum est calidum, & humidum. Duodocimum signum vocatur *Piscis*, cuius temperies est frigida, & humida.

Præter dicta oportet in promptu habere, quod facultas expultrix non in omnibus diebus expellit, quæ sibi molesta sunt, sed certis quibusdam diebus frequentius, & facilius expellere solet; id verò à motu Lunæ pendet, quæ varijs suis aspectibus has mutationes solet eficere: quia Luna, ut iam assertum est, maximum habet dominium in hæc inferiora, & in eis facit mutationes præcipuè in coniunctionibus, oppositionibus, & quadraturis, in quibus etiam crises contingere solent.

Si Luna habet dominium in humidis corporibus, non mirum est, quod eandem potestatem habeat in humores nostri corporis, ut eos valeat commovere certis diebus, & inde crisim excitare; sed autem maximè præstare solet in suis aspectibus, ad quorum rationem numerantur dies critici; prius enim aspectus à coniunctione est sextilis, seu exagonus sinister, qui in quarto die contingit. Secundus quadratus, seu tetragonus sinister contingit in die septimo. Tertius trigonus sinister appellatus accidit in

die

die undecimo. Quartus, qui oppositus dicitur contingit in die decimoquarto. Quintus trigonus dexter in die decimoseptimo accidit. Sextus tetragonus, seu quadratus dexter contingit in die vigesimo, aut vigesimo primo, ut aliqui asserunt. Septimus sextilis, seu exagonus dexter contingit in die vigesimoquarto. Octavus in coniũctione fit in die vigesimoseptimo.

Insuper notare licet, quod motus dierum criticorum non tantum dependent ab aspectibus, quos Luna habet cum Sole, sed ab aspectibus quos Luna habet cum Signo Zodiaci, & loco Cœli, in quo erat in principio morbi, & sic si in septimo die morbi in quadrato aspectu Lunæ ad illum locum, & in decimo quarto est in oppositione, & sic de cæteris debet intelligi, ut demonstratur in figura II. tabulæ IIII. & in ista figura non solum demonstrantur aspectus, & Signa Cœlestia cum crisibus, diebus intercalaribus, & indicativis; verum etiam totus globus terræ illuminatus, & non illuminatus: Littera C. indicat centrum terræ. A. B. H. M. assignant totum globum terræ. Littera B. ostendit superficiem terræ, & B. C. demonstrant dimidium globum terræ luminatum. A. ostendit alteram dimidiam partem globi, qui tenebrosus est, quia non est illuminatus.

Notare oportet mensem per quem computatio dierum criticorum fieri debet: verum enim est, quod numerantur diversi menses, videlicet sinodicus, illuminationis, seu apparitionis, medicinalis, & periodicus: Mensis sinodicus est illud tempus, quod datur inter unã atque alteram coniunctionem Solis, & Lunæ, qui constat diebus 29. & horis 12. Mensis medicinalis, seu compositus est qui ex mense periodico, & ex mense illuminationis componitur. Mensis periodicus, seu peragrationis est illud tempus, quo Luna totum Zodiacum peragrat, & ab uno puncto solet reddire ad idem, & componitur ex diebus 27. & horis 8. & quamvis verissimum sit, quod Luna habet maximam vim ad dies criticos constituendos, & ad crisim excitandam, nihilominus asserere debeo Lunam solam non esse sufficientem; igitur etiam necessarius est concursus naturæ, tanquam causa interna eficiens, quia si foret sufficiens prædictus Planeta, tunc omnes crises evenirent in eodem dierum numero.

Ad clariorem intelligentiam animadvertere licet motum Lunæ nunc tardiorem, nunc velociorem esse, & prout velocior

est,

est, crisis citius contingit, prout verò tardior, crisis tardius apparet; atque adeo non potest assignari certus numerus horarum, in quo crisis contingat; sed lata determinatione annotandi sunt dies septimus, decimus quartus, & vigesimus primus dumtaxat; quæ criticorum computatio fieri debet ab ipsa hora in qua patiens cœpit ægrotare, ab illa enim hora ad similem sequentis diei computatur primus dies, & sic consequenter numerare debemus reliquos dies, ut certo totum tempus morbi ab hora decubitus dividi possit in dies intercalares, indicativos, & criticos.

Ex iam prædictis facile possunt Practicantes intelligere assignatam figuram; sed quia anxiè maximam claritatem amplector, sequentem animadversionem facio, ut amplius facilitetur: Si decubitus morbi fuerit dum Luna est in coniunctione in uno gradu Arietis, tunc dies intercalaris erit accedendo Luna ad gradum unum Tauri, & dum accedit ad unum gradum Geminis, erit dies indicativus, & accedendo ad unum gradum Cancri, tunc prima crisis contingit: Dum Luna accedit ad unum gradum Leonis, erit intercalaris dies; & accedendo ad unum gradum Virginis, erit indicativus dies; & dum accedit ad gradum primum Libræ, eveniet secunda crisis. Notandum est, quod si decubitus fuerit in secundo gradu Tauri, succedit dies intercalaris in secundo gradu Geminis, & indicativus in duobus gradibus Cancri, & prima crisis accidit in duobus gradibus Leonis; & sic de alijs intelligi debet.

SCHOLIA.

MUlta porrò omitto propter brevitatem huius operis; sed non omittere debeo brevissimam narrationem de eventibus morborum, iuxta Lunæ motum in duodecim signis Zodiaci; quia non parvæ utilitatis est iuxta mentem cordatorum medicorum cum; hac venia initium dabo per Signum Arietis.

Si quis ægrotare cœperit, Luna existente in Ariete, & aspiciente Solem, vel Martem ex opposito, vel quadrato aspectu, aut si fuerit Luna eisdem coniuncta, morbus erit in capite ex præternaturali calore ortus cum febre ardente, & inflammatione præcordiorum, vehementi siti, & mentis alienatione, ac nisi per venæ sectionem, & alia pharmaca convenientia causa morbi auferatur, morietur æger, quando Luna pervenerit ad quadratum, aut ad sig-

num

num oppositum. At si Luna Saturno sit iuncta, vel Saturnus intueatur eam opposito, vel quadrato aspectu causa morbi erit aut refrigeratio cerebri, aut crassorum frigidorumque humorum in capite collectio, quam comittatur capitis gravitas, catarrhus, tusses, febres lentæ, & sudores intempestivi, tunc imminet mortem ægrotantis.

Quicumque inciderit in morbum Luna Taurum peragrante, ut plurimum partes in collo contentæ huic afficiuntur, & si in morbi initio sit coniunctus Lunæ, vel eam aspiciat Mars quadrato, aut opposito aspectu, causa morbi erit sanguinis redundantia, & ebullitio, ex qua concitatur continua febris, corporis constipatio, & vigiliæ continuæ, cui nisi tempestivè ope medica occurratur, aut in quadrato oppositoSignoLunam benigni Planetæ feliciter intueantur, æger moritur ante oppositionem, aut novam coniunctionem Lunæ cum Sole.

Si æger decumbat Luna existente in Geminis, & ei sit coniuncta, vel eam feriat Mars aspectu opposito, aut quadrato, causa morbi erit effusio bilis rubræ, quam committatur febris tertiana, sitis vehemens, & vigiliæ; & si Luna non fuerit irradiata à benignis Planetis, cum pervenerit ad quadratum locum, aut oppositum eius loco in quo fuit in initio morbi, moritur æger.

Si quis Luna progrediente in Cancro in morbum inciderit, ei que adiunctus sit Mars, vel eam aspiciat ex opposito, aut quadrato, ostendit morbum ortum esse ex sanguinis ebullitione, assationeque, & ex effusione bilis flavæ, quam subsequuntur febris, & vomitus frequentes, & nisi in sequenti quadratura, aut oppositione, Luna illustretur à Planetis benignis, & removeatur causa morbi à certis præsidijs Medicis, necesse est ægrum sucumbere.

Si in principio morbi Luna obtineat signum Leonis, & Martem sibi habeat adiunctum, vel ex opposito, aut quadrato ea irradiata fuerit, origo morbi erit inflammatio sanguinis, & æger molestabitur febre continua, & periculosa, ciborum fastidio, & alvi fluxu; & si simul Lunæ iungatur, aut ei opponatur, tunc exardescunt cor, & jecur, et excitant cruciatus capitis, & in sequenti oppositione, aut quadratura si Luna à benignis Planetis destituatur, morietur ægrotus.

Si decumbat aliquis, vel incipiat ægrotare dum Luna est in Virgine, & Mars ei coniunctus, vel eam intueatur aspectu opposito, aut quadrato, tunc æger laborabit alvi fluxu, aut in-

intestinorum exulceratione, & appetentiam habebit enervatam; in opposito signo si Planetæ malitiosi aspexerint Lunam, eius vita periclitabitur; benignis autem Planetis eam intuentibus, tandem periclitatus liberabitur.

Ubi in signo Libræ Luna est constituta in ægritudinis principio, & Mars ei copuletur, aut ex opposito quadrato signo eam intuetur, tunc morbus habebit ortum ex sanguinis ebullitione, & molestabitur febre intensa, ac continua, adsuntque vigiliæ, & nisi sanguinis detractione, & applicatione convenienti medicamentorum causa morbi auferatur, moritur æger, ubi Luna pervenerit ad quadraturam, aut ad oppositum signum.

Quicumque inciderit in morbum progrediente Luna in Scorpio, si prædictis aspectibus Mars, aut Sol irradiet Lunam, causa morbi erit inflammatio humorum putridorum, seu febris putrida à vesicæ obstructione, aut calculo, evadet autem æger, nisi simul infausto intuitu Saturnus infundat suum virus in Lunam, ubi Luna pervenerit ad quadratum, vel oppositum signum.

Ubi Luna in principio morbi currit in Sagitario, si Mars coniunctus ei sit, aut quadrato, oppositoque aspectu, eam intueatur, morbus erit productus ex intemperie calida aeris, aut balnei, aut ex crapula, cui accedit dolor capitis, totiusque corporis, & æger infestabitur vomitu, & fluxu ventris.

Quando Luna in principio morbi occupaverit Capricornum, & ei coniunctus sit Mars, vel eam aspexerit ex opposito, aut quadrato, tunc æger laborabit cruditate ventriculi, & vomitione porraceæ bilis, cui accedit febris ardens, & in quadratura, aut oppositione fit morbi mutatio iuxta naturam Planetarum, qui tunc aspiciunt Lunam, qui si benigni sunt, in bonum mutatur; si verò maligni, in malum.

Si in morbi initio Luna sit collocata in Aquario, & Mars infeliciter feriat eam radijs suis, æger laborabit icteritia, aut scorbuto, tibiarumque calidis humoribus; si verò benigni Planetæ Lunam aspexerint, ubi ea progressa est ad signum oppositum, liberabitur æger.

Si Luna fuerit in Piscibus in principio morbi, & infeliciter Mars eam intueatur, ducit morbus originem ex ebullitione sanguinis, & flavæ bilis, cuius primitiva causa erit belluatio, & crapula; flagra-

bit æger, & infestabitur vigilijs, atque siti; tunc enim moritur æger ubi Luna attingit signum oppositum, nisi circumsepta fuerit à benignis Planetis. Quia non est nostri intenti scribere integram notitiam astronomiæ, satis est iam, ut minime latrent calumniatores contra Scriptores huius sæculi, qui nunquam renuunt astronomiam, sed potius asserunt eam semper medicinæ sociam esse.

CAPUT XXXVI.

DE SIGNIS AD PRÆSAgienda loca, per quæ futura est crisis per excretionem, & per abscessum.

UT Practicantes minimè terrorem concipiant ex varijs simpthomatibus, quæ superveniunt, dum crisis ventura est prius supponendum est, quod totum corpus turbatur ex pugna, & duello inter naturam, & morbum, ad hoc ut natura morbum superet, vel morbus naturam. Crisis ergo fit per excretionem, aut per abscessum; has autem excretiones, & abscessus præcedit non exigua perturbatio in corpore ægroti, videlicet difficultas respirandi, vigiliæ, deliria, & dolores in capite, in alijsque partibus accidunt, quæ simpthomata magnum metum adstantibus incutiunt, dum periculo vacant, si antecedunt ad crisim perfectam salutarem, quæ ventura est, & ideo Magister Galenus in lib. 3. prognost. docet istam animadversionem: *Quando aliquod apparet signum terrificum, non solum non terrebis, sed iudicationem monstrare iudicabis.*

Porrò natura crises, per excretionem facere solet per sudorem, per hemorragiam, per vomitum, per alvi fluxum, per urinam, per hemorroides, & per mensium perruptionem: & circa cognitionem cuiuslibet crisis venturæ ex iam asignatis enodabo ea per quæ significantur.

Significat sudorem venturum suppresio, seu diminutio urinæ, ut Galenus in lib. 3. de Crisi. docuit per ista verba: *Præcedere pro sudore suppresionem urinæ*; rigor, qui demonstrat mordaces vapores, ferri per partes sentientes, & idcirco ab omnibus Patribus medicinæ laudantur omnes sudores, qui sequuntur rigores; quod febris procedat ab humore tenui, & calido, ut febris ardens; ob id Magister Galenus in lib. citato, ita loquitur: *Quæ enim febris pendet ex materia evaporabili aptius sudore terminatur.* Delirium in accessionibus, hoc est

est in statu universali, quod fit ex materia calida, & vaporosa, quæ elevatur; partes extremæ corporis sunt calidæ, & rubicundæ; pulsus molis, & undosus: Constitutio temporis anni calida, & humida, ut acuratè notavit Hyp. in lib. 3. Aphor. sequenti sententia: *Quando æstas veri similis est, sudores in febribus multos expectare oportet.*

Crisim venturam per hemorragiam; seu per fluxum sanguinis narium, significant insomnia, & imagines rerum rubrarum, ut Galenus observavit in illo juvene Romano, cuius historiam refert in lib. de Prenot, vehemens dolor capitis, & cervicis, & rubedo faciei, & oculorum; evidentissimè animadversit Hypoc. in lib. de Coacis, ubi sic fatur: *Febrientibus, quibus rubores sunt in facie, & dolor capitis fortis: & veneram pulsus, his sanguinis fluxio plerumque contingit.* Lachrimæ involuntariæ, pruritus narium dum evacuatio iam approximatur, difficultas spirandi, tensio hipochondriorum sine dolore; tintinus aurium, etiamque surditas, ut ipse Hypocrates in sequenti Aphor. lib. 4 prædixit: *Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata, solvit morbum.* Et stilæ sanguinis in die indicativo apparentes. Notare oportet, quod si dextrum hypochondrium fuerit tensum sine dolore, & cum aliqua pulsatione, ostendit quod sanguis fluet ex dextra nare; & si prædicta observentur in sinistro hypochondrio, tunc ex nare sinistra fluet, ut Magnus Galenus, prædixit in illo juvene Romano.

Significant crisim venturam per vomitum dolor capitis in eius parte anteriore, rigor, morsus oris ventriculi, tremor labri inferioris, sputationes frequentes, nauxeæ, vertigines tenebricosæ, & si aliquid biberit æger, aut comederit circa hoc tempus, non solum nauxeant, sed etiam omnia assumpta evomunt. Licet animadvertere, quod aliquoties post vomitum criticum subsequi solet alvi fluxus, quia per inferiorem ventrem natura propellit reliquias materiæ morbosæ.

Crisim venturam per alvi fluxum ostendunt supresio, aut diminutio urinæ, lumborum dolor, ventris intumescentia, ructus ventris, & hipochondriorum; ob idque scripsit Hypoc. sequentem animadversionem, in lib. de Coacis: *Quibus verò ructus adsunt, & flatus strepitus, ac elevationes ventris, his fit alvi turbatio.* Et quod in

die indicativo appareant aliquæ deiectiones materiæ morbificæ.

Quæ significant venturam crisim per urinas sunt tempus hyemale, & autumnale circa finem, quia tunc corpus minus transpirabile est ob densitatem cutis, multoque minus ad sudandum; rigor, ventris adstrictio, ardor, aut pruritus in extremitate pudendarum partium; & quod in die indicativo appareat copiosior excretio urinæ, quam in alijs diebus præcedentibus.

Crisim venturam per fluxum sanguinis hemorroidalis ostendunt rigor, dolor gravativus in regione lumborum, & in eadem ardor; etiam apparet molestia in ore ventriculi, & ex regione lumborum extenditur dolor usque ad extremitatem intestini recti; simulque afsiduus tenesmus affligit. Cum prædictis signis significatur crisis, quæ ventura est per sanguinem menstrualem, si eis adiungitur dolor, & tensio in ima parte ventris; taliter, ut mulieri videatur ex regione lumborum dolor extendi ad pectem. Notare licet, quod etiam in die indicativo apparet aliqua excretio sanguinis per anum, quando erit ventura crisis per fluxum sanguinis hemorroidalis; & dum expellitur per uterum, tunc expectabitur crisis per uterum.

Quæ significant morbum terminari per abscessum, sunt urinæ crudæ, & tenues, quod simpthomata morbi non sint læthalia, tempus hyemale; & ideo Magnus Hypoc. in lib. prognost. ita loquitur: *Hyeme abscessus frequentius contingunt, tardius cessant, & minus recurrunt.* Regio frigida, & humida; morbus acutus diuturnus, hoc est, acutus non simpliciter, & acutus ex decidentia, succi redundantes, multi, crafsi, & crudi. Ista signa sunt generalia; & ideo afsignare debeo alia, quæ ostendunt partes in quibus fieri debent abscessus secundum cavitatem, in qua morbus residet: Si in cavitate animali per parotides infra aures; si in thoracis cavitate per bubones in axilis, si in abdominis cavitate in inginibus. Animadvertere oportet abscessum criticum non solum fieri in prædictis partibus, verum etiam in brachijs, in manibus, in pedibus, & in tibijs, &c. ut aliquoties observavi, sed porrò est melior, & magis secura crisis per abscessum, si iste fiat in partibus inferioribus, & à parte affecta distantibus, nisi adsit dispositio, ut in illa parte introducatur gangrena.

Si futura est crisis per parotides,

rides, eam prænuntiant repentina difficultas respirandi, & ea remitente subsequitur dolor, & gravitas capitis, surditas, somnus gravis, & pedum frigiditas, quæ in die indicativo apparet, cum maiori intensione; tamenque manifestatur aliqua elevatio in glandula, quæ parotis vocatur, in prædicto die indicativo.

Abscessum fieri in axila significant continua difficultas respirandi, quæ non remititur, donec appareat bubon, dolor gravitativus, aut tensivus in axila, ubi veniet abscessus; etiamque adest pedum frigiditas. Notatur, quod morbi pectoris aliquando terminari possunt per parotides, ut iam vidi in quodam pleuritico, dum Medicus eram Villæ Metinæ Dueli, & Magister Hyp. etiam animadversit in lib. Coacarum per hæc verba: *Quibuscumque ex inflammato pulmone abscessus circa aures fiunt, & suppurantur, hi superstites evadunt.*

Si abscessus in inginibus aut in alijs partibus inferioribus venturus erit, ostenditur per hæc signa, videlicet dolor cum gravitate, aut tensione in ingine, aut apparet inflammatio cum duritie; urina cruda, & tenuis adest, & alia signa salutaria, ut Magnus Hypoc. in lib. prognost. ita notavit: *Qui urinam tenuem, & crudam diu reddunt, & reliqua signa salutaria sunt, his abscessus in locis septo transverso subiectis expectandus est.* Calor magnus in pedibus apparet, quem calorem ipse Hypoc. in lib. de Humoribus animadversit: *Pedes calidi infernè fieri maximè abscessus significant; frigidi supernè.* Licet notare, quod si motus morbi fuerit satis velox maxima ex parte abscessus fit infra aures, aut in axilis; sed si eius motus tam velox non fuerit, ut plurimum fit in ingene, aut in alia parte inferiore.

CAPUT XXXVII.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS rigoris, horroris, oscitationis pandiculationis, & refrigerationis.

UT exactè Practicantes valeant prædicere circa rigorem, debent scire, quod rigor triplex est, scilicet: criticus, simpthomaticus, & periodicus. *Rigor criticus* est ille, qui præcedentibus coctionis signis, non solum mitigat accidentia; sed etiam febrem solvit, dum rigorem sequitur vomitus, alvi fluxus, sudor, vel aliqua alia evacuatio; & non solum subsequi solet una evacuatio, sed simul duæ, aut tres, ut

ut Magister Galenus docuit in lib. 4. de Victus ratione per hæc verba: *Rigorem autem hunc de necessitate sequitur interdum quidem sudor solus, interdum verò, & biliosorum vomitus solus, atque interdum deiectio sola; sed plerumque ex dictis tribus duæ fiunt, & quandoque tres.* Notare oportet, quod rigorem criticum necessariò non debet sequi sensibilis evacuatio, igitur aliquoties contingit febrem solvi, & simpthomata auferri cum insensibiliter per cutis poros evacuatur morbosa causa.

Simpthomaticus rigor, seu malus, est ille, qui sequitur alios morbos, in quibus vires maximè languent, & natura summé debilis est; ut experitur in repentinis, & copiosis evacuationibus, & ideo in vomitibus in quibus sincerus humor biliosus depravatus excernitur superveniens rigor, mortem significat. Animadvertitur, quod rigor simpthomaticus in febribus significat transmutationem, seu raptum humoris ad caput, vel ad aliam partem, quæ à morbo supperatur, ut apparet in pleuritide, dũ fit translatio causæ ad pulmonem, & sequitur peripneumonia, vel ad caput; quia præcedente rigore, subsequitur delirium. Verum etiam talis rigor aliquoties prædicit suppurationem internam, ut observatur in pleuritide non repurgata; igitur rigore superveniente, statim incipit suppuratio flegmonis in musculis, & in pleura.

Rigor periodicus est, qui per periodos movetur, ut observatur in febribus tertianis, tam simplicibus, quam duplicibus, in quibus ægri veniunt ad integram infebricitationem; & idcirco Magnus Hypoc. scripsit in lib. 4. Aphoris. 63. *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur.*

Circa rigorem restat scire ad bene præsagiendum, quod si in sexta die morbi superveniat rigor, semper est suspectus, quia febres maxima cum difficultate solvuntur, ut Hypoc. docuit in Aphor. 29. lib. citati: *Quibus febricitantibus sexto die rigores fiunt, dificile iudicium sequitur*: Etiam ignorare non licet rigorem læthalem esse, sive superveniat in die pari, sive in die impari, viribus iam existentibus nimis languidis, & ideo in lib. 4. Aphor. scripsit Hypoc. hanc sententiam: *Si rigor incidat in febre non intermittente, ægro iam debili, læthale est.*

Veniamus iam ad horrorem, quem considerare debemus tam in sanis quam in ægris corporibus; in sanis si frequen-

ter invadat, significat adesse cruditates, aut redundare cacochimiam, quæ nisi expurgetur, prædicit ægrotaturum.

Frequentes horrores, in continuis febribus supervenientes, significant suppurationem internam; qui quidem horrores fiunt ex abscessu latente. Notare oportet, quod non semper tales horrores fiunt à suppuratione, sed porrò aliquando etiam à magna cacochimia humorum, ut videtur in febribus putridis, aut simul malignis, in quibus horrores frequentes contingere solent. Memor esto Hypocratem scripsisse in lib. 7. hunc Aphorismum: *A sudore horror non bonum.* Quia significat intra corpus relinqui post sudorem aliquem humorem crassum, & irritativum, qui non potuit evacuari; talisque humor ostendit recidivam, vel grave periculum, si pravus fuerit, & ægroti vires non sint constantes.

Oscitatio, & pandiculatio frequenter solent esse vaticinium accessionis febris tertianæ; sed non cuiuslibet tertianæ; igitur tantum in tertianis notis, & in quibus experiuntur paucissimæ horæ intermissionis, quæ proximæ sunt ad hoc, ut fiant subintrantes, seu continuè remittentes.

Refrigeratio dupliciter considerari debet, una vocatur simplex, quæ caret periculo, & solet apparere in principio invasionum accessionum febrium intermitentium, ut accidit in quotidiana febre, & in tertiana nota. Prava refrigeratio est, quæ rigorem sequitur, quæ mortem significat, nisi corpus incalescat: & ideo Sanctorius in Aphor. 116. sect. 1. animadversit ita: *Extrema frigida in acuta febre, nisi incalescunt, læthalia ob adiapneustiam.*

Læthalis est etiam refrigeratio, quæ in febribus malignis apparet, si committatur parvitas, & debilitas pulsus, & idcircò Galen. in lib. 7. Aphor. fecit hanc animadversionem: *In acutis extremorum frigus non esse mediocre malum, sed causam satis exitialem.* Ultimo oportet notare, quod extremorum refrigeratio apparens in inflammatione interna prædicit ægrũ fieri lipiricum, vel gangrenam sequi partem inflammatam, & ad istam mors.

CAPUT XXXVIII.

DE SIGNIS AD PRÆSAgiendum futurum delirium.

FUturum delirium ostendunt vigiliæ immodicæ; & ideo Hypocrates in lib. prognost.

nost. scripsit sequentem animadversionem: *Pessimum est, neque nocte, neque die dormire; quia aut dolore, aut labore vigilabit, aut delirium succedet huic signo.* Etiam repentina mutatio urinæ crassæ in tenuem, seu aquosam; non minus futurum delirium significat rubedo oculorum, quia est index inflammationis cerebri, & eius membranarum, ut Magister Galenus in lib. 7. Aphor. ita fatur: *Rubor verò oculorum utramque sequitur dispositionem, sed illam præcipuè, quæ in cerebro existit similis inflammationi.* Adquam necessario delirium sequitur.

Indicat delirium futurum surditas cum virium constantia; dico cum virium constantia, quia si adest ruina virium vitalium, potius mortem, quam delirium Medicus prædicere debet, ut Doctissimus Vallesius notavit in lib. 3. epidem. per hæc verba: *Certè surditas constante facultate significat phrenitidem imminere, debilitata mortem.*

Verumtamen motus convulsivi, seu tremores sunt signa futuri delirij, præcipuè si in ustivis febribus appareant, de quibus memoriam fecit Hypoc. in sequenti Aphor. lib. 6. *Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solvuntur.* Exemplum habemus in illa muliere morosa; igitur ipse Hypoc. in lib. 3. epidem. in sect. 3. narrans eius historiam loquitur ita: *Manè convulsiones multæ, cum autem intermisissent convulsiones illæ multæ, deliravit, turpia loquebatur.*

Frequens motus oculorum tanquam tremulus prædicit delirium futurum, quia significat membranas cerebri affectas esse motibus convulsibis; ideoque Practicantes sine mora prædicere possunt iam delirium approximatum esse, si æger febre acuta biliosaque corripiatur. Linguæ tremor tamen est signum futuri delirij, ut observavi in aliquibus ægrotis; & si tremor linguæ fuerit maximus, & subsequente delirio perseveret, significat ægrotantis mortem, ut iam vidi dum eram Medicus Villæ Metinæ Dueli, in quodam Mercatore, qui vocabatur Nicolaus Perez, & contra votum duorum Medicorum mortem prædixi ratione tremoris linguæ perseverantis post delirium; obitque æger in die decimoquarto.

)(§)( )(§)(
)(§)(

CAPUT XXXIX.

DE PROGNOSTICIS SIGNIS futuræ recidivæ.

IMperfecta iudicatio morbi est fundamentum ad prænuntiandam recidivam, ut Hypoc. docet in sequenti Aphor. lib. 2. *Quæ relinquuntur in morbis, post iudicationem, recidivas facere consueverunt.* Ratio est, quia si perfectè morbus non sit iudicatus, necessum est adesse dispositionem ad morbum in aliquo humore, vel in aliquo viscere; ideoque Magister meus Galenus in lib. 6. epidem. Clarissimè docet hoc modo: *Mala qualitas, seu vitium relictum in aliquo viscere, vel in parte ipsa ante affecta, facit reverti morbum.*

Signa, quæ ostendunt tale fundamentum, seu dispositionem, partim desumuntur ex sequenti sententia Hypoc. quam in lib. 7. epidem. scripsit: *Sitis intus relicta, & oris exicatio, & insuavitas, & inapetentia.* Est signum recidivæ *sitis*, quia indicat intemperiem calidam, & siccam ventriculi; vel flavam bilem, aut aliam speciem bilis præternaturalis in ventriculo redundantis.

Exicatio oris ostendit futuram recidivam, igitur significat adesse discrasiam calidam, & dispositionem inflammatoriam. *Insuavitas* significat recidivam, quæ insuavitas cognoscitur ex diversis saporibus, & ideo amaritudo oris ostendit redundare in ventriculo bilem, propterquid Galenus in lib. 4. de Vict. ratione dixit: *Bilis amaritudo amarum os reddit, una enim, & communis tunica est, & quæ ventri interna est.* Notare oportet, quod amaritudo oris, & sitis, ut plurimum sunt soboles ad prædicendam recidivam propter reliquias bilis remanentis intra ventriculum, vel circa eum, quod animadversit Hieronymus Mercurialis in coment. l. 2. Aphor. per hæc verba: *Cum bilis circa ventriculum redundat, siti cognoscitur, atque oris amarore.* Tamen sapor acidus indicat remanere reliquias pituitæ acidæ, sicut salsus pituitæ salsæ, &c.

Inapetentia est signum inter omnes valdè præsagiens recidivam; & ideo stote prudentes in promittendo securitatem, quamvis videatis alia bona signa, nisi ęger appetat cibum; quia in morbis acutis semper timenda est inapetentia; igitur significat mortem, ut quotidie observamus in Praxi, & Hypoc. observavit in quàm plurimis ægrotis epidemiar. ut in filia Eurianactis, quæ non substine-

bat gustare cibum; in Hermocrate, qui perpetuò cibum aborrebat, & in alijs.

Alia signa dantur ex quibus ostenditur dispositio ad futuram recidivam, & sunt tristitia, non roboratio corporis à cibo, immoderata appetentia cibi; somnus turbulentus; vigilia immodica; spontaneæ lassitudines; rigor à quo non sequitur evacuatio; color linguæ, & eius lentor, seu viscositas, urinæ intermittentia, ultimumque signum est alvus. *Tristitia* prædicit recidivam, igitur economia animalis perturbatur, quia spiritus debiliter moventur in cerebro, & in nervis.

Non roboratio corporis à cibo ostendit futuram recidivam, dummodo cibus accipiatur cum mensura, quia indicat adesse in corpore reliquias materiæ morbificæ. *Immoderata appetentia cibi* est signum futuræ recidivæ, quia præter naturam est, ostendit ventriculum affici à reliquijs alicuius humoris mordacis, undè excitatur fames, ratione cuius ægroti, dum iam apparenter convalescunt, sese implent maiori copia cibi, quam ventriculus coquere valet, & ideo Hypoc. magis laudat inapetentiam in convalescente, quam immoderatam appetentiam.

Somnus turbulentus, & vigilia immodica valent prædicere recidivam, quia nullo modo turbatur somnus, nec vigilia excedit post morbi iudicationem, nisi remaneat aliquo dresiduum morbosæ causæ. *Spontaneæ lassitudines* etiam significant recidivam, quia, cum nascantur ab interna causa, indicant adhuc permanere in corpore partem morbificæ causæ; & si fuerit in febre acuta, & maligna, quamvis videatur iam pervenisse ad declinationem, nihilominus semper timendæ sunt tales lassitudines; igitur recidiva ut plurimum solet esse nimis periculosa, quia febri associatur delirium, aut lethargus, vel aliud simpthoma gravissimum capitis, propter imbecilitatem animalis facultatis, quam prædictæ spontaneæ lassitudines demonstrant.

Rigor à quo non sequitur evacuatio solet esse nuntius, ut Practicantes possint præsagire recidivam; & quamvis aliquando ægroti non recidivant nulla evacuatione sensibili superveniente, tandem multoties subsequitur recidiva, dum remanent reliquiæ materiæ crassæ, quæ debet evacuari per vias aptas: ex hoc infertur ægros non recidivare, quamvis nulla sensibilis evacuatio fiat, si corripi-

tur causo exquisito, quia tunc producitur à bile nimis tenui, & recalescente facile resolvitur integré per insensibilem transpirationem; & ideo doctissimè scripsit Hypoc. in lib. 4. sequentem Aphor. *Febre ardente laboranti, rigore superveniente, solutio fit.*

Color linguæ, & eius lentor, seu viscositas sunt signa ex quibus evidentius præsagire possumus recidivam: Si color linguæ ad naturalem statum non fuerit redactus post iudicationem morbi, color permanens, quia præternaturalis est, ostendit naturam reliquiarum materiæ humoralis, quæ recidivam facient; & idcirco ad demonstrandam exuberantiam succorum dominantium per colorem linguæ Magister Galenus in comment. lib. 6. epidem. scripsit verba sequentia: *Verum quemadmodum palidæ linguæ à palida bile, atræ ab atra, rubræ à sanguine, sic à pituita albidæ tinguntur.* Et parum infra ad intentum prosequitur ita: *In universum igitur dicendum est, quodlibet ex narratis de linguæ signis, aut febrem per urentem adesse, aut humorem à quo fit abundare, sive eum in ventriculo contineri declarare. Lentor, seu viscositas linguæ* etiam præsagit recidivam, quia ostendit adesse in sanguine, vel in ventriculo, & in alijs partibus primæ regionis reliquias humoris viscidi, & mucosi; unde infertur, quod Practicantes sint valdè cauti, quia si præsagant ægrotos tutos, & liberos esse, dum vident non febricitare, non sitire, dormitè, moderaté cibum appetere, sed linguam palidam, albidam, viscidam, &c. permanere, non parum honoris perdunt, dum adstantes experiuntur prognosis falsitatem; igitur aliqui ex ægrotis repentè moriuntur, & reliqui exiciosè recidivant cum maximo periculo vitæ.

Urinæ intermittentia tamen indicat recidivam, si appareat post iudicationem, quia demonstrat permanere riliquias morbosas, quæ adhuc à natura non fuerunt coctæ. *Alvus* est ultimum signum ad præsagiendam recidivam in febribus acutis, si durus, tensus, & dolens percipiatur, quia tunc indicat in ipso relictam esse materiam, quæ facit recidivare. Notare licet, quod si non remaneant reliquiæ, & tantum post crisim subsistat intemperies alicuius visceris, satis est ut recidiva sequatur; igitur semper producit succum augentem cacochimiam.



TRACTATUS QUARTUS.

DE HYGIENA.

CAPUT I.

UBI ENODATUR QUID, ET quotuplex sit Hygiena.



IN exordio huius Libri cum Medicina fuit definita, memor dixisse finem eius esse: *Ut sanitas præsens conservetur, & amissa recuperetur.* Hoc supposito dico therapeuticam habere duas partes iuxta mentem mei Magistri Galeni: Prima verò pars therapeuticæ vocatur Hygiena, quæ idem est ac dieta, videlicet vivendi regula, seu ratio, qua in sanitate corpus conservatur per debitam administrationem necessariarum in primis, tandemque non necessariarum.

Ista prima pars therapeuticæ, non solum conservat corporis sanitatem, verum etiam per se medetur morbos sine reliquis partibus therapeuticæ; sed nunquam sine Hygiena therapeutica ullos morbos curare potest: & idcirco prædictus Magister in Lib. 1. prorrheticorum, ita animadversit: *Verum plus ad curationem totam dietam valere, quam pharmaca ipsa.*

Porrò docet Hygiena omnes res occasionales, quæ sunt tres; primæ dicuntur necessariæ, & sunt res non naturales. Secundæ vocantur non necessariæ, seu fortuitò contingentes, quæ ita appellentur; quia simpliciter non sunt necessariæ ad componendam essentiam corporis viventis, nec ad tuendam sanitatem; sed tan-

tantùm fortuitò contingentes possunt conducere, vel nocere pro vario earum usu, vel abusu, ut balnea cuiuscumque conditionis sint, sive naturalia, sive artificialia, ambulatio, saltus, cursus, equitatio, vociferatio, &c.

Dieta, seu Hygiena dupliciter considerari debet, videlicet generalis, & particularis. Generalis dicitur illa, quæ docet generalia præcepta ad sanitatem corporis humani conservandam. Particularis, seu specialis est, quæ tradit particulares regulas ad conservandum in specie corpus humanum, hoc est, in sua sanitate.

CAPUT II.

DE REBUS NON NATURAlibus in genere.

RES non naturales sunt res necessariæ ad valetudinem conservandam, sed male adhibitæ illam lædunt. Dicuntur non naturales, quia ex sua natura non componunt naturale corpus; neque sunt præternaturales; igitur ex earum natura sunt causæ morborum, & ideo appellantur res neutræ, seu mediæ, & indifferentes, tam ad tuendam sanitatem, quam ad producendum morbum, secundum earum usum moderatum; vel immoderatum.

Sex sunt res non naturales, videlicet: *Aer ambiens*; *cibus*, & *potus*; *somnus*, & *vigiliæ*; *motus*, & *quies*; *excreta*, & *retenta*; & *animi pathemata*, seu *affectiones*.

Porrò necessitas rerum non naturalium; non est secundum earum individua, aut species, sed secundum genera, sic cibus in genere est necessarius, sed non præcisè, quod sit talis, vel talis: Verumtamen semper in eis debet observari bona proportio, bonus ususque; igitur pro ut benè, vel malè adhibentur in nostris corporibus; benè, vel malè faciunt: ergo rite assignatum est, quod tales res necessariæ sint mediæ quodam modo inter res secundum naturam, & res contra naturam.

CAPUT III.

DE SANITATE CONSERvanda in genere, & in specie.

PRius oportet scire, quid sit sanitas, quæ est *naturalis constitutio omnium partium corporis, ut ex ea proveniant omnes actiones incolumes primò, & evidentèr.* Ergo sanitas est æqualitas dispositionis corporis

ris humani, quoad legitimam temperiem, bonam conformationem, decentem unitatem, & integras actiones, quæ dependet ex bonitate naturæ, hoc est, ex actione consona: circa istud intentum memor scripsisse Hypocratem sequentia verba; tum in lib. de Natura humana, ubi ita fatur: *Sanus itaque maximè est, ubi temperamentum hæc inter se habuerint moderatum, tum facultate; tum copia.* Tum in lib. 3. de Victus ratione ubi dicit: *Ex mutua verò inter se æqualitate sanitas adest; ad hæc ostendam, quænam jis contingant, qui sibi benè valere videntur, & cibis ac laboribus fruuntur jucundè, &c.*

Hoc supposito accedamus iam ad modum conservandi sanitatem, tam in genere, quam in specie: in genere sanitas conservatur exactè per debitam administrationem, & usum rerum occasionalium. Sanitas conservatur in specie capiendo fundamentum à fœtibus, in utero clausis, qui conservari debent, matres præstando quædam, quædamque fugiendo. Verū præstanda est omnium rerum non naturalium moderata administratio, nisi quod in ultimo mense gestationis posit motus esse fortior, ut eo magis disponatur fœtus ad expulsionem; somnus excedat vigilias respectivè; usus venereorum sit rarus; circa finem mensis noni uti possunt balneo ad partes genitales laxandas; medicamenta confortantia fœtus semper adhibeantur cum moderatione; semper in toto tempore gestationis fugiant matres ab omnibus rebus, quæ contrariæ sunt iam dictis.

Sani conservantur Infantes, si statim post partum blandè excernantur impuritates, quæ toto tempore gestationis fuerint congestæ; nutricem habeant matrem propriam, nisi ista fortuitò sit debilis, vel morbis proclivis, etiam nutriri debent lacte ultra annum, & pulmento lacteo substituatur: Verum est quod ob tormina, quod pulmentum in ventre scitare solet, & obstructiones, quas procreare solet, fugiendum est, quantum fieri potest. Caro loco cibi, quando lactea præbentur reijci debet; victus sit humidus; balneum rarentèr uti debet; vinum nullum propinetur, ob metum coagulationis lactis. Pueri conservantur ita; aer sit temperatè siccus, cibi sint validioris substantiæ, somnus sensim brevior; venere, & animi affectionibus integrè abstinere debent.

Conservari debent puberes hoc modo: toto vitæ decursu assuesc-

assuescant sensim communibus cibis; exercitium sit moderatum; nulla venere utantur; inspirari debent aere subtili, & puro; nullo modo se exerceant intempestivis studijs, præcipuè post prandium, & cœnam ad prohibendam generationem cruditatum in ventriculo, & ne animales spiritus enerventur. Conservatio adolescentum consistit in eo, quod cibus sit solidior, & euchimus; Venus non sit excessiva; in studijs, & alijs applicationibus serijs quies aliquoties interpoletur; aërque sit temperatus.

Iuvenes conservari debent sequenti modo; cibus calefaciens fugiendus; potus generosus non sit; vigiliæ sint moderatæ; aër debet esse humidus, & moderatè frigidus; excreta erunt biliosa; & semper fugiant ab ira, & ab alijs animi pathematibus corpus calefacientibus, & exicantibus.

Viri conservantur cibo humido, & calido, aëreque eiusdem temperiei; somnus excedens vigilijs; evacuationes nullo modo retineantur; utantur venere, si sit licita, aliquid amplius repetita, quam in iuvenibus; fugiant à timore, tristitia, alijsque affectionibus eiusdem ordinis. Conservatio senum consistit in eo, quod præcaveantur ab excedenti frigiditate, & siccitate per usum alimentorum calidorum, & humidorum; debent uti vino bonæ substantiæ, & sit facilè penetrans; sed accipiant in quantitate moderata; vigiliæ corrigi debent lotionibus pedum, factis cum æquali parte aquæ, & vini albi in quibus decoquerint absinthium, mentha, pulegium, flores roris marini, &c. Excrementa quotidie deponi debent magna cura ad prohibendam capitis perturbationem.

SCHOLIA.

PArvi momenti non est, ut Practicantes in promptu habeant modum, quo sanus conservetur homo, qui comuniter vocatur intemperatus, qui declinans appellatur, & quis convalescens dicitur; & ut clarior fiat intelligentia, prius oportet docere definitiones intemperati hominis, declinantis, convalescentisque.

INTEMPERATUS, est qui, carens exactissima sanitate, sat commodè actiones vitales exercet.

DECLINANS, est ille qui ab statu sano vergit ad morbosum.

CONVALESCENS est, qui à morbo se recedit, & ad pristinum gradum sanitatis accedit.

In-

Intemperatus conservatur, & simul emendatur, considerando an sit calidus, & siccus; an calidus, & humidus; an frigidus, & siccus, an vero frigidus, & humidus. Si intemperatus fuerit calidus, & siccus, uti debet alimentis frigidis, & humidis; fugiat calidos, & siccos, & aerem æstuantem, tamen fugiat vigilias excedentes, & iram. Si fuerit calidus, & humidus, sed moderatè, talis conservabitur adhibendo omnia moderatè frigida, & sicca ad prohibendum, ne incidat in morbos putridos. Si fuerit frigidus, & siccus conservatur utendo alimentis calidis, & humidis, balneo aquæ dulcis, frictionibus multis, sed moderatis, & longiori somno indulgeat. Si frigidus, & humidus fuerit, conservari, & emendari debet calidis, & siccis alimentis, & evacuabitur purganti flegmagogo, corpusque utatur longo exercitio, vehementique frictione.

Declinans servatur, ne in morbum incidat, igitur existit in neutra decidentia, corrigendo pletoram, vel cacochimiam irrepentem; & ideo quietem, & abstinentiam debet observare; & Medici venæ sectionem, aut expurgationem conmendare possunt ad minuendam pletoram, & cacochimiam. Convalescens omni cura oportet servari à recidiva morbi, & tantum reduci ad pristinum gradum sanitatis; & ideo reliquiæ manentes post crisem evacuantur per epicrasim: posteaque corpus nutriatur iuxta mentem Hypocratis, sensim vero, si sensim corpus stenuatum fuerit, adhibendo illa, quæ opponuntur dispositionibus morbosis, & simul tollunt debilitatem.

CAPUT IV.

DE AERE, ET DE EIUS differentijs, mutationibusque; cum Aphorismis Sanctorij, qui in sectione secunda continentur.

AEr res non naturalis nostrum corpus vivens tripliciter afficit, videlicet, ut continuò ambiens, ut se insinuans inspirando, & ut mixtus est salivæ, & alimentis. Et ut clarius posit intelligi assero, quod consideramus aerem non per se solum, & simplicem; sed prout nostrum corpus ambit, hoc est, prout habet varia corpuscula sibi admixta, cum quibus potest afficere. Generalitèr autem nostrum corpus afficit vel extrinsecè, vel intrinsecè; afficit extrinsecè se insinuando in poros cutis; intrinse-

secè, dum est attractus media inspiratione.

Licet animadvertere, quod si aer duobus modis iam dictis afficit, est diversimodè, prout ipse diversus est per se, sive per admixta: sic, si habet admixtum multum aquæ, tunc multum poterit nostrum corpus humectare: si habet quædam narcotica admixta, ut contingit in quibusdam locis, tunc afficere poterit corpus læthali somno, & celerrima morte, &c.

Circa aeris differentias, & eius mutationes aliquid scire debent Practicantes. Aeris differentiæ summuntur ratione qualitatum, ratione substantiæque: *Ratione qualitatum* est calidus, aut frigidus, aut humidus, aut siccus, plus minusvè, secundum varias particulas, quæ cum illo mixcentur: *Ratione substantiæ* variæ sunt eius species, videlicet crassus, turbidus, serenus, limpidus, liber, & perflatus, nunc corruptus, vel ex se, vel dum non ventilatur, quia clausus est altis montibus.

Mutationes aeris fiunt à diversis particulis, quæ ab aerè recipiuntur, & suis viribus illum immutant; etiam fiunt ab astris; etiamque à temporibus anni; verumque tamen à ventis. Tandem scire debent qualis sit aer commodissimus ad conservandam nostram valetudinem.

Porrò est optimus aer, qui temperatus est, purus, limpidus, serenus, & ventis salubribus perflatus, qui non est infectus pernitiosa qualitate, neque ex vaporibus, aut exhalationibus, qui elevantur ex cadaveribus, cloacis, aut stagnis.

Hoc supposito licet notare, quod in aere requiritur diversa temperies, in primis qualitatibus, ut rectè proportionetur hominibus iuxta eorum diversas temperies: sic corpore temperato aer ambiens requiritur, quod sit temperatus, quia bonum est temperatum esse corpus; ideoque in illo conservanda est temperies per consimilem aerem, & quantò quisque ad temperamentum magis accedit, tantò illi est melius, pariterque similibus iuvandus.

Animadvertere oportet intemperatum autem corpus, sive illud in quo aliqua qualitas excedit suam respectivè contrariam postulare aerem, in quo illius respectivè contrariæ excessus est, sic aer calidus valet homini intemperato frigido, & aer frigidus, calido; atque ille potius, quia magis intemperata, tanquam minus se habentia, aere intemperato contrariò emendanda sunt, & ad temperiem tanquam ad ali-

 quid

quid melius reducenda, præterquam in infantia minimè Medicus corrigere debet exuperantem humiditatem; igitur illa exuperantia humiditatis inservit incremento, & vitæ.

Ex iam dictis inferri debent Practicantes, quod diversa aeris temperies competit diversis ætatibus, cum admodum cum illis mutatur temperamentum, ac proinde aer exactè temperatus competit ætati virili, quia est temperatissima, & perfectissima ætatibus verò illi anterioribus, quia non ita sunt temperatæ, etiam congruit aer similis; reliquis verò sequentibus ætatem virilem competit aer modicè dissimilis.

Non ignorare licet, quod ad aerem reducuntur venti, regiones, & astra, tanquam cum quibus multum mutatur aeris status. Hoc supposito dico, quod *ventus est aer circa terram agitatus una cum exhalationibus, & vaporibus ipsi inhærentibus.* Suum usum habet ventus, videlicet quod præservat à putredine aerem, qui aliàs minus moveretur; & hoc facit dissipando hìc, & inde varia inquinamenta, quæ aeri sunt commixta.

Circa differentias, seu species ventorum animadvertere oportet varias esse opiniones. Nautæ in Pixide sua numerant viginti quatuor ventos. Alij sexdecim; alij duodecim; alij verò tantùm quatuor; sed ad auferendam omnem confusionem assero, duodecim ventos tantùm esse admittendos, qui dividi debent in duas species, videlicet in ventos Cardinales, qui sunt quatuor, & in Collaterales, qui sunt octo: nam quilibet ventus Cardinalis habet duos Collaterales, & hoc modo componitur numerus duodecim ventorum, ut videre possunt Practicantes in tabula VII.

Quatuor venti dicuntur Cardinales, quia nascuntur, & flant ex quatuor partibus mundi, ut demonstrantur per litteras B. E. H. L. Primus ventus Cardinalis vocatur Meridionalis, seu Australis, & demonstratur in tabula VII. à littera B. & vocatur Meridionalis, quia flat ex parte dimidij diei, qui calidus, & humidus est. Secundus appellatur Septentrionalis, etiamque Tramontanus, qui quidem oppositus est Meridionali; & idcircò est frigidus, & siccus, quem demonstrat littera H. Tertius nominatur Orientalis, qui ab Oriente flat, & est calidus, & siccus, quem assignat littera L. Quartus dicitur Occidentalis, quia ex parte Occidentis flat, & est frigidus, & humi-

mi-

ESTAMP. VII.





midus; qui demonſtratur per litteram E.

Notare licet, quod quilibet ex prædictis ventis Cardinalibus habet duos ventos ſocios, ſeu Collaterales; & habent eaſdem qualitates, ac eorum ventus Cardinalis, ſed remiſsiores, quia propter viciniam remittuntur à contrarijs qualitatibus Collateralium alterius venti Cardinalis; pono exemplum in Collateralibus venti Meridionalis; qui flat verſus Orientem, & vocatur *Phenicias*; & qui flat verſus Occidentem appellatur *Lymbonothus*: ambo venti Collaterales ſunt calidi, & humidi, ſed habent remiſſas qualitates; igitur enervantur à qualitatibus venti Collateralis Occidentalis, & Collateralis Orientalis; Porrò quod ventus Collateralis Cardinalis Occidentalis, qui vocatur *Africus*, & flat verſus ventum Collateralem Meridionalis, quia frigidus, & humidus eſt, cum frigiditate remittit calorem vento, qui *Lymbonothus* dicitur; veruntamen ventus Collateralis Cardinalis Orientalis, qui flat verſus Collateralem Cardinalis Meridionalis, qui vocatur *Eurus*, quia calidus, & ſiccus eſt, cum ſiccitate frangit, & corrigit humiditatem venti, qui appellatur *Phenicias*; & ita à putredine præſervat. Et ſic de alijs debet judicari.

Circa Collaterales ventos animadvertere oportet Practicantibus, quod in promptu habeant diverſa nomina, quibus appellantur tales venti: duo Collaterales venti Auſtrialis ita vocantur: Primus dicitur *Phenicias*, quem aſsignat littera A. Secundus *Lymbonothus*, quem demonſtrat littera C. Duo Collaterales venti Cardinalis Septentrionalis ſequenti modo nominantur: Primus, qui exiſtit verſus Occidentem, vocatur *Boreas*, quem aſsignat littera G. Secundus, qui exiſtit verſus Orientem, dicitur *Aquilon*, & demonſtratur per litteram I. Duo Collaterales venti Cardinalis Orientalis ita nominantur. Primus qui exiſtit verſus dimidium diem, appellatur *Eurus*, quem demonſtrat littera M. Secundus exiſtens verſus Septentrionalem, dicitur *Gregalis*, qui aſsignatur à littera K. Duo Collaterales venti Cardinalis Occidentalis ita appellantur. Primus, qui exiſtit verſus dimidium diem, dicitur *Africus*, quem aſsignat littera D. Secundus, qui exiſtit verſus Septentrionalem partem, nominatur *Chorus*, qui demonſtratur per litteram F.

Inſuper ſcire oportet, quod

ventus Australis insaluberrimus est, quippè inducit torporem sensuum, gravat omnes partes corporis, & eius actiones, & ultimò disponit corpora ad putrefactionem, & ideo inducit febres putridas. Ventus septentrionalis, & Occidentalis etiam sunt insalubres, sed non tantum ac Austrialis. Optimus omnium est ventus Orientalis, præsertim manè spirans, nam tunc nobis purior est, eo quod tunc spiret ex loco ubi sol est, atque idem est de Occidentali vento, si flet vesperi, & de ijs ventis non plus loquor, quia multa utilia Practicantes inveniri possunt in Aphorismis Hypocratis, & insequentibus Sanctorij.

Ultimò licet pallam facere sequentem doctrinam, quæ parvi momenti non est: ob regionum mutationes multum variat aeris temperamentum, quod satis demonstrat peregrinatio ad paucas leucas. Regio autem est pars terræ, in qua ob magis rectam, vel obliquam dimissionem radiorum solarium valde notabilis est discrepantia in primis qualitatibus. Tamen oportet scire species regionum, quæ præcipue quinque sunt, videlicet *Equinoctialis*, quæ sita est sub Zodiaco: *Septentrionalis*, quæ iacet sub spatio inter circulum Cancri, & Polum Arcticum: *Meridiana*, quæ est sub spatio inter circulum Capricornij, & Polum Antarcticum. Quarta vocatur *Orientalis*, & quinta *Occidentalis*. Nam regio Orientalis est saluberrima, quia obtinet primo loco aerem purum, tenuem, amenum, & serenum, temperatèque calidum, & siccum, & ob id liberat corpus ab excrementis, & temperatum reddit, agile, & ingeniosum. In secundo loco Septentrionalis regio est saluberrima, quia corpus firmat, &c. Ut videri potest in lib. 3. Aphor. Hypoc.

APHOR. I.

AEr frigidus, & lavacra frigida corpora robusta calefaciunt, eaque auferendo superfluum reddunt leviora, debilia refrigerant, eaque vincendo calorem, ponderosiora efficiunt.

II.

Aer calidus, & lavacra actu calida, nisi obstent cruda, iuvant quoque perspirationem, & refrigerant interna viscera, & corpora efficiunt leviora.

III.

Aer externus per arterias in profundum corporis penetrans, potest reddere corpus levius, & gravius: levius, si tenuis, & calidus: gravius, si crassus, & humidus sit.

Quar-

IV.

Quanta sit aeris ponderositas, coligitur primò ex maiori, vel minori gravitate luminis fæcum prius exicati in sole, & deinde aeri nocturno expositi. Secundò ex eo, qui assentiamus maius frigus, quam quod observetur in primo instrumento temperamentorum; aeris enim humiditas, seu ponderositas nobis est lima frigiditatis. Tertiò ex maiori, vel minori incurvatione tabulæ subtilissimæ præcipue ex piro. Quartò ex contractione chordarum testudinum, vel ex cannabe.

V.

Quanta sit aquæ ponderositas, facile intelligitur, si grave perpendatur in aqua; illa enim est levior, & per consequens salubrior, in qua grave magis gravitat: illa verò, in qua minus est ponderosior, & insalubrior.

VI.

Aqua gravior, & aer cœnosior, & ponderosior convertunt invisibilem perspirationem in ichorem: qui retentus, & deinde non resolutus, magna ex parte in cachexiam facessere solet.

VII.

In aere frigido salubri prohibetur quoque respiratio; densantur meatus, sed roborantur fibræ, & perspirabilis retenti pondus, nec lædit, næc sentitur.

VIII.

In cœnoso prohibetur perspiratio, meatus implentur, sed non densantur, fibræ laxantur, non roborantur, & pondus perspirabilis retenti lædit, & sentitur.

IX.

Si aeri æstivo frigus superveniat, illa die, supposita eadem bibendi libertate, tertiam partem circiter perspirationis exire prohibet, quæ nisi fit sensibilis, facile ad putredinem, vel ad cachexiam disponit.

X.

Prohibita perspiratio facta ab improvisa frigiditate, magis nocet debilibus, quam sensim prohibita.

XI.

Ob aerem frigidum supervenientem calori, vestibus denudatus, minus duabus libris circiter diei cursu perspirare solet, nulla ab ipso animadversa molestia.

XII.

Aura iucunda, & frigidiuscula corporibus excalefactis magis nocet, quam aeris, vel aquæ frigus in excessu: illa enim non reddit corpus levius, sed obstruit, & laxat: hoc obstruit, & roborat, & in-

de

de minus ponderosa corpora fiunt.

XIII.

Male aeris, & aquæ conditiones, quando ad malignam putredinem disponunt, eorum pondus magna ex parte non animadvertitur, quasi quod ab eorum corruptela nervi fortiores fiant, perinde ac in phreniticis.

XIV.

Natatio in frigida post exercitium est iucundissima, sed mortifera: motibus enim oppositis nihil perniciosius.

XV.

Quod proditoriæ disponit viscera ad morbum, sæpe, nec iniucundum videtur.

XVI.

Aura iucunda, & austrina cum exercitio violento, sæpe mortifera: ab aura enim adiapneustia, ab exercitio acrimonia.

XVII.

Qui quærunt à cœna auram frigidiusculam, magis quam par sit, perspirabile partis veste non indutæ exire prohibetur: nocte vero, vel die postero plurimi solent pati dolorem capitis gravativum.

XVIII.

Si corpora de repente transferantur ab aere calido in frigidum, læduntur; quia redduntur maioris ponderis, quam par sit; à frigido in calidum læduntur, quia fiunt minoris roboris.

XIX.

Debiles magis hyeme, robusti æstate, perspirabile retentum in urinam convertunt.

XX.

Ventilabrum prohibet perspirationem, reddit caput ponderosius, & calidius.

XXI.

Ventus ut cute frigidior semper obstruit, & semper lædit, sed magis caput; quia magis exponitur.

XXII.

Ex anni tempestatibus in universum, siccitates assiduis imbribus salubriores, reddunt enim corpora leviora.

XXIII.

Æstate corpora temperata sunt minoris ponderis, quam hyeme, tribus circiter libris.

XXIV.

Æstate lassitudo sentitur, non quia corpus sit minoris ponderis, sed quia sit minoris roboris.

XXV.

In aere calido corpus est minoris roboris, tum quia cum perspiratione exalat aliquid bonorum spirituum, tum quia calor non est concentratus.

XXVI.

Per totam cutim digeritur semper aliquid à calido, quod secum etiam aliquid interni probi humoris aufert.

Æsta-

XXVII.

Æstate calore vexamur, non primò, & per se propter aeris caliditatem; quælibet enim corporis pars est aere æstivo calidior; sed quia in aere æstivo non est tanta frigiditas, ut naturalis calor sufficienter concentretur: quo fit, ut ita diffusus minus posit perspirabile, sua natura calidum insensibiliter excernere; quod retentum redditur acre, & est in causa, ut magno vexemur calore.

XXVIII.

Dum corpora in summo æstu ob somnum nocturnum, vel diurnum abundè perspirant, vel sudant, redduntur leviora, & nullo illa die vexantur calore.

XXIX.

Æstivo calore superveniente frigore, eodem die libra circiter excrementorum insensibilium magna ex parte difflari prohibetur.

XXX.

Si æstas fiat similis veri, ut corpora reducantur ad pondus æstati debitum, excitantur sudores.

XXXI.

In æstatis initio, si de repente vehemens æstus superveniat, fiunt lassitudines, quæ licet post aliquot dies æstus magis urgeat, non perseverant, quia minuitur corporis perspirabilis pondus.

XXXII.

Eadem virtus minus laborat cum minori, quàm cum maiori corporis pondere.

XXXIII.

Perspiratio vi aeris, vel aquæ calidæ excitata nocet, nisi eius maleficium longe maiori beneficio compensetur.

XXXIV.

Æstate interdiu, hyeme noctu, corpora robusta, magis perspirant.

XXXV.

Adiapneustia æstate malignam febrem, hyeme vix minimam alterationem efficere potest: corpora enim acriori perspirabili æstate referta sunt, quam hyeme.

XXXVI.

Dormitio æstiva detecto corpore, vel sub dio, magna ex parte disponit ad putredinem, prohibendo perspirationem.

XXXVII.

Adiapneustia non calefacit interna, nisi perspirabile fiat acre ob moram, vel à calore extraneo, vel à motu violento.

XXXVIII.

Dum frigus supervenit calori æstivo, nimij coitus noxa vix percipitur; si verò aer iterum incalescat, detrimentum

præ-

præteriti erroris non leve sentitur.

XXXIX.

Coitus non immoderati maleficium, aere frigido concentrante calorem, æquali beneficio compensari solet.

XL.

In noctibus æstivis corpora ad febrem maximè disponuntur ob aeris varietatem, ineunte enim nocte aer est accensus: intempesta verò nocte est temperantior, in aurora frigidus; unde solitum perspirabile in correptis somnis, & stragulis denudatis cohibetur, & corpora ponderosiora sunt, quod noctibus hyemalibus non evenit.

XLI.

Ab æquinotio autumnali ad solstitium hyemale qualibet die minus libram circiter perspiramus: inde usque ad æquinotium vernale incipimus liberius perspirare.

XLII.

Autumnus insalubris, tum quia perspiratio à superveniente frigore prohiberi solet; tum quia quod difflari prohibetur, acre, & mordax sit.

XLIII.

Vitantur ægritudines autumnales, si corpus autumno non fiat maioris ponderis, quam dum erat æstate.

XLIV.

Pondus sensim auctum, sensim minuendum.

XLV.

Pondus corporis insolitum non vere, sed autumno auferendum: frigidum enim superveniens ponderi magis nocet.

XLVI.

Nulla autumno vexaveris ægritudine, si superveniens frigus inveniat te vestibus recte munitum, si uteris diureticis, & conservaveris in eodem pondere, ut ante.

XLVII.

Benè munitus vestibus melius perspirat, & redditur minoris ponderis.

XLVIII.

Qui morbis ab eorum copia prodeuntibus hyeme vexari sunt soliti, purgandi sunt autumno, & non vere, reducendique sunt ad pondus, quo fruebantur æstatis initio.

XLIX.

Dum vero morbi prodeunt à mala qualitate, corpora vere, & non autumno purganda; magis enim æstate, quam hyeme intenditur qualitatis malitia.

L.

Qui in fine veris, præmaturè se vestibus spoliant, & autumno tardè induunt, in febres æstate, in destilationes hyeme facile incidunt.

Pers-

LI.

Perſpirabile retentum, ut acre febres, & eryſipelata: ut copioſum, apoſtemata, deſtilationes, vel cachexiam facit.

LII.

Externum frigus concentrando calorem reddit natura tantum robuſtiorum, quantum ultra ſolitum pondus ferre quoque poſsit duas libras circiter retenti perſpirabilis.

LIII.

Corpora hyemis initio facilè ad ſolitum pondus, æſtatis initio magno labore ad æſtivum pondus reducuntur.

LIV.

Sanitas perſeveraret, uſque ad extremam ſenectutem inculpatam, ſi corpora quatuor anni temporibus æquali pondere ſemper conſervarentur.

LV.

Corpora quorum pondera anni curſu multum augentur, & diminuuntur, valde periclitantur.

LVI.

Quanto maior anni ſpatio eſt ponderis varietas, augmentatio ſanguinis, vel diminutio, tantò eſt deterior illius corporis conditio.

LVII.

Ponderis augmentatio fit in principio autumni, diminutio in principio æſtatis.

LVIII.

Corpora quorum pondus augetur, magis periclitantur, quam quorum pondus minuitur.

LIX.

Corporis partes tectæ ſalubritèr perſpirant; ſi verò à ſomno detectæ inveniantur, etiam ab aere calidiſsimo eorum pori condenſantur.

LX.

Aer plus iuſto frigidus, humidus, aut ventoſus moratur perſpiratum: unde qui domi continentur, ut fœminæ, nec tuſi, nec catharro, nec inflammatione pulmonis laborant.

LXI.

Aer in urbe peior aere ruris; quia craſior, & non perflatus appetitum tollit.

CAPUT V.

DE ALIMENTO, ET DE eius differentijs.

Alimentum eſt corpus mixtum deſumptum ex animalibus, & vegetalibus, ut ex his aptum nutrimentum conficiatur, deſtinatum ad reparandam ſubſtantiam noſtri corporis pro vitæ conſervatione.

Alimentum dividitur in ſolidum, & in liquidum. Solidum alimentum vocatur cibus: liquidum alimentum dicitur

potus. Notare oportet, quod alimentum aliud dicitur propriè tale, & aliud impropriè, quod vocatur medicamentosum. *Alimentum propriè tale* est, quod tantum nostrum corpus valet nutrire. Medicamentosum alimentum est, quod dum nutrit simul etiam valet alterare, v. g. lac asininum, &c.

Animadvertere oportet aliquid circa cognitionem virium alimentorum, quorum vires cognoscere possunt Practicantes per rationem, & per experientiam: *Per rationem* videlicet, quæ desumitur præcipuè ex sapore, odore, & consistentia; per experientiam, quæ ab effectibus colligitur.

Insuper requiruntur aliquæ conditiones ad exactam victus rationem: prima, ut substantia alimentorum acuratè consideretur: Secunda, ut concedatur proportionata quantitas: tertia, ut benè discernatur eorum qualitas: quarta, ut debitè instituantur varietas, & ordo sumendi alimenta: quinta, ut eorum præparatio sit conveniens: sexta, ut quid tribuatur consuetudini, & delectationi. Septima, & ultima conditio est ut præfigatur certum tempus ad assumptionem alimentorum.

CAPUT VI.

DE CIBO IN GENERE, ET in specie.

Cibus est alimentum solidius, crassiusque, potissimum ad famem profligandam, & conficiendum nutrimentum corpori debitum. Dicitur *potissimum*, quia aliquis cibus tenuior, etiam non nihil potest levare sitim sicut potus crassior famem sedare.

Notare oportet, quod ut cibus optimus sit requiruntur variæ conditiones: prima, ut sit boni succi, quem ita vocavit Galenus, & ab alijs appellatur *Euchimus*: secunda, quod sit facilis coctionis, & nominatur *Eupectus*: tertia, quod eius quantitas sit proportionata, & sufficiens, ad corporis nutritionem, taliter ut non causet gravitatem, aut alia incommoda, quæ subsequi solent, ad hoc ut fiat morbus: quarta, quod sit conveniens cuivis naturæ: quinta, ut sit suavis, mundus, exactè præparatus, & quod actu calidus sumatur: sexta, ut bis in die assumatur, sed in cœna parcior sit, verum est aliquos semel tantum edere, & idcircò regula magis apta est, ut quisque consuetudinem sequatur.

Species ciborum desumuntur primò ex plantis: secundo ex animalibus; sed cibus, qui desumitur ex vegetabilibus, minus nos nutrit, quam qui ex animalibus, quia hic habet materiam nostræ similiorem, adeoque nostris partibus, & poris magis conformem, ac proinde illis facilius adhærentem.

Animadvertere licet, quod cibus non sumitur ex fossilijs, quia fossilia non nutriunt; igitur ea habent partes à nostris nimium difformes, hisque ob suam rigiditatem hic adhærere incapaces; & quia satis dissolubiles non sunt. Verum quidem famigeratissimos Chimicos auro suo potabili adscribere vitæ protractionem; atsi hoc undique verum est, ex alio principio provenit, quam ex nutritione, scilicet, quatenus illud pro sua diversitate sanguinem firmando, ac quodammodo constipando spiritus, & calorem in illo conservet, aut quatenus illum blandè relaxando, paulatim discutit eius superfluam humiditatem, & sub illa languentem calorem exhilarat, ut in senibus contingit.

Porrò species cibi sunt plures, videlicet cibus boni succi, hoc est, multum nutriens: alius est mali succi; alius facilis digestionis; alius est difficilis; alius facile corrumpitur in ventriculo; alius non item; atque iterum ex illis, qui facile digeruntur, & non facile digeruntur, alij sunt boni succi, alij vero mali.

Insuper scire licet, quod omnis cibus, qui citò dissolubilis est, etiam est cito nutriens; non autem omnis ille est multum nutriens, quia cibus nostrum corpus multum nutriens debet esse participans crassitiei, & viscositatis, & ob id tardius disolvitur. Amplius debent scire Practicantes, quod cibus est optimus, cum sit optimi succi, facilis digestionis, & excrementis minimè refertus, atque è contra se habens pessimus est.

Quia ex vegetabilibus præcipuus cibus est panis, animadvertere oportet, quod cum componatur panis ex diversis cerealibus, est optimus ex tritico laudabili, ritè antea fermentato, cuius quatuor sunt species, videlicet siligineus, similagineus, confusaneus, & furfuraceus. *Panis siligineus* dicitur, qui propriè fit ex polline, seu parte tritici purissima, mollissima, levissimaque ab omni furfure separata. *Similagineus*, est qui non expurgatus ab omni furfure, sed tantum à crassiore parte. *Confusaneus* vo-

catur ille panis, qui habet omnem suum florem, & furfurem adiunctum. *Furfuraceus* appellatur, qui componitur magis ex furfure, quam ex flore.

Circa nutritionem panis sciant Practicantes siligineum habere primum locum in nutriendo: similagineum secundum locum: confusaneum possidere tertium locum; denique furfuraceum esse omnium minus nutrientem, verum inter omnes species panis confusaneus est optimus, quia ob adiunctos furfures non obstruit, sed alvum laxat, & mediocriter nutrit. Siligineus autem, & similagineus producunt obstructiones sua viscidirate.

Verum est, quod panis furfuraceus inter omnes parum nutrit, sed magis, vel minus prout furfures magis, vel minus orbantur suo flore; qui quidem panis magis in usu est pauperibus, prout, & ille panis, qui ex secali fit, isque durior est, ater, & gravans ventriculum. Dictum manet, quod panis triticeus, ut optimus sit, stet antea ritè fermentatus, quia si ita non est, non potest valetudinem conservare, verumtamen uti solet pane non fermentato, quando volumus maiorem nutritionem, & ventrem firmare, & adstringere, ut accidit in longis ventris fluxionibus, & ideò Magnus Hypocrates in lib. 2. de Dieta scripsit hæc verba: *Panis non fermentatus secedit quidem minus, nutrit autem magis.*

Quia ex animalibus desumitur cibus magis nos nutriens, necessum est, ut loquar cum specificatione claritatis gratia. Caro ex quadrupedibus optima est vitulina; postea verbecina, & hædina. Ex volatilibus verò præstantiores sunt pulli, capi, columbi, & perdices, sed de carne pullorum asserere debeo, quod melior est pars dimidia posterior, quam ex pectore, quia illa constat maiori parte particularum nitrosarum; est utilis tam in valetudine conservanda, quam in curatione aliquorum morborum; & idcircò utitur in jusculis alterantibus apperitivis. Ex Marino Pisce Asellus, & lingulaca præstant. Ex fluviatico est optimus Piscis Perca, Govius, & qui Lucius vocatur. Ex his, quæ ex animalibus proveniunt, meliora sunt ova, & lac; ex fructibus sunt uvæ, & ficus.

Oportissimum est animadvertere, quod non omni promiscuè cibi iam dicti optimi saluberrimique sunt; neque ullus re vera cuique convenit, sed quilibet cibus ad quemque seorsim considerandus est, an conveniat, necne: nam illis qui

ſtomacho valent, aut multum laborant, ut Agricolæ, Nautæ, Milites, &c. melior eſt caro bubula, & porcina, quia illi egent ſolidiore, & craſsiore ſanguine, qui multum nutrit, neque adeo facilè abſumitur.

Porrò inſuper narrare debeo Piſces multis ſuſpectos eſſe, ſed immeritò, quia experientia docuit, quod bonum, & mediocris conſiſtentiæ ſanguinem præbent; tamenque levioris ſunt digeſtionis, ſaltem ſaxatiles, ac proinde tales Piſces valent illis, quibus pituita, vel ſerum in toto, vel in aliqua corporis parte abundant.

Pro coronide huius capitis duas animadverſiones facere oportet: prima conſiſtit in eo, quod alijs debet ciborum quantitas adaptari, ita alia debet eſſe qualitas, idque pro diverſitate temperiei, ætatis, temporis, & conſuetudinis: ſic calidioribus, & ſiccioribus expediunt cibi frigidiores, & humidiores. Sic pueris moliores, quam juvenibus, & viris conducunt; ſic æſtate frigidiores, quam hyeme; ſic denique firmioribus cibis aſſuetis, hi magis conveniunt, quam flaccidi cibi. Secunda dirigitur, ut ſciant, quod cibi elixi facilius chilificantur, quam aſsi; ſunt enim molliores; aſsi verò plus nutriunt, quia magis ſcatent ſucco nutritivo, ut patet, ſi cultro perforentur, habet enim ille cruſtam ſibi extrinſecam humiditatem eorum intus conſervantem, quæ diſperſa eſt in juſculis elixorum; ideoque cibi aſsi magis conveniunt laborantibus; otioſis verò, & ſedentaria vita utentibus, elixi.

CAPUT VII.

DE POTU IN GENERE, ET in ſpecie cum Aphoriſmis Sanctorij, qui in ſectione tertia continentur.

Potus eſt ſubſtantia liquida, tenuiſque deſtinata ad ſitim profligandam, ad cibum diluendum, & deferendum, & ad ſerum in corpore reſtaurandum. Variæ ſunt ſpecies potus; ſed famoſiores ſunt quatuor, videlicet *Aqua*, *Vinum*, *Mulſa*, & *Cereviſia*; & de his tantum agere eſt intentum; & ante quam agam de illis prius oportet animadvertere, quod potus in genere eſt optimus, qui habet bonas conditiones; videlicet, quod aſſumatur in quantitate moderata, ne fluctuet, & ſi in menſa opipara fiat aliquis exceſſus ſit potus, & non cibi, quia huius præter alia mala etiam inducit obſtructiones; nam experientia docet bibones diutius vivere, quam comedones;

nes; & ideò animadvertit Hypocrates: *Melius esse impleri potu, quam cibo*; & qui non est Glatiatus, nec frigidissimus, quia si ita concedatur, est inimicissimus intestinis, pectori, & systemati nervoso: ergo potus temperatè frigidus debet concedi juvenibus, robustis, sanis, & maximè assuetis, & his, qui habitant in calidis regionibus mundi.

Aquæ multæ sunt species, alia enim est pluvialis, alia putealis, alia fontana, alia lacustris, alia nivosa, aut glacialis. Optima ea aqua est, quæ limpida, & dulcis est, aut potius sine ullo sapore, & colore. Undè aquarum bonitas æstimanda est penes absentiam certi odoris, coloris, & saporis. Aliqui verò desumunt bonitatem aquæ à levitate, sed ea non est intelligenda de levitate ad lancem; nam sæpe aqua non bona minus pendet, quam melior; sed hoc sensu, quod ventriculo, & visceribus sit levior.

Insuper aqua optima est *Fontana*, saltem si per bonum fundum coletur; post illa sequitur *Pluvialis*, quæ est levior, tenuior, & splendidior, sed tamen peior ob diversos vapores, & exalationes, quibus permixta est. *Putealis aqua* valdè insalubris est, quia stagnans censetur, neque radijs solis agitatur, adeoque longè peior est, si puteus sit tectus. Notare licet, quod ea melior est, quæ hauritur ex medio fluvij, saltem, si non habeat sordes commixtas, & fluvius sit rapidior. *Lacustris* aqua semper valdè mala est ob eius stagnationem; & ob id eam bibentes contrahunt splenis duritiem, Hydropem, disenteriam, & infinita alia mala. *Nivosa*, seu *Glacialis* pessima est, quia est valdè impura, & cruda.

Circa aquam duas res magnæ considerationis animadvertere oportet: prima dirigitur, ut Practicantes sciant aquam antecellere omnes species potuum, ratione temporis, naturæ, & usus: ratione temporis, quia aqua à Deo est creata unà cum cœlo, & terra: vino post diluvium primum per Noem introducto; ratione naturæ igitur necessario prærrequitur aqua, ut materia omnium potuum; & ratione usus aqua antecellit; nam est conveniens omnibus naturis, & ubibis datur; vinum verò tantum in quibusdam locis Europæ.

Secunda, ut in promptu habeant aquam nostrum corpus nutrire; verum est, quod, ut simplex elementum non nutrit; & in hoc supposito assero, ut

ut compertum est experientia, quod sola aqua, non solum nutrit; sed etiam auget, ut patet in piscibus, qui in lagena continentur; nam ibi sola aqua nutriuntur, & augentur; patet etiam solam aquam nutrire plantas, fructusque, taliter ut multoties fiant maiores, gravioresque, quam ipsa terra, cui insertæ sunt. Porrò etiam patet experientia multos homines, tam in tempore valetudinis, quam in tempore morbi aqua sola pro potu vivere mediocriter benè, & post eum apparent refecti; & ideo aliquoties ægros non valentes gustare cibum, vivere, aquam solam potando, & refectos esse nullum aliud alimentum assumendo, nec unicum jusculum magnis precibus; & ita eos curare potui non parva adstantium admiratione. Restat demonstrare non esse partes alititias carnium, quæ per elixationem diluuntur in aqua, per quas ægrotantes vivunt, & reficiunt; sed tantum per ipsam aquam: Si æger in spatio unius diei naturalis assumat pro eius nutritione, & virium refectione duodecim scutellas iusculi tantum, & alias tantas scutellas eiusdem jusculi Medicus capiat, evaporando humiditatem, remanet materia carnium in forma Gelatinæ, aut extracti; hanc materiam divide in duodecim partes, & quælibet pars, quæ vix ponderat drachmam unam, propinabitur ægro per tale intervalum, ut spatio viginti & quotuor horarum tota quantitas assumatur ab ægro, & in illo tempore, neque aqua, neque alius potus, neque cibus exhiberi debet; tunc enim vires ægroti concidunt, & pulsus debiles fiunt; postea per alium diem naturalem cum temporis interpolatione assumat æger duodecim scutellas aquæ, & manifestè observatur, quod reficitur, spiritus regenerantur, & pulsus validiores fiunt; sed in hoc tempore, nec alium potum, neque cibum capiat, nec debet uti extrinsecis appositis, quæ etiam valent nutrire.

Vinum est potus, quod ex succo uvarum expressarum, mediaque fermentatione fit. Eius differentiæ variæ sunt, hæque tantum differunt secundum colorem, odorem, crassitiem, tenuitatem, & ætatem. Vinum calidum est, & siccum, nisi immaturum sit, ut omphacium, tale enim est frigidum; est optimum vinum, quod saporis non est austeri, aut dulcis, sed quoddam modo medium. Vinum verò dulce multum solet nutrire, estque amicum pectori, sed facile bilescit;

cit; austerum verò econtra, pectori est inimicum, & multum adstringit. Vinum fragrans spiritus mirifice recreat, postea tamen caput gravat.

Vinum verò fulgum est non nihil calidius albo, sed notatur, quod fragrans, & fulgum multum aperiunt, & urinas potenter movent. Rubrum vinum ventriculum roborat, & alias partes, sanguinemque laudabilem conficit, sed si crassum sit, generat grossum sanguinem, magis nutrit, & obstruit; ideoque optimus potus est Agricolis, Militibus, & omnibus illis, qui multum laborant. Vinum tenuius est magis apperitivum, quam crassum, quia citius percurrit vias suas, sed non est tam nutriens ac crassum.

Restat scire, quod vinum recens, hoc est, parum distans à musto, est minus calidum, quam antiquum, sed nisi alvum laxet, generat flatus. Antiquum verò magis calidum est, & spirituum recreativum, sed etiam magis caput turbat, ac vinum recens. Ex iam dictis infertur vinum alere nostrum corpus, ut eius Potatores confirmant, qui parum comedentes sæpe crassescunt. Nemo tamen negare potest vinum esse potum medicamentosum, maximè si generosum sit, igitur calefaciens, & exicans est propter eius particulas spirituosas, & sulphureas.

Insuper scire licet vinum pro conservanda sanitate oportet potare merum, vel dilutum, prout corpus solidius est, vel tenerius, senile, vel juvenile, & prout sanguinis masa, in se plus minus temperata est, & prout regio plus minusvè calida est; & ideo in tempore æstatis in regionibus calidis, in temperamentis biliosisque ad tuendam valetudinem potare oportet vinum dilutum, & ei debet mixceri plus, aut minus aquæ iuxta maiorem, vel minorem generositatem vini. Moneo ut Practicantes legant tractatum, qui habet hunc titulum: *Del vino aguado, y agua envinada* compositum per Doctorem Hieronymum Pardo, Cathedraticum Methodi in Regia Universitate Pintiana, ubi invenient Doctrinas diversas circa hunc assumptum.

Cerevisia fit ex aqua, tritico, hordeo, & lupulo simul decoctis; lupulus additur, quia conservat cerevisiam, & sanguinem purificat, ac pro diversa eius quantitate cerevisia amara est, vel non amara. Salubrior cerevisia est, quæ debitè cocta est, & purificata; quia quæ non benè defecta est, producit obstructiones, & parit

rit ventris tormina. Cerevisia alia est fortior, alia minus fortis, prout plus, vel minus tritici in se habet, verum etiam iuxta diuturniorem coctionem, vel minus diuturnam, alia est rubra, alia vero alba.

Mulsa, seu Hydromel est potus, qui fit ex aqua, & melle, cuius dantur variæ species iuxta maiorem, vel minorem quantitatem mellis; & iuxta maiorem, vel minorem coctionem; & ideo alia, quæ habet multum mellis, alia parum; item alia cocta est, & despumata, alia facta tantum per insolationem. Etiam est duplex, videlicet simplex, & composita; simplex, quæ tantum fit ex aqua, & melle: Composita, quæ præter aquam, & mel componitur ex Zinzibere, pipere longo, &c. qui potus in nostra Hispania vocatur *Aloja*.

Animadvertere oportet, quod Mulsa simplex, quæ fit per insolationem, qnia crudior est, producit obstructiones, cocta vero deobstruit, & pectori grata est. Mulsa composita habet maiorem efficaciam inscindendi, attenuandi, & aperiendi vias, & quia abundè per urinas evacuat, confert in obstructionibus primæ regionis. Sciant Practicantes talem Mulsam esse suspectam in Regionibus calidis; in tempore æstatis, & in temperamentis, & ætatibus calidis; & idcircò Magnus Hypocrates in lib. 3. de Victus ratione, ita animadversit: *Ciet autem urinas abundè Mulsa, nisi ex visceribus aliquid prohibuerit.*

His præmissis dico tantum posse, & debere potari, quantum sufficit ad cibos comestos humectandos; cibus aridus enim non tam disolvitur, quia ventriculi acidum illum non benè subit; econtra ubi plus potatum, ibi acidum nimis diluitur, enervaturque, & cum potu ventriculum, & cibos deserit, ac subintrat intestina, cibus enim in ventriculo fluctuat, & sic turbatur eius disolutio. Præstat autem inter bibendum aliquoties, & parum bibere, quam ad finem mensæ (ut non nullis mos est) uno, vel duobus haustibus potum sumere; sic enim melius alimentis commixcetur, & comestio iuvatur. Verum pro coronide fateor, quod non tam religiosè cum aliquibus observare volo, ne potus cibo præmittatur, præsertim ubi ventriculus est aridus, ut accidit in naturis biliosis; nam potus ille cum alimentis statim confunditur æquè benè, ac si post aliqualem comestionem ingestus foret.

APHOR. I.

STomachus cibo refertus; si inter dormiendum absolvat primam concoctionem, illius noctis perspiratio magna ex parte ascendit ad quadraginta uncias; si non absolvat ad octodecim circiter.

II.

Stomachus omnino vacuus, & jeiunus, licet dormiat, non perspirat ultra octodecim uncias circiter.

III.

Tantum perspirat corpus plenum non concoquens, quantum ferè jeiunus non habens concoquat.

IV.

Cibi multum nutrientes, excepta carne vervecina, à cœna ad prandium non solent perspirare ultra octodecim uncias.

V.

Cibi copiosi, sed tenuis nutrimenti noctis spatio in plurimis ultra quadraginta uncias perspirare possunt.

VI.

Alimenta, quæ corpora conservant gravia, sunt copiosa, vel cruda revellia.

VII.

Quæ conservant levia, sunt consueta, & vaporosa.

VIII.

Caro vervecina facilè coquitur, & est vaporosa; perspirat enim noctis spatio, trientem libræ magis, quam cœtera, solitaque edulia.

IX.

Quæ ex pasta fermentata fiunt esculenta, non efficiunt corpora ponderosa: longe enim facilius perspirant, quam rapæ.

X.

Vir sanus occultè diei cursu tantum exalat, quantum per alvum dimidio mensis, licet quotidiæ coctas tamen, & consistentes fæces semel excernat.

XI.

Stomacus plenus, & vacuus minuunt perspirationem: plenus eam divertit per ciborum corruptelam; vacuus eam trahit, ut impleatur.

XII.

Plenus, quandò non absolvit concoctionem, ex pondere cognoscitur; corpus enim tum minus perspirat: vacuus verò flatibus impletur.

XIII.

Flatus nihil aliud est, quam rude quoddam perspirabile.

XIV.

Robustus ciborum plenitudinem absumit per insensibilem perspirationem, minus robustus per urinam; debilis magna ex parte per chili corruptelam.

Dum

XV.

Dum omittitur cœna, vacuo exiſtente ventriculo nulloque urgente paroxiſmo retinetur perſpirabile; & retentum fit acre; inde corpus ad calidas ægritudines præparatur.

XVI.

Ieiunium, quod reducit corpora ad minus pondus, ſed corporibus inſolitum malum.

XVII.

Cur ſint qui fame pereant, ſi in vivo ſanguis numquam deficiet? quia verſus ventris vacuum ſanguis tendens relinquit cor.

XVIII.

Non ſolum incoctus cibus, ut quantus, reddit corpus ponderoſius, ſed etiam ut qualis, quatenus ſcilicet perſpirationem impedit.

XIX.

Dum levior ſemetipſo quis videtur factus, & non ſit, valdè bonum; id enim oritur à ſuccis trium coctionum exactè coctis.

XX.

Dum tota die perſentitur levitas, & corporis agilitas, præceſsit chili, & ſanguinis coctio, & penitus exhalarunt tertiæ coctionis excrementa.

XXI.

Cibus incoctus, quo plenioris eſt nutrimenti, eo eſt deterior, vel quia efficit maius pondus, vel deteriorem corruptelam.

XXII.

Corpus maximè leve fit ex ciborum corruptela: liquida tamen excrementa omnia magni ponderis.

XXIII.

Uſus carnis ſuillæ, & boletorum malus, tum quia hæc non perſpirant, tum quia non permittunt cœtera edulia ſimul ingeſta perſpirare.

XXIV.

Ex uſu carnis ſuillæ, & boletorum triente minus ſolito, corpus magna ex parte perſpirat.

XXV.

Melones adeo pauxillum perſpirant, ut quadrantem circiter auferant perſpirationis conſuetæ.

XXVI.

Retenta illorum perſpiratio in urinam, vel ſudorem faceſſere ſolet.

XXVII.

Uvæ, & ficus recentes pauxillum perſpirant, & aliquantulum aliorum ciborum perſpirationem impediunt, fortasè, quia ſenſibiliter evacuantur.

XXVIII.

Illud genus edulij optimè perſpirat, & commodè nutrit, cuius pondus in ventre non ſentitur.

XXIX.

Ciborum plenitudo magis nocet in otioso, quam exercitato; viscera enim illis gravantur quiete, exercitio veró liberantur pondere.

XXX.

Ab eo cibo corpus optimè perspirat, cuius fæces exeunt consistentes.

XXXI.

Minus quam lactuca nutrit caro pulli, si de carne ea copia edatur, ut in liquidarum fæcum corruptelam exeat.

XXXII.

Ex ponderatione noveris, quando jeiunium sit salubre, vel insalubre; erit salubre, si aliquid relinquebatur de hesterno edulio perspirandum, sin minus, insalubre.

XXXIII.

Dum per dietam corpus reducitur ad pondus minus suo salubri minori, quod amittit de robore est irreparabile: quod verò detur minus, & maius salubre pondus.

XXXIV.

Si sciveris quotidie, quantum cibi tibi conveniat, scies diutissime virtutem, & vitam conservare.

XXXV.

Naturæ robur non parum absumitur, dum cœna modò est quatuor, modò sex librarum.

XXXVI.

Illa cibi quantitas est saluberrima, dum à cibo corpus suis negotijs eadem agilitate vacat, ac si esset jeiunum.

XXXVII.

Magis quoque gravatur ab octo libris cibi semel in die comistis, quam ad decem tribus vicibus, unica die sumptis.

XXXVIII.

Illa cibi quantitas est unicuique saluberrima, quæ sine molestia potest à virtute concoctrice vinci; vincitur, si quantum ingeratur, tantum absumatur; hæc enim ex ponderatione dignoscentur.

XXXIX.

Illa cibi copia est ingerenda, quam natura potest coquere, digerere, & perspirare.

XL.

Si natura posset digerere centum libras edulij, & exporrigerentur nonaginta novem, animal propterea cursu temporis destrueretur.

XLI.

Tunc cibi boni succi diutissimam sanitatem tibi promittent, quando perspirationis quantitas medium obtinebit locum inter excessum, & defectum; excessus post plenam cœnam ciborum maximè perspirabilium noctis spatio magna ex parte solet esse quadraginta unciarum circiter; defectus

qua-

quatuordecim: ille igitur cibi usus, quia te ad viginti duas uncias, quæ est medietas, transferret certissimam sanitatem, & longævitatem pollicebitur.

XLII.

Celsi sententia non est omnibus tuta, usus scilicet sex rerum non naturalium, modò parcos, modò nimios esse debere.

XLIII.

Corpora minori molestia reducuntur ad consuetum pondus, si assumant quatuor ciborum libras in prandio, & quatuor in cœna distanti, ut par sit, quam sex in prandio, & duas in cœna.

XLIV.

Se ipsum sensim destruit, qui semel in die præter consuetudinem comedit, comedat parum, vel multum.

XLV.

Corpus magis ponderosum reddetur quatuor uncijs cibi multi nutrimenti, qualis est caro porcina, anguillæ, & pinguia omnia, quam sex uncijs cibi pauci nutrimenti, ut sunt pisciculi, aviculæ, & alia id genus.

XLVI.

Cibus pauci nutrimenti si difficulter coquatur, id accidet solum in prima coctione; multi nutrimenti, in omnibus.

XLVII.

Cibus exigui nutrimenti humectat, & lenit alvum, citò digeritur, & perspirationem dormientium, & vigilantium facilè iuvat.

XLVIII.

Cibus multi nutrimenti stringit alvum, nisi corrumpatur; difficile coquitur, & parum perspirat.

XLIX.

Ubi est difficultas coctionis, ibi tarditas perspirationis.

L.

Cibus non ut fluidus debet præmitti, sed ut melioris succi; pylorus enim non est in imo, ut in canibus.

LI.

Tria mala eveniunt ob ciborum varietatem; nimium comeditur, minus coquitur, & minus perspiratur.

LII.

Tempus minoris perspirationis est, quando stomachus est plenus, & præcipue varietate eduliorum.

LIII.

Qui evomunt cœnam, statim tollunt stomachi molestiam, sed sequenti aurora sentiunt corpus ponderosius: Vomitus enim divertit perspirationem trahendo ad intra perspirabile. Quod ut acre laxitudinem, & calorem, ut copiosum gravitatem facit.

Qui

LIV.

Qui comedit magis quam oportet, alitur minus quam oportet.

LV.

Qui in juventute sunt victus immoderati, ventriculum plus iusto dilatant, quo fit ut in posterum victu moderato magna cum difficultate uti posſint.

LVI.

Qui ad statum, & moderatum victum facile reduci cupit, utatur edulijs pauci nutrimenti; sic ventriculus citò se illo exonerans minori se accomodabitur capacitati.

LVII.

Quantum edendum noveris, si pluribus diebus observaveris, corpus à somno sine molestia ad iddem pondus reduci.

LVIII.

Si post pleniorem cœnam corpus minoris ponderis die sequienti redatur, id eveniet, vel ob corruptelam, vel quia irritatur natura ad expellendum utile, quod est admodum nocivum; corpus enim præparatur ad morbos, dum utilia evacuantur, & cruda detinentur.

LIX.

Si cœna fuerit octo librarum, & edulia in ventriculo corrumpantur, corpus die sesequenti erit minoris ponderis, quam si cœna fuisset trium librarum, & cibus non fuisset corruptus.

LX.

Edulia aptiſsima perspirationi non corrumpuntur, imo post nocturnas vigilias hominem conservant sine laſsitudine, & gravitate.

LXI.

Edulia non perspirantia obstructiones, corruptelas, laſsitudines, mœstitias, & pondus efficere solent.

LXII.

Illa est viventis peſsima conditio, dum facta ciborum concoctione, corpus persentitur onerosius solito, cum tamen sit minoris ponderis.

LXIII.

Si quis cibi, vel potus nimietate utatur, & sequantur evacuationes sensibiles longè pleniores consuetis, corpus die sequenti fit solito levius.

LXIV.

Edulia liquida, data molis paritate, sunt ponderosiora solidis, liquida petunt fundum: solida supernatant: cyathus vini seu juſculi est maioris ponderis, quam integer panis.

LXV.

Si nimius potus à somno efficiat oculos lachrimosos, signum est corpus non perspirasse, ut par est.

LXVI.

Si post multam potationem su-

ſudes, vel multum meias, aut magnum robur, aut magna infirmitas indicantur.

LXVII.

Aquæ potatio inſenſibilem perſpirationem impedit, auget tamen ſenſibilem.

LXVIII.

Potatio hiſce ſæculis in temperatis quoque eſt improporcionata; cibus enim illorum ſolet eſſe duodecim unciarum circiter, potus quadraginta, & ultra.

LXIX.

In homine utente moderato victu, perſpiratio nocturna, aliquando aſcendit ad tres libras: in utente pleniſsimo ſtomacho, præexiſtente vacuo, & robuſto, poteſt aſcendere ad quinque libras.

LXX.

Ieiunium corpus ſuo maiori pondere inſignitum iuvat, mediocri nocet, minori longè magis.

LXXI.

Poſt longum jeiunium, ſi corpus liberalius nutriatur, perſpiratio redditur plenior ſolito libram circiter.

LXXII.

Poſt immoderatum exercitium corporis, vel animi ſtatim veſci, malum: Corpus enim defeſſum ægrè perſpirat.

LXXIII.

Si ſobrij, & in victu temperati præmaturè moriantur, amici mirantur novitatem; quia de perſpiratione inſenſibili nihil ſciunt.

LXXIV.

Cibus, & potus nimius non ſolum retenti perſpirirabilis acrimoniam; ſed etiam partium, præcipue non principum, pravos affectus diu occultant; qui dum corpora purgantur, vel inedia tractantur, de repente erumpunt, & ingraviſsimos affectus faceſſunt.

LXXV.

Medicus, qui præeſt rationi victus Principum, ſi neſciat quantum, & quando quotidie perſpirent, illos decipit, & non medetur, & ſi juvet, caſu iuvat.

LXXVI.

A cibo quatuor horis circiter vix libram plurimi perſpirant; inde ad nonam duas libras; à nona ad decimamſextam vix libram.

LXXVII.

Tunc erit cibandi tempus, quando corpus reducetur ad illud pondus, ſalubre tamen, quo fruebatur paulò antequam heſterno die ingeſiſſet cibum: iſtud ſolus Apolo ſine trutina ſciet.

LXXVIII.

Si verò nocturnæ potationis pondus inſolitum, neque à robore concoctricis, neque à corruptela die ſequenti tolatur,

tur, locum habent illa duo carmina:

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum, & fuerit Medicina.

LXXIX.

Si salubre corporis pondus à cœna est ducentarum librarum, corpus ob nimium cohitum factum minus salubre, erit centum nonaginta octo librarum circiter, quia virtus illa languidior impedit, ne duæ alimentorum libræ posśint saltem sine aliquo angore in pondus salubre converti.

LXXX.

Cibus facilis perspirationis facilius, & longe minori angore resarcit vires coentium colapsas, quam difficilis, seu multi nutrimenti.

LXXXI.

Mustulum aliquantulum turbidum, si in ventriculo coquatur, non solum perspirat, sed maxime iuvat aliorum eduliorum perspirationem; huiusmodi virtutis sunt calida flatulenta.

LXXXII.

Cepæ, allium, caro vervecina, phasiani, maxime omnium succus cyneraicus iuvat perspirationem eduliorum ægrè perspirabilium.

LXXXIII.

Cibus valdè paucus à ventre non amplectitur; inde non coquitur, non restaurat, non perspirat.

LXXXIV.

Perspiratio insensibilis est excrementum tertiæ coctionis; quare si non fiat prima, neque tertia fiet concoctio.

LXXXV.

Ob rigidam inediam caput repletur, pulsant tempora, tenduntur hypocondria, brachiorum, & crurum lassitudo fit.

LXXXVI.

Exinanitio à cibi pauxilo maior, quam à pharmaco, quod movet quidem sensibilem, sed insensibilem evacuationem divertit.

LXXXVII.

Ventriculo in horis matutinis vacuo ob omissam cœnam in pituitoso valdè iuvat edulium siccum, ut biscoctum.

LXXXVIII.

Edulium quatuor librarum circiter semel in die sumptum, si noceret, bis, vel ter ingestum iuvaret: plenitudo ventris evacuationem sensibilem divertit.

LXXXIX.

Nemo incidet in morbum, si sedulò prævideat, ne cruditatibus laboret.

XC.

Senes ter sumere cibum in die, ut Antiochus, tutius est, quam bis, vel semel multum;

mul-

multum impedit perſpirationem.

XCI.

Piſces in cœna cur non ſumebat Antiochus ? quia morantur perſpirationem : à ſomno fit utilis perſpiratio , qua feriata vires langueſcunt.

XCII.

Succi cucumeris frigiditas,& craſsities in venis conſervatur: licet ſint concoctu faciles, prohibendo perſpirationem efficiunt malignas febres.

XCIII.

Cibi corruptela cur efficit laſsitudinem ? quia divertit perſpirationem : ſed quomodo? quia facit cæliacum : ſed cur cæliacus laſsitudinem facit? quia unà cum excrementis exit aliquid prioris cibi benè cocti.

XCIV.

Si quis corpore defeſſo eat cœnatum , lautum , à ſomno ſtatim carnes frigidæ , &c. Laſitudines : à cœna tamen duodecim horis circiter emendantur omnia ; quia tunc coctio,& perſpiratio utilis fit.

XCV.

Cibus à violento exercitio nocet , tum quia non amplectitur , tum quia perſpiratum divertit.

XCVI.

Qui it cœnatum animo perturbato , longe minus digerit, quam quietus , & lætus.

XCVII.

Potus inter prandium , & cœnam nocet ; ſed ſi tantundem minus in cœna potamus, tolitur nocumentum.

XCVIII.

Vomitus à cœna debilitat, quia amovet alimentum ; tum quia divertit perſpirationem.

XCIX.

Semel , aut bis in menſe facto exceſſu in cibo , & potu, die ſequenti licet ſenſibiliter non evacuet , minus ſolito perpendit.

C.

Victus uniformis caret beneficio illorum , qui ſemel , vel bis in menſe excedunt : expultrix enim a copia irritata excitat tantum perſpiratus , quantum ſine ſtatica nemo crederet.

CI.

In frigido corpore mel iuvat, qui nutrit , & perſpirat ; in calido nocet , quia bileſcit.

CII.

Nihil magis impedit perſpirationem , quam potus dum fit chilus.

CIII.

Jecur ob refrigerationem minus attrahit chilum , longè minus expellit perſpirabile.

CIV.

In homine ſano alvus lubrica , vel fit vitiata coctione, vel chili diſpenſatione ob prohibitam perſpirationem.

CV.

Bonæ valetudinis pestis duplex; corpus ex toto tradere quieti, & comedere ante cibi præcedentis coctionem.

CAPUT VIII.

DE SOMNO, ET VIGILIA cum Aphorismis Sanctorij, qui in sectione quarta continentur.

Somnus est cessatio sensuum externorum ab operatione. Causa somni est remissio, & subsidentia fibrilarum, quibus cerebrum magna parte extruitur, sic ut tunc motus impressi quinque sensuum externorum organis non possit debitè propagari ad animi sedem, ac ibidem cognosci, eo modo, quo motum impressum alicui cordæ flaccidè tensæ non videmus tam promptè promoveri, quam si rigidè tensa foret, oritur autem dicta fibrilarum in cerebro remissio ex eo, quod spiritus animales, sive sui defectu, sive torpore, aut fixatione non satis inflent, & expandant illos tubulos; sic secundum hoc post labores ad somnum inclinamur (nisi spiritus sint acriores) ob spirituum defectum: pariter post assumptionem opij, aut aliorum narcoticorum, quia talia Narcotica spiritus capiunt, & figunt volatili sua oleositate: denique post comestionem, vel potum solemus esse dediti somno, quia tunc augetur humiditas cerebri, quæ fibrilas relaxat, fortè etiam, quia vapores non nihil impediunt spiritus.

Scire oportet, quod somnus est summè necessarius ad vitam, & patet ex eo, quod nemo sine illo vivat: si quidem recuperat spiritus animales, qui deperduntur per sensuum externorum operationem, & motum animalem in vigilijs. Moderatus etiam debet esse somnus, hoc est, accommodatus cuilibet naturæ, & spirituum jacturæ, ut salubris sit, quia sic vires, & omnes actiones roborat, corpus humectat, & alacres homines reddit: nimius verò somnus insalubris est; igitur spiritus reddit torpidos, cerebrum nimis humectat, & relaxat, homines facit stupidos, tardosque; sicut econtra somnus nimis brevis, homines ultro exicat, ematiat, & debilitat. Notare licet, quod brevitas somni non debet esse tanta, ut non adimpleat prædictas utilitates, & ideo assignatur tempus moderatum.

Insuper, ut Practicantes fiant cordatiores circa somni tempus, animadvertere debeo, ordinarium tempus somni esse sep-

septem horarum, quia in illo maiori ex parte digestio alimenti facta esse solet, & chilus esse distributus ad restaurationem spirituum, & humorum, qui per vigilias, & labores deperditi fuerunt.

Veruntamen animadvertere oportet somnum alijs convenire longiorem, alijs verò breviorem; sic pueris convenit somnus longior, tum quia multum expirant ob raritatem cutis; tum quia pueri naturaliter sunt valdè humidi; tumque quia illis connaturalis est, & ob id Magister Galenus in lib. 1. prognost. ita loquitur: *Raro enim puereli tantummodò per somnum altiorem, ac longiorem, celeres in melius fecerunt mutationes.* Longior etiam convenit senibus, biliosis, & aridis, quia humectat, & spiritus restituit; etiam somnus debet esse longior defatigatis, quam non defatigatis; pituitosis verò, & naturis obesis somnus brevior debet esse.

Non ignorare licet; quod anima in somno debet esse, velut nullius rei conscia, & quasi sopita; hoc est, nullas saltem facere operationes animales notabiles; & quod si aliquando somnum interveniat, in eo que veluti intellectu discurramus, & ratiocinemur, velicati nos retrahamus, aut per aliquid determinemur, ut surgamus, & ambulemus, ut noctambuli interruptus, & imperfectus est ille somnus; ideoque videmus homines ab eo non refectos, imo bis magis, quam si vigilassent. Nihilominus fiunt inter dormiendum actiones naturales, ut motus cordis, respiratio, motus peristalticus, digestio, &c. quia similes independenter ab anima peraguntur, & maximè per spiritus influentes ex cerebello, qui ab anima non determinantur.

Vigilia est proxima dispositio sensuum externorum ad operandum. Non dico, quod sit actio sensuum externorum, quia potest quis actualitèr, v.g. vigilare saltem pauco tempore, si quis esset inclusus in Antro, ubi neque videret, audiret, olfaceret, gustaret, aut tangeret, aut ubi quis valdè attentè aliquid cogitat, talis enim tunc dormire non rectè diceretur: & ut clarius intelligatur, dico quod vigiliæ sunt exercitia omnium sensuum externorum dependentia à libero influxu spirituum animalium, & expansione restituta.

Causa vera vigiliarum est debita tensio fibrilarum cerebri facta ab spiritibus per illas fluentibus, sic, ut motus externorum sensuum organis impres-

pressus possit facile propagari ad sedem animi, ibidemque discerni, unde vigilant pertinaticer illi, qui habent in cerebro spiritus nimis celeriter motus, ut in febribus, phrenitide, inedia, sive per se sint nimis calidi, leves, vel acres, sive propter aliquam rem acrem, & stimulantem, quæ illis commiscetur.

Pro coronide huius capitis notare oportet vigilias esse bonas, & salubres, quando sunt moderatæ, & debito tempore fiunt: malas verò esse, quando sunt maiores, quia varia incommoda inducunt; & idcircò Magnus Hypocrates scripsit hunc Aphorismum in lib. 2. *Somnus, atque vigilia utrumque si modum excesserit, malum*; igitur excedentes vigiliæ disipant humidum corporis, extenuant, & exsicant, cruditates adferunt, & debilitant cerebrum.

APHOR. I.

SOmnus placidus adeò favet perspirationem, ut septem horis quinquaginta unciæ cocti perspirabilis in robustis sæpe exhalent.

II.

Dormiens horarum septem spatio occultè, salubriter, & sine violentia perspirare solet duplo magis, quam vigilans.

III.

Perspiratio dormientis, quæ cum multo sudore fit, non est plenior quacumque insensibili perspiratione sine sudore.

IV.

Somno nocturno corpus sentitur minoris ponderis, tum ob vires auctas, tum ob exalationem saltem trium librarum circiter excretorum.

V.

Somnus inquietus impedire solet trientem solitæ perspirationis.

VI.

In somno placido perspiratio aliquando maior, data temporis paritate, quam in exercitio violento.

VII.

In somno matutino, sed peracta coctione libra perspirabilium excrementorum ore spatio: non peracta, nec quadrans exalare solet.

VIII.

Quæ impediunt somnum, impediunt quoque perspirationem cocti perspirabilis.

IX.

Somni breves fiunt ab acrimonia perspirabilis retenti: perspirabile verò sæpe retinetur, quando natura alijs internis muneribus plus solito est occupata.

X.

Acrimonia perspirabilis reten-

tenti, vel ſæpiſsime petit caput, turbat ſomnum, & partium ſuperiorum perſpirationem divertit.

XI.

Si quis à ſomno ſentiat brachia dolentia, vel plus ſolito defatigata, ſignificat corpus eſſe maioris ponderis, quam natura diu ferre poſsit.

XII.

Qui dormiunt pedibus ac coxis detectis noctis ſpatio libra perſpirabilis exalare prohibetur.

XIII.

Perennis in lecto corporis agitatio, magis agitat, quam velox curſus: in motu enim currentis ſolum muſculi infernarum partium corporis, in motu jacentis muſculi ferè univerſi corporis moventur.

XIV.

Magis prohibetur perſpiratio in dormientibus ab auſtrina aura frigidiuſcula, quam in vigilantibus ab ingenti frigore.

XV.

Si ſomnus nocturnus minor ſolito ſit, exalatio perſpirabilis cocti imminuitur, crudi verò augetur.

XVI.

A cibo facilis perſpirationis corpora potius debilia, quam ponderoſa; à cibo verò dificilis, & debilia, & ponderoſa fiunt.

XVII.

Perſpiratio à ſomno facta differt ſpecie ab illa, quæ in vigilia: prima eſt coctorum perſpirabilium ſine acrimonia, & cum virium levamine: ſecunda eſt crudorum acris violenta, & cum labore.

XVIII.

Duplo magis dormiens perſpirat vigilante, hinc illud famoſum; duæ horæ quietis in vigilante perinde iuvant, ac una ſomni.

XIX.

Perſpirationem inſenſibilem curſu ſeptem horarum in dormiente, inveni in multis eſſe quadraginta unciarum circiter, in vigilante viginti.

XX.

Qui vacuo ventriculo it cubitum, ea nocte tertiam partem minus more ſolito circiter perſpirat.

XXI.

Bilioſis, qui eunt cubitum ſtomacho omnino vacuo, venter, & caput implentur crudis, pulſant tempora, eliquantur carnes, tenſiones vehementes circa brachia, & manus oriuntur, excitatur aliquando morſus cordis, vertigines, & epilepſiæ, ut accidit Diodoro.

XXII.

A ſolito maiori perſpiratione

ne plenioris cœnæ usus, semper somnum longiorem, & iucundiorem pollicetur.

XXIII.

Perspiratio minor solitò prænuntiat somnum inquietum, & noctem molestam.

XXIV.

Si à brevi, & in placido somno carnes frigidæ inveniantur, & inde febricula succedat, id in debilibus mortem, in robustis morbi longitudinem magna ex parte prænuntiat.

XXV.

Lecti mutatione somnus implacidus, & perspiratio minor fit: insolita enim, licet meliora, corpus, & animum lædunt.

XXVI.

Magis somniant in lecto insolito, quam in consueto jacentes.

XXVII.

Qui dormiunt, & non somniant, benè perspirant, & versa vice.

XXVIII.

Somnus à cibo quatuor horis circiter est utilior: Natura enim tunc minus est occupata prima coctione, melius remittit, quod est amissum, & melius perspirationi favet.

XXIX.

Si à cœna quinque horis somno illicò excitatum perpenderis vix mediam libram, si octo horis, tres libras perspirasse invenies.

XXX.

Somno solito breviore semper aliquid perspirationis prohibetur, quod nisi sequentibus diebus pleniore perspiratione compensetur imminet febris periculum.

XXXI.

Retenta aliqua perspirationis consuetæ parte, die sequenti, vel à prandio somno rapimur, & ore spatio libram circiter perspiramus, vel nocte sequenti tanto longior fit somnus, quantò magis solito expedit perspirare: vel in sensibilem crisim, vel in morbum labimur.

XXXII.

A somno oscitatio, & artuum protensio indicant corpus maximè perspirare, sicut dicitur de gallis sese alis ante cantum percutientibus.

XXXIII.

Oscitationes, & artuum extensiones, quæ statim à somno contingunt, ex copia perspirabilium ad expulsionem optimè præparatorum excitantur.

XXXIV.

Corpora oscitatione, & pandiculatione horæ dimidiæ spatio magis perspirant, quam tribus horis alterius temporis.

XXXV.

Qui ægris dant serapia, vel medicamenta horis optimæ perspirationis, quæ solet esse à som-

somno duarum horarum spatio, lædunt; horis verò sequentibus prosunt.

XXXVI.

In paroxismis pandiculationes, & oscitationes non significant caloris concentrationem, sed excretionem acrium copiosorum perspirabilium retentorum.

XXXVII.

Hora dormitionis meridianæ à cibo corpora aliquando libram, aliquando selibram excrementorum occultè perspirabilium excernere solent; libram, si aliquid perspirationis hesternæ diei retentum sit: selibram, si nihil.

XXXVIII.

Si aliquid hesternæ perspirationis sit retentum, & per somnum meridianum illud omnino excernatur, statim à somno persentitur magnum capitis pondus, magnusque dolor gravativus.

XXXIX.

Si quatuor horis à somni initio cibus corrumpitur; statim hæc duo mala se invicem consequentia contingunt: prohibita perspiratio, & vigilia.

LX.

Nulla causa sæpius somnum interturbat, quam ciborum corruptela: id efficit, quæ est inter stomachum, & cerebrum simpatia.

XLI.

Somnus hyeme utilior, quam æstate, non quia ventres sunt calidiores, vel somni longissimi; sed quia ante diluculum corpora fiunt actu calidiora, & ut talia maximè perspirant, æstate verò frigidiora.

XLII.

A somno discursus puritas, & corporis agilitas significant corpus illa nocte ad minus tres libras magna ex parte perspirasse.

XLIII.

A somno meridiano capitis levitas, indicat nihil perspirationis hesternæ diei fuisse retentam.

LXIV.

Somnus externas, & internas partes universas humectat, quia attenuat perspirabile, & valdè atenuatum per omnia membra illud dispensat.

XLV.

Vigilia movet á centro ad circumferentiam sanguinem, qui est minus præparatus ad perspirationem, quam in somno correptis.

XLVI.

Somno concentrantur humores, unitur calor influens innato, aufertur sitis, nisi prædominetur bilis, fit conversio sanguinis in secundas humiditates, & corpora leviora fiunt.

Som-

XLVII.

Somno animales, vigilia vitales, & naturales languescunt.

XLVIII.

Vigilia animales roborantur, vitales, & naturales languescunt.

XLIX.

Per somnum magis interiora incalescunt, ipsaque magis leviora fiunt. Per vigiliam magis exteriora incalescunt; ipsaque magis leviora fiunt.

L.

Per nimium somnum interiora, & exteriora frigescunt, humores impinguntur, redduntur imperspirabiles, & corpora ponderosiora fiunt.

LI.

Corpora biliosa per nimium somnum valdè læduntur, non quia recrementa tertiæ coctionis fiunt imperspirabilia, sed quia fiunt mordacissima, feriuntque deinde caput, & alia viscera.

LII.

In dormientibus stragulis detectis magis impeditur perspiratio, quam in vigilantibus vestibus denudatis; tum ob quietem dormientium, tum quia calor externarum partium refugit ad intra.

LIII.

Insolita vigilia reddit corpora primis diebus ponderosiora, & debiliora: ponderosiora, quia post evacuationem excrementorum perspirabilium requiritur crudus succus per se, & per accidens ponderosius, quia ubi est cruditas, ibi non fit conversio, & per consequens virtutes languescunt.

LIV.

Si somnus post vigiliam immoderatam fuerit septem horarum, perspiratio erit maior consueta ad libram circiter.

LV.

Vigiliæ perseverantes reddunt corpora ponderosa, non ob maiorem perspirationem, vel evacuationem sensibilem, sed quia quantum amittitur pinguedinis, & carnis, tantum non remititur.

LVI.

Horis matutinis corpus est, & sentitur minus grave; est, quia per somnum præcedentem tres libræ excrementorum perspirabilium exalarunt: sentitur, tum quia levius est, tum quia per coctionem ciborum facile perspirabilium auctæ sunt vires.

LVII.

Corpus vigilia insolita reddi potest maioris ponderis, si cibus, quo alitur, sit perspirationi ineptus.

LVIII.

Tam copiosa est corporis exalatio in dormientibus, ut non

non ſolum ægri, cum ſanis cubantes, ſed ſani inter ſe bonas, vel malas diſpoſitiones ſibi ipſis invicem communicent.

LIX.

A cibo ſomnus, à ſomno coctio, à coctione utilis perſpiratio.

LX.

Diacydonium non ſtatim à cœna, ſed poſt primum ſomnum, excitat ſomnum, dummodo non ſuperbibatur.

LXI.

Diacydonium cum cinnamomo roborat ſtomachum, roborato ſtomacho ſemper ſomnus fit.

LXII.

Modicum vini generoſi, & alium conciliant ſomnum, & perſpirationem: ſi verò plus iuſto ſumantur, utrumque prohibent: perſpirabile tamen in ſudorem convertunt.

LXIII.

Ille verò longævus, qui quotidie benè concoquit, & digerit; coctio fit ſomno, & quiete; digeſtio, vigilia, & exercitio.

LXIV.

Laſsitudo à ſomno ſi ſolito exercitio tolitur, defectus erit in digeſtione, non in concoctione.

LXV.

Dum à ſomno ſurgimus cum ſolito pondere, ſed cum maiori laxitudine, hæc niſi ſolito exercitio tolatur cruditatum cumulum, cibi corruptelam, vel nimium coitum ſignificat.

LXVI.

Somnus meridianus inſolitus viſcera omnia lædit, hebetatque perſpirationem.

LXVII.

Laſsitudo poſt ſomnum tollitur jis, quæ facilem perſpirationem reddunt: hæc ſunt jeiunium, exercitium, vigilia, & ira.

LXVIII.

Somnus ſtrato, & laxo corpore nocet; contracto iuvat, viſcera unita coctionem habent facilem: laxa difficilem.

LXIX.

Sanis, ſi à ſomno ſudor frigidiuſculus accidat, minus iuſto perſpirant, & temporis curſu ſi idem accidat, fiunt podagrici.

LXX.

A nimio ſomno, & nimio meri potu ſuffocantur vires: à nimia vigilia, & exercitio reſolvuntur: hæc omnia coctionem diminuunt, & diminuta coctione ceſſat utilis perſpiratio.



CAPUT IX.

DE MOTU, ET QUIETE *cum Aphorismis Sanctorij, qui in sectione quinta continentur.*

MOtus *est quodcumque exercitium corporis ad conservandam valetudinem, & quandoque utilissimum ad sanitatem amissam restituendam.* Notare licet, quod per motum intelligi debet quisque labor, & exercitatio, ut *ambulatio*, *cursus*, *saltus*, *lusus pilæ*, *equitatio*, *navigatio*, & *vociferatio*.

Scire licet, quod vociferatio est species exercitij, & non utcumque, sed exercitij tam animi, quam corporis; & ideo ab aliquibus Neotericis dicitur, quod exercitatio vocis animum movet, & totum corpus facit incalescere; & quia tam salubris, & utilis est motus, scripsit Hypoc. sequentem animadversionem in lib. 6. epidem. *Sanitatis studium sit non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.* Tamenque non sine magna utilitate Cornelius Celsus in lib. 1. de Re Medica; ita fatus est: *Ignavia maturam senectutem, labor longam adolescentiam reddit.*

Ut bonus, optimusque sit motus, oportet eum continuare ad sudoris eruptionem, & corporis gravitatem, & id consequi non potest, quin totum corpus exerceat; tunc talis motus excitat calorem nativum, & absumit omnes corporis cruditates; sed motus non debet esse nimius, quia talis corpus ultro exicat, & debilitat, dissipatque acidum ventriculi: ergo, si motus debitè fiat, valetudinem conservat, & si non debitè, eam officit.

Notare oportet tempus oportunum ad motum: matutinum vero est optimum jeiuno stomacho; sic enim, si quid à prægressa digestione in ventriculo remansit, illud assumetur; at si stomachus non satis fiat vacuus cibis, ante tempus cibus ex ventriculo expulsus humores vitiatos, & obstructiones adfert, & alia incommoda sequuntur.

Quies est cessatio motus summè necessaria ad tuendam valetudinem. Bona est quies moderata, & opportunè instituta, præcipuè post labores; & idcircò dixit Galenus: *Quies laboris remedium est.* Notare oportet, quod non solum est quiescendum post defatigationem, sed etiam, ubi finis nondum chilificationi impositus est. Tamen conducit animadvertere, quod quies malè adhibita vitiosos humores generat, cor-

po-

poris meatus infarcit recrementis, & actiones hebetat.

APHOR. I.

IN motu violento corpus occultè minus perſpirat, quam in aurora, poſt novem, vel decem horas ab aſſumpta cœna.

II.

Quod in motu violento per poros evacuatur eſt ſudor, & perſpirabile occultum, ſed ut violentum magna ex parte elevatur, ex incoctis ſuccis, raro enim tantùm cocti perſpirabilis in corpore colligitur, quantum per violentiam evacuatur.

III.

Sudor ſemper eſt à cauſa violenta, & ut talis (ſicut ſtatica experimenta docent) impedit coctorum perſpirabilium occultam excretionem.

IV.

Longè magis perſpirat corpus in lecto quieſcens, quam in lecto frequenti, & crebra agitatione circumvolutum.

V.

Longo itinere minus defatigantur hilares, & iracundi, quam timidi, & mœrentes: illi enim magis ſalubriter, hi verò minus perſpirant.

VI.

Corpora, quæ à nimio exercitio illicò cibantur læduntur: quia, ut defeſſa, & cibo gravata minus perſpirant.

VII.

Exercitium poſt ſeptimam uſque ad duodecimam horam ab aſſumpto cibo, magis reſolvit inſenſibiliter horæ ſpatio, quam tribus horis alterius temporis.

VIII.

Evacuatio inſenſibilis, quæ fit ab exercitio violento, impedit, ne ſucceſsivé remittatur, quod amittitur: imo ſi eadem perſeveraverit violentia, corpus reddetur adeo leve, ut in pluribus de futura tabe verendum ſit.

IX.

Exercitio corpora leviora fiunt: omnes enim partes, præcipuè muſculi, & ligamenta motu ab excrementis purgantur: perſpirabile ad exalationem præparatur, & ſpiritus tenuiores fiunt.

X.

Motus præparat corpora ad excretionem excrementorum ſenſibilium; & inſenſibilium; quies magis ad inſenſibilium.

XI.

Si corpus à cœna in lecto quieverit duarum horarum curſu optimè perſpiravit: ſi adhuc diutius quieverit, ſtatim incipiet diminui tùm ſenſibilis, tum inſenſibilis excretio.

XII.

Quies longa efficit corpora ægrotantia ponderosiora, tum quia perspirabilia excrementa motu ad excretionem præparantur; tum quia quiete, cibi, & potus, si insoliti sint, vel debitò copiosiores, ut in ægris accidit, non digeruntur, & inde omnia mala, & sæpissimè mortes eveniunt.

XIII.

Si diu jacenti dolores pedum superveniant, remedio est ambulatio, si iter facienti, quies.

XIV.

Duo sunt exercitia, alterum corporis, & alterum animi; corporis, evacuat sensibilia excrementa; animi, insensibilia magis, & præcipuè cordis, & cerebri, ubi sedet animus.

XV.

Nimia animi quies magis prohibet perspirationem, quam corporis.

XVI.

Animi exercitia, quæ maximè faciunt exhalare spiritus, sunt ira, pericaria, timor, & mœstitia.

XVII.

Corpora in lecto quiescentia, vehementi animi motu agitata ut plurimum magis resolvuntur, & levioris ponderis fiunt; quam si animo placido, cum vehementi corporis motu, sicut fit pilæ ludo, agitarentur.

XVIII.

Exercitio nimia excrementa primæ, & secundæ coctionis magna ex parte per totius corporis habitum dispensantur; ideo alvus exicatur; corpora tamen fiunt leviora, quia longe maior est evaquatio insensibilis, quam excrementorum excretio per alvum facta.

XIX.

Exercitium animi, & corporis violentum reddit corpora levioris ponderis, efficit velocem senectutem, & mortem præmaturam minatur; citius enim ex Philosopho moriuntur exercitati, quam non exercitati.

XX.

Exercitium violentum à corpore, cibo, vel crudo succo referto, aufert pondus sensibilium excrementorum minus solitò; insensibilium ferè nihil.

XXI.

Exercitio corpus minus perspirat, somno magis, & magis lubrica redditur alvus.

XXII.

Frictiones, & cucurbitulæ in refertis crudis succis impediunt perspirationem.

XXIII.

Tunc exercitium est saluberrimum, quando post factam primam, & secundam coctionem corpus reducitur bis

in die ante cibum ad consuetum pondus.

XXIV.

Natatio statim post violentum exercitium, mala: valdè enim impedit perspirationem.

XXV.

Exercitium violentum ubi spirat Ventus, malum.

XXVI.

A vento adiapneustia, à motu acrimonia.

XXVII.

Equitatio respicit magis persspirabile partium corporis suprà lumbos, quam infra; inter autem equitationes tolutans saluberrima, sicut sucusans insaluberrima.

XXVIII.

Vectio in lectica, necnon in cymba corpora minus disponit ad debitam perspirationem, quam deambulatio.

XXIX.

Cymbæ, & lecticæ motus, si diu durat, saluberrimus, tunc solum ad debitam perspirationem mirifice disponit.

XXX.

Vectio in curru omnium violentissima est, non enim solum perspirabile incoctum expirare facit, sed etiam solidas corporis partes, & maximè renes offendit.

XXXI.

Saltus primò vires ad intra trahit, deinde ad extra cum impetu propellit, & cum violentia coctum simul cum incocto expellit.

XXXII.

Disci exercitium compositum ex motu moderato, & violento, deambulatione scilicet, & agitatione brachiorum, perspirationi conducit.

XXXIII.

Tripudiatio moderata, & sine saltu, proximè ad deambulationis moderatæ laudes accedit: perspirabile enim coctum moderate expellit.

XXXIV.

Ubi perspiratio in sanis deficit, exercitio sarcitur.

XXXV.

A nimio exercitio fibræ sunt duræ, unde senectus, quæ est universalis fibrarum durities; hæc condensando meatus calorem suffocat: molities aperiendo longævitatem facit.

XXXVI.

Qui vult diutissimè iuvenilem faciem conservare caveat ne sudet, vel nimium præ calore perspiret.

CAPUT X.

DE EXCERNENDIS, ET retinendis cum Aphorismis Sanctorij, qui in sectione sexta continentur.

EXcernenda, & retinenda debent intelligi de aliquibus

bus substantijs, quæ suo tempore debent retineri, donec sese habeant, ut ritè excernantur in tempore determinato ad sanitatem conservandam: & sunt præcipuè: *Fæces alvi, urina, insensibile transpiramentum, menstruum, & semen.*

Si *alvi fæces* non fuerint excretæ suo tempore, procreant colicos dolores, & halitus à stercoraceo evaporamento inducit oris fœtorem, & alia incommoda. Licet notare, quod illæ fæces in statu naturali sunt, utcumque molles, sed cohærentes interim, color est subrûfus, fœtor non nimis gravis.

Urina ubi debitè se habet, necessariò debent in illa adesse tria constitutiva naturalia, ut iam dictum manet in Cap. 14. Tract. 2. Pathologiæ, & in Cap. 34. Tract. 3. Semyoticæ; sed præter hæc etiam in quantitate debet esse proportionata ad assumpta liquida. Verum diutius retenta urina, sive renum, sive vesicæ vitio, sive quod eius substantia serosa à sanguine non satis segregetur, excitat hydropem, paralysim, morbos soporosos, animi deliquia, & alia mala.

Insensibile transpiramentum nisi habeatur, necesse est, ut defedetur cutis, tunc oritur pruritus, scabies, hydrops, febris, &c. Igitur insensibilis transpiratio fit per poros cutis, & per os, oportet notare, & in promptu habere, nos emittere multum in dies per insensibilem transpirationem, quod patet ex inspectione halitus hyemale tempore, ubi in exitu condensatur, item ex eius elisione in speculum, quod statim madescit numerosis guttis; item si stanno nitido, vel alteri metallo imponamus pulpam digiti, mox enim humiditate inficietur.

Menstruum fluere debet mulieribus, quæ iam attingunt annum decimum tertium, & quinquagesimum nondũ transiverunt, nisi gravidæ sint; aut lactantes, in quibus cessat menstrui causa. Verum est, quod in aliquibus tam gravidis, quam lactantibus menstruum fluere solet, ut experientia docet. Animadvertere licet, quod eius quantitas debet proportionari ad sanguinis copiam, & calorem, verum est, quod non potest certa quantitas generaliter limitari, quia alijs multum emittitur, alijs verò parum. Pariter neque omnes ad hunc effluxum impendunt æquale tempus. Aliæ enim absolvunt menstruationem in die secundo, aliæ verò in tertio, & quarto, aliæ denique in sexto, & octavo. Insuper scire licet, quod

quod mulieres, quibus menstruum nimis fluit, debilitantur, deliquia patiuntur, contabescunt, &c. illæ quibus suprimitur, hystericæ fiunt, difficulter respirant, vitiatur color, appetitus depravatur, & contrahunt alia quam plura mala, quia eorum corpora morbosa fiunt; & idcircò Magnus Hypoc. ad nostrum intentum scripsit hunc Aphorismum in lib. 5. *Menstruis largius fluentibus morbi eveniunt, non fluentibus autem ex utero morbi contingunt.*

Semen: hic attinet venus, & si debitè exerceatur conducit ad sanitatem conservandam. Si verò immoderata fuerit nervos, caput, & totum corpus ematiat, debilitatque, spiritus disipat, & vitam mirabiliter abreviat; & ideo Doctissimus Vallesius in lib. 3. epidem. sine ponderatione multum nos docet per hæc verba: *Vix est ullum morbi genus, quod non possit venus nimia facere; nam facit malignas succorum putrescentias, & partium principum debilitates, & nervos emollit, & fluxiones commovet, & cruditatibus replet.*

Pro coronide huius capitis animadvertere oportet, quod exercetur commodissimè venus ab jis, qui sanguinolenti, & habitus pleni sunt; & quidem tempore matutino post somnum, etiam facta digestione, & distributione, tunc enim semen elavoratum est, perfectè, abundansque, & tunc ex eius usu promovetur melius circularis sanguinis motus, & vasorum amplificatio, si venus cum moderatione utatur.

APHOR. I.

Nimia abstinentia à coitu, & nimius usus impediunt perspirationem, sed nimius usus magis.

II.

Post coitum immoderatum quarta pars solitæ perspirationis in pluribus prohiberi solet.

III.

Mala à nimio coitu orta mediate à perspiratione immediatè à læsibus concoctricibus dependent.

IV.

Cognoscitur coitum profecisse, si à sequenti somno nulla sentiatur lassitudo, nec ulla corporis mutatio facta sit in gravitate, vel levitate.

V.

Diuturnæ venereorum cogitationes, modò gravius, modò levius corpus efficiunt; gravius si pleno, levius si vacuo fiant stomacho.

VI.

Post nimium coitum cum muliere, quam maximè concupita,

pita, non sentitur illicò lasitudo: animi enim consolatio iuvat tunc perspirationem cordis, & auget eius robur, unde in ipso, quod amittitur, promptius remittitur.

VII.

Propensi ad coitum, si temperent libidinem illicò succedit corporis agilitas, quia tales melius perspirant.

VIII.

Immoderatus coitus facit perspirare cruda, quæ deinde carnes frigidas efficiunt.

IX.

Coitum non nocuisse hæc indicant; urina æquè cocta, ut ante, corporis agilitas, respiratio facilior, ex idem ferè pondus corporis perseverans; eadem tamen servata eorumque ingeruntur, quantitate, & qualitate.

X.

Præsens vulnus immoderati coitus est stomachi refrigeratio: futurum prohibita perspiratio, unde facile fiunt palpitationes in supercilijs, & artubus, & deinde in membris obtinentibus principatum.

XI.

Coitus in æstate magis nocet: non quia corpus magis perspirat, sed quia noctio cum sit minor, deperditum difficilius resarcitur.

XII.

In actu venereo multum crudi perspiratur, & si diu duret, cruda transferuntur à centro ad corporis ambitum, fiunt obstructiones, & inde alvus supprimitur.

XIII.

Quanto quis maiori coeundi cupiditate conflagrat, tanto eius usus immoderatus minus lædit.

XIV.

Coitus immoderati detrimentum præcipuè manifestatur post somnum sequentem; tunc enim staticis experimentis cognoscitur perspirationem esse impeditam, & cibum esse male digestum, necnon stomachum valdè læsum.

XV.

Coitus lædere solet primam coctionem, primò diminuendo perspirationis promptitudinem, deinde in crudam qualitatem convertendo cibum.

XVI.

Qui coitu utitur, & sperma non emittit, minus debilitatur: Itidem si die sequenti utatur, & emittat, quod die præcedente fuit præparatum, minus debilitatur.

XVII.

Illi qui coeundo sperma ex studio non emittunt, in tumorem testiculorum facile incidunt; sperma enim est imperspirabile.

XVIII.

Coitus immoderatus post stomachum lædit magis oculos.

XIX.

Coitus immoderatus lædit visionem, quia ab oculis subducit maximam spirituum copiam; inde tunicæ oculorum prædura, & rugosæ, necnon meatus minus pervij redduntur.

XX.

A diminuta perspiratione fibræ tunicarum oculorum opastiores, inde visio fit per spatia perexigua, qualia sunt in cancellis: Specilla uniunt obiecta in cuspidem, ut distinctè per unum solum spatium videatur.

XXI.

A coitu immoderato diminuitur calor naturalis; à diminuto calore diminuta perspiratio; à diminuta perspiratione flatus, & palpitatio.

XXII.

Coitus immoderatus postulat cibos paucos, & boni nutrimenti.

XXIII.

Coitus calefacit jecur, & renes, quia excitatus calor minus exalat: refrigerat verò stomachum, cerebrum, & cor, quia permeatus patentiores excitatus omninò, & proprius aliqua ex parte propterea resolvitur.

XXIV.

Hinc coitus immoderatus in hepete bilem, in renibus nephriticum affectum, in stomacho crudum succum, in cerebro catarrum, & in corde palpitationem, & sincopem producit.

XXV.

Edulia post nimium coitum si flatus gignant, ut ostracea, & mustum, pernitiosa: impediunt enim, ne ad consuetum pondus corpora reducantur.

XXVI.

Macilentis magis nocet coitus, quia magis calefiunt, & magis refrigerantur.

XXVII.

Coitus immoderatus illicò maximè leve efficit corpus, quamvis deinde perspirationem prohibeat; est enim vehemens corporis, & animi motus; corporis, quia omnia membra conquasantur; animi, quia resolvitur, quod coligat animum corpori, spiritus scilicet vitales.

XXVIII.

Si post coitum somnus laborem faciat, ex coitu maior facta est ablatio, quam ex somno facta sit vitalis spiritus additio.

XXIX.

Post nimium coitus usum, somnus trahit cruda ad cor; unde languor, prohibita perspiratio, & ponderis augmentum.

XXX.

Senes ex usu moderati coitus fiunt ponderosiores, & frigidiores; juvenes verò leviores, & calidiores.

XXXI.

Coitus in juvenibus animalem, vitalem, & naturalem facultatem roborat, animalem per motum expurgat; & sopitam excitat; naturalem per evacuationem superflui, & vitalem per lætitiam.

XXXII.

Cibus copiosior solito, post immoderatum coitum interimeret ni succederet aliqua ciborum corruptela.

XXXIII.

Dum est coeundum, parum vel nihil comedendum; dum est comedendum, parum, vel nihil coeundum.

XXXIV.

Si post coitus excessum nulla persentitur lasitudo, malum; id perinde, ac in phreniticis fit ab incensis spiritibus, qui exicando, brevi spatio roborant nervios, & tendines; & paulòpost imminuitur spirituum generatio, & vires derepente cadunt.

XXXV.

Coitus iuvat excitatus à natura: à mente mentem, & memoriam lædit.

XXXVI.

In debili ob coitum augetur corporis pondus, quia minus perspirat.

XXXVII.

Coitus importunus impedit perspirationem, quia minuit, unde corpus fit maioris ponderis; nisi sequatur alvi fluor.

XXXVIII.

Nimius coitus calefaciendo, & exicando magnam jacturam facit: Si verò insensibili perspiratione remittatur caliditas, & alimento siccitas, nullam.

XXXIX.

Corporis agitatio in coeundo, instar canum magis nocet, quam seminis emissio: hæc solum viscera, illa omnes nervos, & viscera defatigat.

XL.

Usus coitus à cibo, & stando lædit; à cibo viscerum officia divertit; stando masculus, & eorum utilem perspirationem diminuit.

XLI.

Post motum, coitus insalubris: post cibum non ita; post somnum saluberrimus.

XLII.

Coitus calefacit jecur, & refrigerat stomachum; à stomacho crudus succus; à jecore bilis; unde porracea, & oris morsus, remedio est victus tenuis, & libera perspiratio.

)(§)( )(§)(

CAPUT XI.

DE ANIMI PATHEMATIbus cum Aphorismis Sanctorij, qui in sectione septima continentur.

Animi patemota, *seu passiones, seu affectiones sunt illi impetus, seu motus animæ subinde ob vehementes*, vehementius, aut *levius afficientes nostrum corpus, & ad vitam conservandam necessarij.* Necessum enim est sanguinem, & spiritus non semper moveri eodem modo, sed modò magis, modò minus, tum ut sic vires, & calor conserventur, vel recuperentur, vel fiant vegetiores, tum etiam ut motubus istis assueti non ita facile lædamur ad maiores, vel minores motus sanguinis, & spirituum.

Notare oportet, quod non quælibet affectiones sunt cuilibet bonæ, vel malæ; nam lætitia multum prodest melancholicis, quibus mali sunt timor, & mœror. Sic pituitosis irasci subinde bonum, ut sic eorum debilis calor corrigatur, biliosis autem nocet.

Animadvertere licet, potissimum omnes passiones nasci ex apprehensione quadam boni vel mali præsentis, vel futuri: ita ex apprehensione boni præsentis procedunt *lætitia, invidia, & malevolentia*: Ex apprehensione boni futuri oriuntur *spes, amor, & ira*: Ex mali præsentis apprehensione nascitur *mœror, tristitia, & misericordia*: Oritur ex apprehensione futuri mali *metus, pudor, & desperatio.*

In præsenti capite tantum loquar de præcipuis animi affectionibus, quæ sunt: *Lætitia, tristitia, ira, amor, odium, invidia, timor, pudor, spes, & desperatio.* De his tantum, quia ad has animi affectiones reducuntur plures aliæ, ad quas similes resultant in corpore affectus, & quorum conformis est danda ratio; v. g. talis est malevolentia, quæ est aversio, & quædam anhelatio unius ab altero: mœror, qui est dolor ex morte alterius; misericordia, quæ est dolor ex mali apprehensione, quod alteri accidit, &c. qui de his plura desiderat scire, phisicam volvat, & evolvat.

Facta iam prædicta animadversione transcendamus, ad explicandas seorsim præcipuas animi affectiones assignatas. *Lætitia est delectatio ob bonum, quod apprehendimus nos adeptos.* Hæc animi passio præ reliquis ad sanitatem conducit saltem si moderata sit; siquidem in ea spi-

spiritus grato modo, tum in cerebro, tum extra illud in omnes nervos prosiliunt, præsertim in nervos cordis, & constrictioni vasorum dicatos, quo ulterius fit, ut sanguis propellatur per corpus grato motu, & omnes partes blando calore suffusæ exultent quasi.

Nimia veró lætitia est imò subinde enecavit, nimium scilicet spiritibus per eam irruentibus in fibras cordis.

Tristitia est dolor ob malum, quo apprehendimus nos affici. Scire licet, quod in tristitia valdè debiliter moventur spiritus, tum in cerebro, tum in nervis, quo fit, ut etiam influant languidius in nervos cordis, illudque non satis vivaciter constringatur ad propulsionem sanguinis: Hinc ulterius à sanguine stagnante, aut segnius moto circa cor sequitur gravitas pectoris, & quasi suffocatio, & subinde mors sanguine coagulato in suis vasibus, ut die præterito accidit cuidam litiganti, qui suffocatus repentè obit, propter magnam tristitiam, in qua incidit, quia per sententiam perdidit quoddam letigiū, cuius casus testis est socius meus Doct. D. Franciscus Ildephonsus, Celeberrimæ Universitatis Complutensis.

Ira est appetitio vindictæ ob apprehensionem iniuriæ illatæ. Spiritus solent in ira violenter commoveri in cerebro, & per vices ex cerebro explodi in nervos. Est verò ira ferocissima inter reliquas animi affectiones, & non solum fecundissima infinitorum malorum mater; ut alvi fluxus, doloris capitis, febris, epilepsiæ, palpitationis cordis, & sincopis; verum etiam repentinæ mortis, ut multoties accedit in illis, qui non potuerunt vindictam actualem habere.

Amor est appetitio obiecti, quod apprehendimus ut bonum, & conveniens. Oportet scire, quod in amore jucundo motu agitantur sanguis, & spiritus, tam intra, quam extra cerebrum; & ideo corpus paululum fit calidius, & pulsus non nihil mutatus ad velociorem, & vivaciorem.

Odium est apprehensio obiecti, quod apprehendimus, ut nocens, vel inconveniens. Ideo effectus contrarij odio comittari assueverunt, ac in amore. *Invidia est tristitia de bono alterius simul cum lætitia de eiusdem malo.* Notare licet, quod in corpore invidi observantur effectus similes illis, qui habentur in lætitia, & tristitia.

Timor est animi demissio ob apprehensionem mali imminentis. In hac animi passione sanguis propellitur valdè abruptim, quia

quia animales spiritus, quasi in cerebro sistuntur, aut retardantur, unde statim apparet pulsus rarus, frigidus sudor, pallor, & impotentia ad motum, & non rarò sequitur mors.

Pudor est magna opinio, seu apprehensio scandali. Hic spiritus valdè inæqualiter excurrunt in nervos, modò enim veluti in cerebro fixi sunt, undè modò facies pallet, modò rubet; & quia gravitèr cor, & cerebrum afficiuntur à pudore, sæpe hæc affectio solet esse auctor mortis, prohibita circulatione sanguinis ad vitam continuandam.

Spes est appetitio boni futuri tanquam quidem adquisitu ardui, sed possibilis: In hac affectione tam in cerebro, quam extra illud spirat placidissimus ventus spirituum. *Desperatio est affectio orta ex apprehensione boni, quod adquisitu iudicamus impossibile.* In ista passione spiritus cerebro quasi incarcerati cor per vices, ut debent, non satis constringunt, sed sanguis in eo, & vicinis vasibus, veluti stagnans, facit ingentem coarctationem cordis, & sensuum quasi puncturæ.

)o(

APHOR. I.

INter affectus animi, ira, & pericaria corpora efficiunt leviora, timor, & moestitia graviora: cæteri verò affectus, ut his participantes operantur.

II.

Moerore, & timore persspirat levius, ponderosius verò relinquitur; lætitia, & ira utrumque.

III.

Hinc timentes, & moerentes facile obstructiones partium duritiem, & affectus Hypocondriacos patiuntur.

IV.

Qui ira, vel lætitia afficiuntur, nullam in itinere defatigationem persentiunt; eorum enim corpora facile crassum perspirabile exhalant: quod non accidit; dum moerore, vel timore vexamur.

V.

Perspirabile ponderosum plus iusto retentum ad moestitiam, & timorem; leve verò ad lætitiam, vel iram dispònit.

VI.

Nihil magis reddit liberam perspirationem, quam animi consolatio.

VII.

Moestitia, & timore facile membra humore referta durescunt.

Moes-

VIII.

Mœstitia,& timor impediunt perspirationem crassorum excrementorum perspirabilium: & perspiratio impedita à quacumque causa mœstitiam,& timorem facit.

IX.

Mœstitia, si diu durat, carnes frigidas facit: impedit enim ne perspirabilium crassa, & frigida portio exhalet.

X.

Hinc febris, quæ post longam mœstitiam suboritur, sudores frigidos, & ut plurimum læthales,moritur.

XI.

Acrimonia perspirabilis retenti ob mœstitiam commodè aufertur à pericharia; funduntur enim humores suaves, & deinde à corpore pondus, & acrimonia tolluntur.

XII.

Ira, & spes auferunt timorem, & lætitia mœstitiam; passio enim animi non medicinis, sed alia passione contraria superatur; contraria enim sub eodem genere.

XIII.

Non implicat perspirabile melancholicorum retentum esse frigidum; & acre, seu calidum; tale est jecur hidropicorum febricitantium; frigidum videlicet respectu caloris naturalis; calidum respectu adventitij.

XIV.

Morbi à melancholia, & ab aere cœnoso in hoc conveniunt, quod immediate oriantur à crassitudine perspirabilium retentorum; mœstitia enim intrinsecus impedit, ne exeat crassum: aer cœnosus, extrinsecus. XV.

Qui eunt cubitum cum mœstitia, nocte minus perspirant; atque die sequenti corpora eorum conservantur solito ponderosiora. XVI.

In meditationibus venereis cum mœstitia excrementorum perspirabilium portio crassa retinetur: quæ evolante tenuiore, adhuc crassior, & frigidior fit; hæc si coligatur ferè invencibilem inducit frigiditatem in capite, palpitationem curatu difficilem in corde, vel in alijs membris.

XVII.

Melancholia duplici via superatur, vel libera perspiratione, vel aliqua continua animi consolatione.

XVIII.

Si post mœstitiam corpora fiant leviora, quam post lætitiam, id ex necessitate fit, vel ob minorem ciborum quantitatem, vel ob eorum qualitatem magis transpirabilem.

XIX.

Animi consolatio; quacumque de causa fiat, appe-

rit

rit meatus, & largam perſpitionem facit.

XX.

Si poſt iram ſtatim animi ſequatur conſolatio, vel vice verſa, corpora data paritate eorum, quæ ingeruntur, die ſequenti fiunt leviora, quam ſi ſola ira, vel lætitia perſeveraret.

XXI.

Sicut magna aliqua voluptas aufertur per exiguam ſpermatis evacuationem, ſic omnes alij immoderati animi affectus per aliquam evacuationem perſpirabilium poſſunt diminui, & auferri.

XXII.

Timor, & mœſtitia, ut ex ſtaticis colligitur per evacuationem excrementorum craſiorum perſpirabilium: ira, & pericharia per tenuium auferuntur.

XXIII.

Si quis ſine cauſa ſentiat ſe hilarem id à magis apperta perſpiratione fit, & eius corpus die ſequenti minoris ponderis invenitur.

XXIV.

Lætitia moderata inſenſibiliter evacuat ſolum ſuperfluum: immoderata ſuperfluum, & utile.

XXV.

Moderata iuvat coctrices facultates; natura enim non gravata ſuperfluo longe melius ſuorum officiorum munera explet.

XXVI.

Improviſum gaudium magis nocet, quam præviſum: non enim ſolum movet exalationem excrementorum tertiæ coctionis, verum etiam ſpirituum vitalium, præviſum verò excrementorum tantum.

XXVII.

Lætitia, & ira auferunt è corpore, quod ponderat, & levitat; mœſtitia, & timor ſolum quod levitat: quod ponderat verò, relinquitur.

XXVIII.

Lætitia perſeverans per multos dies ſomnum impedit, & vires diſolvit.

XXIX.

Si quis poſt moderatam lætitiam ſentiat ſe leviorem, id non oritur principaliter à totius evacuatione, ſed à cordis, & cerebri, ubi quod evacuatur, eſt mole minimum, & virtute maximum.

XXX.

Edulia, quæ aperiunt, gaudium, quæ verò impediunt perſpirationem, mœſtitam movent.

XXXI.

Selinum, & cætera aperientia, gaudium: legumina, carnes pingues, & cætera incraſſantia, & ſtatim replentia mea-

meatuum cavitates, mœstitiam inducunt.

XXXII.

Si evacuentur cavitates meatuum, & deinde statim repleantur, rectè dixit Hypoc. malas animi pasiones fieri.

XXXIII.

Quibus prædominatur ira, exercitium immoderatum valde nocet: citissime enim illorum meatus fiunt cavi: & magno impetu replentur; unde Hypoc. in biliosis frictiones, & palæstram vituperat.

XXXIV.

In otioso corpore, & animo, meatus non redduntur cavi, nec malæ animi pasiones fiunt.

XXXV.

Corpus quiescens magis perspirat, & minoris ponderis fit, si animo vehementer agitetur, quam si celerrime corpus moveatur, animo permanente otioso.

XXXVI.

Mutatio corporis diutius alterat animum, quam ipsum corpus.

XXXVII.

Pasiones animi versantur circa internum subiectum, quod magis movet, quam movetur; quippe molle minimum, & virtute maximum adinstar seminis; quodque vario modo dispositum perspirationis, seu gravitatis, & levitatis est origo.

XXXVIII.

Corpora, quæ perspirant plus solito, non propter motum corporis, sed propter vehementem aliquem motum animi, maiori cum difficultate ad solitam, & salubrem perspirationem reducuntur.

XXXIX.

Magis nocet nimius animi affectus, quam nimius corporis motus.

LX.

Corpus marcesceret, & otio periret sine animi motu: sed non vice versa.

XLI.

Motus vehemens animi differt à motu vehementi corporis; hic quiete, & somno; ille nec quiete, nec somno cessat.

XLII.

Qui vehementer ludo lucrari cupiunt non ludant, qui si semper vicerint ad perichariam ducent noctes in somnes, & tandem coctorum perspirabilium exhalationem amittent.

XLIII.

Victoria moderata salubrior, quam gloriosa.

LXIV.

Studium in affectuum animi mutatione diutius toleratur, quam sine affectu, vel sine affectuum mutatione; perspiratio enim fit moderatior; & salubrior.

Stu-

XLV.

Studium abſque animi affectu vix horam perſeverat ; cum unico affectu vix quatuor horas;ut in ludo alearũ accidit (in quo modò gaudium ob lucrum, modò mœſtitiam ob damnum experiuntur) die noctuque perſeverare poteſt.

XLVI.

In omni ſtudio perennis triſtitia bonam cordis conſtitutionem evertit , & exceſſus lætitiæ ſomnum evertit , omne enim nimium naturæ inimicum.

XLVII.

Nunc hilares, nunc mœſti, nunc iracundi , nunc timidi, perſpirationem magis ſalutarem habent , quam qui unico, licet bono ſemper gaudeant affectu.

XLVIII.

Lætitia diaſtolem , & ſyſtolem efficit faciliores : mœror verò, & mœſtitia difficiliores.





TRACTATUS QUINTUS.

DE THERAPEUTICA.

CAPUT I.

DE METHODO MEDENDI IN genere.



METHODUS in communi, latiori significatione sumpta, *est ordo servandus in rebus agendis, aut in scientijs, ac artibus inveniendis, atque tradendis.* Sciant Practicantes, quod Methodus non invenitur, nisi inter plura, imo inter illa, quæ secundum prius, aut posterius debent disponi, ac ordinari, ut rectè cognoscantur, sciantur, aut agantur: Quod enim unum est sine ulla Methodo adducitur, atque inspecta tantum eius natura, sive essentia, veluti est in se, & secundum eius prædicata essentialia valet cognosci, quæ verò res plures sunt in se involvunt obscuritatem, nisi disponantur iuxta debitum ordinem.

Hoc iam supposito aggredior ad enodandum quid Methodus medendi sit: *Est via generalis cunctis particularibus communis Methodi, artificiosa, certa, & exacta inveniendi per indicationes, quo genere remediorum in qualitate, copia, tempore, & utendi modò morbo cuique sit medendum.* Et ideo Discipulis meis brevissimè dicebam Methodum generalem esse illam medicinæ partem, quæ Therapeutica vocatur alio nomine, qua per indicationes inveniuntur remedia ad generaliter curandas primas tres morborum species, videlicet similarem, or-

organicum, & communem, seu insoluta unitate.

Insuper scire licet, quod Methodi medendi essentia consistit in acurata inventione remediorum, artifitiosaque eorum applicatione; taliter ut rationale judicium unicè doceat Medicum uti legitima Methodo medendi, considerando indicationem, indicans, & indicatum. Omnes igitur, quibus medendi Methodus obscura, & incognita sit, fugiunt omnia suprà prædicta; igitur Methodus medendi docet, tutò, celeritèr, & iucundè curandum esse: tutó quidem ne Practicantes lædant, neque quid temere aggrediantur, ideſt, sine consilio amplexa temeritate; citò, ne vires ægrotantis enerventur morà remediorum exhibendorum; iucundè tamen, ne natura defessa pondere remediorum, ipsorum onera substinere insuficiens redatur; sicque facilitate potius, quam vi suo muneri Medicus, qui Methodo utatur, satisfaciet.

Duplex est Methodus medendi: Generalissima, & peculiaris. *Generalissima est, quæ adducit comunia præcepta, quibus curari possunt, quæcumque genera morborum.* Sic ista Methodus generalissima nobis ostendit remedia, quæ opportuna sunt morbis similaribus, & quæ organicis, quæque communibus. *Pecularis* Methodus est, quæ docet modum, quo singulæ morborum species solvendæ sint in singulis partibus corporis.

Pro calce huius capitis animadvertere oportet Practicantibus omnia, quæ notare debent in primò accessu ad ægrum. Antequam pulsus, & urina considerentur, inspiciant colorem faciei, ut ex illo veniant in cognitionem humoris in corpore redundantis; post ex ægro, vel adstantibus quæratur quot iam diebus incepit ægrotare, ex qua causa, seu occassione, & quæ patiatur; an plurimis cibis, aut potionibus usus sit, & præsertim valde nutrientibus, quos motus exercuerit, quas excretiones habuerit, & an præter consuetudinem retentæ sint, ut vomitus, diarrhea, periodica evacuatio sanguinis per nares, aut per hemorroidas, aut per uterum. Etiam attendenda est consuetudo, dum æger sanus erat, non solum in victu, verum etiam in vestitu, laboribus, somno, vigilia, rebus venereis, & mente, &c. ideoque aliqui ægrotantes magis ratione officij periclitantur, quam alij; pono exemplum in Agricolis, in fabriferrarijs, & in alijs, quorum corpora, quia multum se-

se exercent, & laborant, fiunt densa, qui dum pleuritide, aut peripneumonia corripiuntur, citius interimunt, & pauci liberantur, quam ignavi homines, seu parum laboribus dediti.

Tamen Practicantes considerare debent ægroti sexum, ætatem, temperamentumque, & etiam anni tempus, & simul temperiem populi. Inspiciant etiam formam decubitus, & an æger sit inquietus, & cum anxietate, non minusque inspicient facilitatem, aut difficilitatem respirandi. Veruntamen interrogare debent an morbus cæpisset cum rigore, horrore, aut cum extremorum refrigeratione; & si post rigorem sequutus fuit calor ingens, aut aliquis sudor, aut nauxea, aut vomitus; si habet ardorem, & mordicationem in ventriculo, si sentit amaritudinem oris, aut alium saporem præternaturalem; si habet sitim, & inapetentiam cibo; si tusit, si eructat acidè, aut nidorosè, si sentit dolorem in capite, aut in alia quavis parte corporis. Etiam inquirat an alvus sit aperta, aut retenta, aut immodicè fluat; an æger vigilet, aut dormiat, an ratio libera sit, tamen inspiciat cutim ad observandum si in illo apparent aliquæ punticulæ, aut maculæ; etiam inspiciat linguam, ut eius color agnoscatur; simulque tangatur ad distinguendam eius molitiem, duritiem, asperitatem, suavitatem, viscositatem, &c. Et ultimò per tactum explorent hipochondria, ut agnoscant, an sint molia, dura, & tensa, aut dolorosa. Consideratis iam suprascriptis circunstantijs transeant ad ponderandum signum, ut veniant in cognionem morbi, non solum in genere, sed in specie; ad hoc ut valeant occurrere, & curare, non solum cum *Methodo generalissima*, *sed peculiari*, *seu speciali.*

CAPUT II.

DE CURATIONE, ET DE eius differentijs.

Curatio est mutatio præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum. Dividitur curatio in curationem simpliciter, & in non simpliciter: *Curatio simpliciter*, seu absolute sumpta est, quæ solum respicit morbum, & ei contrariatur. *Curatio non simpliciter* est, quæ respicit tam morbum, quam eius causam.

Tripliciter etiam curatio in communi debet considerari, videlicet cita, tuta, & iucunda: *Cita curatio* est, quæ per

re-

remedia efficatia fieri debet: *Curatio tuta* dicitur illa, quæ per remedia probata fit sine metu recidivæ. *Iucunda curatio* appellatur, quæ fit per remedia grata, quantum est possibile.

Veruntamen duplex est curatio, regularis, & coacta: *Curatio regularis* est, quæ fit secundum regulam à modo existendi ipsius morbi dessumptam cum minori incommodo ægrotantis, v. g. curatio regularis est, ut in accessionibus febrium intermittentium non cibetur æger; nisi quartuor, aut sex horis ante earum eventum: etiam propter curam regularem in principijs febrium putridarum non purgatur æger, quia materia est cruda. *Curatio coacta* est, quæ non fit secundum modum essendi morbi, & sine maximo incommodo ægri propter urgentiam, v. g. quando in accessione febris tertianæ utitur alimento, dum timetur magna virium exolutio, contra regulare præceptum Hypocratis, & Magistri Galeni; & quando urgentia cogit Medicum ad expurgandum ante coctionem, interturbando ordinem, & regularem doctrinam, quæ præcipit crudam materiam expurgandam non esse, quin prius sit cocta in nocitivo.

Ultimò dividitur curatio in præservativam, perfectam, & paleativam. *Curatio præservativa* est illa, quæ fit ad præcavendum, ne natura incidat in morbum determinatum, v. g. dum quis præservatur à febre tertiana in æstivo tempore, si expurgatur in vere, & utitur alterantibus refrigerantibus, & absorventibus, &c. & quando hanc methodum non sequitur, certo corripitur prædicta febre intermittente. *Curatio perfecta* appellatur, quæ radicaliter morbum destruit, & eius vi integrè sanitas amissa restauratur.

Curatio paleativa est, quæ perfectè non curat, & de illa utimur tantum in morbis, qui ex sua natura incurabiles sunt, quamvis adhibeantur tria genera remediorum, videlicet Dietetica, Pharmaceutica, & Chyrurgica, de quibus agunt illæ tres partes Medicinæ, sed citius ægros interimunt, si adhibentur auxilia, per quæ curatio perfecta, seu radicalis fit.

Essentia curationis Paleativæ consistit in eo, quod morbus incurabilis non intendatur, nec exasperetur, sed potius mitescat, & minori cum noxa lædat ægrotanti; igitur si cum auxilijs radicalibus æffrenatur, tunc interimit ægrotantem, qui naturaliter longo tempore vivendi aptus erat: Et ideo Dis-

ci-

cipulis meis semper moneo, ut in promptu habeant, quod quæ efficiuntur in Medicina ad curationem, prudenter faciant, & tamen finem respiciant: Pono exemplum in cancro ulcerato existente in mamma, qui dum est nimis infiltratus, & adhæret costis, & alijs partibus vicinis, non est secandus, neque urendus, quia nullam aliam curationem admittit, quam paleativam: idcircò inter Neotericos Antonius Nuck in suis experimentis sequentia verba scripsit: *Ubi tumor cancrossus ita se extendit, ut partes quoque vicinæ, potissimum glandulæ axilares malè afficiantur, nunquam extirpatio erit instituenda.*

Pro coronide huius capitis animadvertere oportet circa tres assignatas partes, in quas dividitur Therapeutica: *Dietetica* videlicet est, quæ præscribit necessariam victus rationem, quo verbo non solum comprehendit cibum, potumque; sed etiam omnes sex res non naturales, & quia hæc pars prima Therapeuticæ est non parvi momenti Hypoc. Magnus scripsit de ea tres libros. Pharmaceutica est pars, quæ agit de medicamentis intra, & extra corpus admotis, Chyrurgica est tertia pars, quæ morbis medetur manuum operatione, & hac ratione eam appellamus operationem manualem.

CAPUT III.

DE INDICATIONE, ET de eius differentijs.

I*Ndicatio est comprehensio rei juvantis simul cum comprehensione nocentis sine ulla experientia, & ratiocinio.* Sine experientia dicitur, ut excludatur insinuatio agendorum, qua utuntur Empirici, qui in earum curationibus fortuna, & casu indigent. Particula sine ratiocinio ponitur in definitione ad reijciendas quascumque conjecturas incertas, aut dubias, è quibus nonnunquam aucupamur curationem alicuius morbi incogniti.

Ut Practicantes rectè inteligant assignatam definitionem, scire debent; quod indicatio, & ratiocinium differunt maximè, in eo quod indicatio ex natura rei perspecta emergit, ratiocinium verò ex eius proprietatibus ac accidentibus; & ideo sæpè ratiocinium summopere confert ad indagandam naturam rei, ex qua tandem pullulat indicatio, non autem ex ratiocinio.

Prius scire licet hunc axioma: *Contraria contrarijs curan-*

rantur, *similia similibus conserventur*, ut rectè fiat divisio indicationis; igitur est unius ex altero illatio: Ex hoc infertur, quod primò rectè dividitur indicatio in curatoriam, & conservatoriam: *Curatoria indicatio est per quam deliberamus de remedio, vel de aliquo illius scopo contra res præternaturales.* Et ut ritè desumatur, Medicus considerare debet gradus contrarietatis, ut res præternaturalis auferri posſit per contrarium; nam ita poteſt juvare, & non nocere, v. g. si morbus eſt calidus, ut febris ardens, indicatione comprehendimus curari medicamentis, & alimentis frigidis, & noceri calidis; id verò comprenditur tantum ex natura rei, & non ex ratiocinio, neque experientia.

Veruntamen ut exactè fiat, notare debeo Practicantibus, quod pars affecta alteretur per sua contraria, non tamen nimis: sic cerebro, v. g. remedia nimis frigida, & ſtupefacientia ſunt valdè inimica; nervis acida offendunt; pectori, quæ sunt frigida, acida, adſtringentia, vel nimis ſicantia multum nocent, ſicut oculis acria, & fumoſa; & ultimò aſſero, quod omnia remedia nimis calida, frigida, vel potentia volatilia cordi non parvam offenſionem inferunt.

Indicatio curatoria dividitur in propriam, & communem: *Propria*, seu *specifica* eſt illa, quæ ſumitur ab aliqua re propria, & ſpeciali, v. g. indicatio, quæ ſumitur à propria natura, à morbo peculiari, à regione ſpeciali, & à proprio anni tempore. Omnes iſtæ indicationes ſunt propriæ, quia non genericè, ſed tantum ſpecificè per eas comprehendimus ex natura rei, quid peculiariter iuvet, & quid ſpecialitèr noceat: hoc evidentiſsimum eſt, & dignum magnæ conſiderationis, quia Medicus comprehendere debet, quod non curat hominem univerſalitèr, ſed tanquam propriam, & ſpecialem naturam Joannis, Petri, Franciſci, &c. *Communis*, ſeu *generica indicatio* eſt, quæ ab aliqua re communi aſſumitur; ut illa, quæ accipitur à morbo abſolutè; nam omnes morbi habent communem indicationem, ſcilicet eorum ablationem, & omnes febres tamen universè habent genericam indicationem, videlicet refrigerationem.

Indicatio curatoria ſubdividur in ſimplicem, compoſitam, ſeu complicatam: *Simplex indicatio* eſt, quæ ab una re tantum ſimplici ſumitur, ut ea, quæ ſumitur ab intemperie calida, quippe ſimplex morbus in temperaturam habet curationem adhi-

adhibitis remedijs contrarijs qualitati excedenti. *Composita* dicitur illa, quæ desumitur à re composita, v. g. si morbus dependet à bile redundante, tunc multa indicat, duntaxat refrigerationem propter eius calorem; humectationem propter siccitatem, obtusionem, ob eius acrimoniam, & mordacitatem, etiamque indicat evacuationem propter eius redundantiam.

Composita, seu complicata indicatio dividitur in concordes, contrarias, & partim concordes, & contrarias indicationes: *Concordes* dicuntur, quæ in unum consentiunt, v.g. si Joannes sit natura frigidus, ætate frigida, assuetus alimentis frigidis, inspiret ambienientem frigidum, & febre corripiatur, tunc multæ sunt indicationes, & quia concordes in unum consentiunt, & ideo indicant esse utendum remedijs frigidis.

Contrariæ indicationes sunt illæ, quæ indicant contraria, & disonantia, ita ut, quod unum iuvat, alteri noceat: Verum Medicus indiget maxima prudentia ad deliberationem rectam, ut anteponatur, vel postponatut ista, vel illa indicatio; & idcircò primò æstimandum est, à quo maximè discrimen ægro impendeat; secundò quid obtinet rationem causæ: tertiò verò, quid sanari ante aliud, & quid non posit, nam in huiusmodi complicatione variarum, ac contrariarum indicationum sciant Practicantes curationem incipiendam esse ab eo, à quo maximum discrimen impendet, & morbus semovendus est, qui obtinet rationem causæ; quæ dicitur propiè causa sine qua non, quæ etiam continens appellatur; & ultimò loco curandum est id, quod non potuit semoveri, ante quam omnia prædicta facta fuerint. Ob id Magister Galenus in lib. 7. meth. medend. ad nostrum intentum ita animadversit: *Curandorum ordo præscribit quid ante quod, vel quid cum quo, vel quid post quid sanari posit.*

Indicationes partim concordes, & partim contrariæ, vocantur illæ, quæ in unum consentiunt, & in aliud contrariantur: pono exemplum in muliere, quæ angina cinanche corripitur, & simul patitur supresionem evacuationis menstrualis; hìc inveniuntur compositæ, seu complicatæ indicationes, quæ partim sunt concordes, & partim discordes; concordes sunt, quia ex natura rei indicant sanguinis misionem; sunt contrariæ, quia variant locum ex quo venæ sectio debet celebrari; igitur ab angina compre-

prehendimus sanguinis missionem debere fieri ex cubito; & ex retentione mensium comprehenditur, quod venæ sectio celebrari debet ex talo: in hac contrarietate Practicantes attendere debent ad urgentiam, quia dum hæc adest, curatio coacta anteponi debet regulari curationi: ergo quia promptissimè imminet periculum suffocationis, ob urgentiam anteponi debet indicatio secandi venam ex cubito.

Notare oportet, quod indicatio curatoria dividitur ab aliquibus in inartificiosam, & artificiosam: *Indicatio inartificiosa* est illa, quæ noscitur ab alijs, quam artificibus, & ab ipso vulgo. *Artificiosa indicatio* est, quæ tantum noscitur ab artificibus, & indiget magno artificio, ut agnoscatur, quia propria est Methodi medendi, & ideo, qui non sunt artifices, neque ipse vulgus hanc indicationem innotescere valent. Etiam licet notare, quod datur alia species indicationis, quæ vocatur mitigatoria, & est illa, quæ docet modos, quibus simpthomata urgentia sunt mitiganda, seu remittenda; & ideo tam per Priscos, quam per Neotericos, hæc indicatio appellatur correctoria, quod infertur ex indicationibus, in quibus ordo curandi consistit; igitur ultima indicatio curatoria cuiuslibet morbi semper respicit simpthomatum correctioni.

Indicatio conservatoria, seu non curatoria est, quæ tantum respicit ad conservandas res naturales per similia, v. g. illa indicatio, quæ sumitur à viribus; nam vires per se tantum indicant earum custodiam, & conservationem, & ideo oculus dexter Medici in curatione morborum ad vires inspicere debet, oculus vero sinixter ad morbos, quod iam animadversit Magister Galenus in eius Method. medendi, ut notissimum est illis, qui magna cura eius Methodi libros evolverint.

CAPUT IV.

DE INDICANTIBUS IN communi, & de coindicantibus.

INdicans est, quoddam agens permanens in corpore, quod per propriam naturam, & essentiam indicat auxilium ad sanitatem amissam restituendam. Notandum est, quod indicantia vera sunt duo, scilicet morbus, & causa morbi, quia indicatum morbo, & eius causæ opponitur.

Indicans dividitur in genericum, & specificum: *Indi-*

cans genericum est, quod suprà manet definitum: *Specificum indicans* est, quod remedium indicat ab specie causæ; & ideo Magister Galenus in lib. de Optima secta, ita loquitur: *In eodem affectu eundem locum vexante, pro differentia causarum, differente curatione homines indigent.* Pono exemplum in colica biliosa, in pituitosa, & inflatulenta; igitur unum indicatum non confert ad trium specierum curationem, quia necessaria sunt tria indicata specifica; ergo necessario adesse debent alia tria specifica indicantia.

Etiam dividitur indicans in verum, & improprium. *Verum*, seu *proprium indicans* est, in quo inveniuntur quatuor conditiones simpliciter necessariæ. *Impropium indicans* est in quo non conspiciuntur omnes conditiones veri indicantis. Animadvertere oportet quatuor conditiones, ut verum indicans sit: *Prima* ut corpus afficiat: ergo morbus indicans est, quia corpus afficit: *Secunda*, quod in corpore existat, maneatque, & ideo auxilia eidem corpori debent adhiberi, & inhæreri, ut restituatur sanitas ad pristinum statum: *Tertia*, ut intelectui sit notum; igitur quidquid indicat nos ducit in cognitionem indicati, quia quod ignotum est, non valet insinuare cognitionem alterius: *Quarta* est, quod non indicet, nisi unum, quia unum tantum indicatur ab uno.

Triplex est etiam indicans: duntaxat curatorium, conservatorium, & mitigatorium: *Indicans curatorium* dicitur à quo indicatur remedium ad sanitatem amissam restituendam: istud indicans dividitur in simplex, & compositum: *Simplex* est, quod tantum indicat unum simplex remedium: *Compositum indicans* est illud, quod indicat diversa remedia, quia quamvis causa morbi sit una, nihilominus, ratione eius constitutivorum inveniuntur varia indicantia, v. g. morbus in quo eius causa est bilis, & eius constitutiva sunt multa, quantitas, crasities, mordacitas, caliditas, & siccitas; sic ab eius multitudine indicatur purgans colegogum, à crassitie disolutio indicatur, & ab acrimonia indicatur eius obtusio, &c.

Indicans conservatorium est, quod auxilium sugerit ad præsentem hominis sanitatem conservandam. *Mitigatorium vero* est, quod sugerit remedium ad prius mitiganda simpthomata urgentia, quæ tale periculum minantur, ut nequeat specta-

tari ablatio morbi, & eius causæ.

Coindicans, seu consentiens est, qui peculiariter non indicat usum remedij, sed tantum iuvat ad indicandum, ut facilius posit applicari. Notatur, quod omnes coindicantes, seu consentientes vocantur indicantes secundarij; v. g. res naturales, & non naturales: nam ad naturales reducuntur temperamentum, ætas, sexus, consuetudo, pars affecta, &c. Ad non naturales referri debent aer ambiens; cibus, & potus; motus, & quies, &c.

CAPUT V.

DE INDICANTIBUS in particulari.

INdicantia in particulari dicuntur illa, quæ indicant determinatum auxilium, ut sanguinis misio, expurgatio, &c. Indicantia venæ sectionis sunt varia: *Primum* est abundantia sanguinis: *Secundum* spisitudo, quatenus detracta portione sanguinis, reliquus facilius cordis motu propellitur, & hinc amittit spisitudinem. *Tertium* est congestio sanguinis facta in varijs partibus corporis: *Quartum* hemorragia nimium urgens, ubi magnum usum habet sanguinis missio revulsoria. *Quintum* inflammatio vehemens. Verum est, quod alia indicantia inveniuntur, quæ facile cognoscere possunt Practicantes, si attendunt ad definitionem sanguinis missionis, & ad alia, quæ continentur in capite de venæ sectione.

Indicantia purgationis sunt abundantia seri; varij humores recrementitij in primis vijs hærentes, & coctiones variè turbantes. Turgentia, supernatantia, & in fine quælibet cacochima.

Indicantia diuresis sunt Cachexia, Leucophlegmatia, Hydrops, & omnes ferè alij morbi pendentes ex vitio seri, sive sit vitium in abundantia, in consistentia, aut in motu. Morbus regius, affectio hypocondriaca; febris pendens ab obstructione, sabulum renum, & vesicæ turbans excretionem urinæ, disuria, & ischuria.

Indicantia diaphoresis, & sudoris sunt corpus humidum, & porosum, sanguis fluxilis, serum fluxile abundans, febres tam continuæ, & exanthematicæ, quam intermittentes. Omnesque morbi, qui oriuntur à seri impuritate, ut scabies, lues venerea, &c.

Indicantia salivationis artificialis sunt sequentia: Artificialis universalis sunt morbus

gallicus inveteratus, qui tantum vincitur per salivationem à Mercurio excitatam. Plurimique morbi cronici, ut febris quartana, melancholia, vertigo, epilepsia, paralysis, dolor capitis diuturnus, mania, podraga, lepra, strumæ, cancer, ulcera inveterata, &c. Indicantia salivationis artificialis particularis sunt saliva inapta ad excretionem propter viscositatem, paralysis linguæ, dolor capitis diuturnus, hydrocephalus internus, surditas, & quidam affectus oculorum, ut suffusio, lipitudo pertinax, &c. Et omnes affectus capitis serositate, & viscida pituita pendentes.

Indicantia evacuationis humorum per nares artificialis sunt humores copiosè hærentes circa nares, & in partibus vicinis, dolores capitis, quos interdum sensibilitèr levat excretio humoris per nares, partus difficilis, ubi errhina promovent expulsionem fætus; apoplexia, letargus, singultus, retentio secundinarum, &c.

Indicantia expectorationis, hoc est, evacuationis humorum per sputum sunt lympha, & alia quævis materia nimis fluxilis, & acris, quæ glandulis, & pulmonibus est satis inimica. Humor viscidus, & tenax obstruens pulmones, & faciens respirationem valdè difficilem: Asthma humida, empiema, pleuritis, peripneumonia, extravasatio sanguinis in cavitate thoracis ex vulnere penetranti, &c.

Indicantia evacuationem sanguinis retenti, quæ per remedia convenientia fieri debet, sunt hæmorroides omninò suppressæ, vel parciùs iusto fluentes. Menstrua ultra debitum tempus emanantia cum magno dolore fluentia, in pauca quantitate, aut gutatim prodeuntia, vel prorsus suppressa, & decolorata. Chlorosis, & multi alij morbi pendentes à vitijs hemorroidum, vel mensium suppresione.

Indicantia resolutionem humorum sunt omnis spissitudo humorum, eorum tenacitas, & visciditas, & ineptitudo ad motum, tumor edematosus, scirrhus tam internus, quam externus: contusio, seu echimosis, phlegmon, &c.

Indicantia incrassationem tenuium, & acrium humorum, sunt omnis acrimonia biliosa, sive universalis sit in tota massa sanguinis, sive particularis in vijs primæ regionis: Coryza, catharrus ferinus, tusis sicca gravior; etiam tusis producta à materia serosa salsa, & acri: Diarrhea biliosa, etiamque copiosi sudores, qui oriuntur

tur à resolutióne humorum.

Indicantia correctionem cacochimiæ sunt omnis mala constitutio humorum, sive sit serosa, salsa, biliosa, &c. omnes morbi speciales, qui originem trahunt ex tali mala constitutione, ut scorbutica passio; scabies, &c. omnes morbi putridi, & contagiosi tam acuti, quam cronici, & ulcera partium tam internarum, quam externarum.

Indicantia adstrictionem, & constrictionem sunt laxitas partium solidarum, & earum pororum, omnes hemorragiæ productæ tam à causis internis, quam externis; vomitus, & alvi fluxiones tam in pueris, quam in senibus ob nimiam mollitiem glandularum, & fibrarum, fluor albus, gonorrhea diuturna: fluxus hæpaticus, & omnes fluxus serosi.

Indicantia emollitionem partium sunt omnis durities præter naturam in partibus occurrens, & impediens earum functiones. Infarctus humorum in visceribus, varij tumores duri, ut scirrhus occupans jecur, aut lien, vel quamlibet partem externam, excrementa fæcalia indurata, calculus impactus in ureteribus, nimia tensio, seu crispatio alicuius partis membranosæ; & contractura, seu curvatura tendinum.

Indicantia correctionem motuum excedentium sunt morbi convulsivi, ut epilepsia, chorea sancti viti, & omnes affectus huius generis, rigores vehementes, motus febriles excedentes, vigiliæ immodicæ, phrenitis, & quodlibet delirium.

Indicantia stimulationem, & restitutionem motus deficientis in partibus sunt defectus virium in ægritudinibus cuiuslibet generis, laxitas, aut debilitas partium, v. g. ventriculi, uteri, &c. apoplexia, paralysis, lætargus, carus, & omnes alij morbi in quibus datur partium resolutio, seu laxitudo.

CAPUT VI.

DE SCOPO, ET DE EIUS differentijs.

QUia aliqui confundunt rationem Scopi cum indicante, scire oportet quid scopus sit, & quomodò ab indicante differt. Etiam non ignorare licet, quod *Scopus* est nomen latinum dessumptum ab hac voce Græca *Scopos*, quæ denotat metam, intentionem, & finem ad quem tendit Medicus suis actionibus.

Sco-

Scopus iuxta Medicos ita definiri debet: *Est qui præ oculis habetur ad assequendam indicationem.* Duplex est scopus, videlicet generalis, & proprius: *Generalis* est id quod secundum naturam est. *Proprius Scopus* dicitur, id quod propriè requiritur ad assequendam talem, vel talem indicationem.

Notare oportet, quod quamvis inter Scopos frequenter numerentur magnitudo morbi, ætas, regio, anni tempus, & consuetudo, malè enumerantur, si pro verijs scopis iudicantur; igitur tantùm impropriè, & latomodo debent admitti; quia non habent rationem Scopi veri; sed tantum certè vires sunt veri Scopi.

Verumtamen asserere debeo, quod neque ætas, neque anni tempus, &c. sunt mensurantes, sed vires tantum valent metiri remedium: certum enim est, ætatem posse mensurare indicatum, v. g. in infantia propinari non potest tanta quantitas medicamenti purgantis, sicut in pueritia, in adolescentia, &c. sed tantum respectivè ad ætatem teneram infantiæ. Nam ætates determinatè non possunt commensurare quantitatem purgantis indicati, quia metiri remedium quantitatem, tantum viribus attinet primariò, & per se.

Pro calce huius capitis considerare oportet, quod commensuratio medica est meta remedij indicati, ut in quantitate, & qualitate debita adhibeatur; sed nullo modo adhiberi potest in debita quantitate, & qualitate, nisi Medicus oculo dextro vires ægroti ponderet: ergo vires tantum habent rationem Scopi veri, & commensurantis, nec huic sententiæ opponitur illa Doctrina Galeni, quam scripsit in lib. 1. de Art. curat. ad Glauconem, & in lib. Artis Medicin. in cap. 89. ubi inter omnes Scopos ante quam Medicus accedat ad morborum curationem solum elegit quatuor, videlicet quantitatem, qualitatem, modum, & occasionem.

CAPUT VII.

DE CONTRAINDICANTIbus, & correpugnantibus.

Contraindicans, prohibens, repugnans, seu disentiens est quidquid ex diametro contrariatur indicanti, & ei opponitur, v. g. quandó unus morbus est contrarius alteri, & una causa alteri causæ est contraria; sic dum Petrus corripitur intemperie calida jecoris, & discrasia frigida ventriculi, tunc à calida intem-

temperie hepatis indicatur remedium refrigerans, sed frigida intemperies ventriculi illud contraindicat.

Correpugnas dicitur, quidquid coindicanti opponitur; pono exemplum in sanguinis missione, & in expurgatione; quodlibet ex his auxilijs indicatur à morbi causa, tunc enim si vires sunt debiles correpugnant, si earum debilitas fuerit extrema in actu, vel in potentia proxima, sicut coindicant, quando sunt fortes, & constantes.

Circa contraindicantia, & correpugnantia animadvertere oportet, quod sicut indicantia vera appellantur indicantia primaria, & coindicantia indicantia secundaria; ita vera contraindicantia appellantur contraindicantia primaria, & correpugnantia nominantur secundaria contraindicantia.

Scire licet, quod sicut quodlibet indicatum habet sua propria indicantia, ita habet etiam sua contraindicantia, seu impedimenta, & brevitatis gratia pro exemplo huius veritatis tantum referam impedimenta venæ sectionis, quæ sunt duodecim præcipua. *Primum* contraindicans est complexio frigida, quæ augetur venæ sectione, quia per illam calor naturalis imminuitur. *Secundum* est regio intensè frigida, vel calida. *Tertium* est ingens dolor, quia tunc secta vena excitat in humoribus, & spiritibus magnam agitationem, & seditionem.

Quartum contraindicans est balneum, præsertim, si ante ipsius ingressum usus fuerit quisque diaphoreticis medicamentis. *Quintum* est coitus, post cuius usum maximè superfluum prohibetur sanguinis missio, quia vires deijcit magis, atque debilitat, & fortasse sequitur mors. *Sextum* est ætas minor, vel maior, qualis est infantia, & senectus. *Septimum* est morbus diuturnus, igitur cum eo corpus debilitatum est: ergo cum corpus emaciatum sit à morbo diuturno, nullo modo potest demi materiam nutrimenti, videlicet sanguinem.

Octavum contraindicans est nimia repletio potus, & largior cibi ingestio; etiamque cruditates primæ regionis. *Nonum* est tempus nimis calidum, aut frigidum, quia in his temporibus abundant humores vitiosi, v. g. biliosi in calido, & pituitosi in frigido. *Decimum* est fragilitas, seu debilitas facultatis vitalis, quia misso sanguine, virtus semper extremè concidit, neque postea potest revocari, recolligique. *Undecimum* est os ventriculi suprà modum affectum dolore cardial-

dialgico, & ideo Galenus in lib. 1. de Arte curativa ad Glauc. in cap. de Febre cum accident. loquitur ita: *Secandam venam non esse, si os ventriculi afflictum occasio sit anxietatis, sed prius tolenda anxietas, & roborandus ventriculus, nisi velimus in graviora pericula ægros deducere, ut contingit plurimis, quibus sine tali præparatione venam secare præceperunt. Duodecimũ contraindicans* est nauxea ex facietate; & idcirco prohibetur inter Priscos ab Avicena, qui in lib. 4. fen. 1. sequenti modo fatur: præterea cave tibi, ne habentem nauxeativam facietatem phlebotomes sed prolonga, usquequo eius nauxeativa facietas digeratur.

Pro coronide huius capitis animadvertere debeo, quod non solum ob dictas causas abstinemus à venæ sectione, sed etiam ob alia impedientia non pauca, uti sunt: *Diuturnus vomitus, inedia, vigiliæ, labores vehementes, crisis morbi*, idest, *motus ægritudinis, paroxismus, alvi adstrictio, fluxus naturalis menstruorum, hemorroidumque, cholericæ ægritudines, integraque valetudo*: Et uno verbó post omnia, *quæ corpus intensius calefaciunt, & exicant, ac vires dissolvunt*. Tamen notare oportet, quod talia contraindicantia impediunt sanguinis missionem, alia de cura regulari; alia prohibent ad tempus; verum alia mensurant, & circa talem, vel talem quantitatem impediunt, sed non respectu talis, vel talis quantitatis, quam tantum vires substinere possunt.

CAPUT VIII.

DE INDICATO, DE OCCAsione, de hora, & de eorum differentijs.

I*Ndicatum est id quod ab indicante agendum demonstratur scilicet remedium*. Triplex est indicatum, scilicet curatorium, conservatorium, & mitigatorium: *Curatorium* est id quod aufert omne præternaturale, videlicet morbum. *Conservatorium* est id, quod conservat vires vitales. *Mitigatorium* est id, quod mitigat vehementia simphomata.

Tria etiam sunt indicata, duntaxat, dietetica, pharmaceutica, & chyrurgica. *Dietetica* dicuntur, quæ ex fonte dietetico sumuntur, idest, ex prudenti regimine non solum circa cibum, & potum, sed & calorem, & refrigerationem per vestimenta, & stragula, aut concalefactione conclavium, moderandum, item admonitiones, & consilia pro re-

In-

frenandis, aut evitandis animi commotionibus patheticis.

Indicata pharmaceutica sunt medicamenta, quæ ex fonte pharmaceutico sumuntur, quæ respiciunt materiam morbificam, & eius correctionem, ut alterantia; eliminationemque, ut evacuantia, diuretica, diaphoretica, salivantia, &c. *Indicantia chyrurgica* sunt, quæ desumuntur è fonte chyrurgico, ut sanguinis misio, scarificatio, hirudines, fonticuli, setacea, vesicatoria, frictiones, incisiones, trepanatio, parecentesis, & omnes actiones manuales.

Licet notare, quod indicata sunt varia, & in eodem morbo mutari solent ex mutatione conditionis morbi; ideoque unum indicatum non sine periculo ægroti solet adhiberi eodem morbo persistente, & ob hanc rationem Magister Galenus in lib. de Medicinis expertis sic docet: *Non debet uti eadem Medicina* (idest, eodem indicato) *nè fiat, & quasi naturalis.*

Porrò quod debet considerari hoc commune dictum *unum indicat unum.* Certissimum est; nam unum indicans tantum petit unum indicatum, quia unum, ut tale est, indicat unum, & non plura; sed insuper scire oportet, quod tale unum indicatum potest indicans illud variare in specie quadam, sic indicans in inflammatione, qui morbus unus est, indicat venæ sectionem tanquam unum indicatum, sed in ea specie, vel indicat sanguinis missionem, ut revellens, velut derivans, quia revulsio specie differt à derivatione.

Occasio est opportunum tempus adhibendi indicatum. Hæc definitio infertur, & enodatur ex sequentibus verbis Ciceri: occasio est opportunitas alicuius rei, quæ habet idoneum tempus faciendi, vel non faciendi. Dividitur occasio in rectam, & sinistram: *Recta* est, in qua fieri debet remedium; *Sinistra* est, in qua tale indicatum fieri non debet.

Duplex etiam est occasio, videlicet bona, & melior: *Bona* dicitur, quando aliquod indicatum benè fieri potest. *Melior* est in qua tempus magis est aptum ad indicatum utendum; sed animadvertere oportet, quod aliquando anteponi debet bona occasio meliori, dum indicatio melior contingens est; igitur experiri potest hæc sententia Ovidij: *Qui non est odie, cras minus aptus erit.* Sic videmus in graviora pericula incidere ægrotantes, quandò in acuto morbo speratur perfectior coctio materiæ morbi-

ficæ, ut purgetur meliori occasione, si sufficiens est bona occasio ad hoc, ut deoneretur natura, facta purgatione, quamvis materia morbosa non appareat exactè cocta.

Insuper ad maiorem claritatem dicere restat, occasionem operandi in medicina, præcipuè in acutis morbis, esse *momentaneam*, quæmadmodum in lib. de decenti ornatu scripsit Hypoc. sequentia verba: *Nam corpus humanum humidum est, instabilia autem sunt, quæ in humidis consistunt, quare frequenter, & à natura, & à fortuna mutantur*: Quod institutum tractans ipse Hypoc. in lib. 1. de Morb. ait: *Temporum occasiones multas esse, & varias in arte, quæmadmodum etiam, & morbos, & affectiones, & eorum curationes, maximè verò repentinas in his quibus animi defectis oppitulare oportet, & qui nec urinam, nec stercus egerere possunt, & qui suffocantur, & si mulierem parientem, aut satiatam liberare oportet, & cætera huius generis sunt enim istæ occasiones repentinæ, & paulò posterius non sufficiunt.*

Ritè dixit Hypoc. quod paulo posterius non sufficiunt, quia occasio frontem capilatam habet, ut teneri possit ea parte; verum si ab occipitio semel se verterit, calva est, ut à Medico nequeat iam apprehendi: ergo occasio minimè prætereunda est. Etiam memor esto, quod ita volare solet occasio, ut aliqui ægroti prius moriantur, quam Medicus vocatus sit; alij accersito Medico de repente è vita discedant. Animadvertere oportet, Hypoc. fecisse tantam existimationem circa hanc occasionem operandi, ut in lib. de Arte ipse putaverit omnem morbum curari posse, si Medicus eam arripiat. Ultimò assero, quod hæc difficultas occasionis tollitur, & quod non vertatur versus occipitium, si Medicus frequenter visitet ægrum, multa experientia, multa Doctrina, multa diligentia, & abundantia dogmatum utilium, ac maximè remediorum sit imbutus.

Hora in sensu Medico *est una particula earum, quæ complent diem naturalem.* De his particulis utuntur Medici ad executionem indicatorum, sed magis attenditur hora ad exequenda remedia, quæ magna vocantur, v.g. sanguinis missio, purgatio, & vomitio.

Dividitur hora in electivam, necessariam, & convenientem: *Electiva hora*, est matutina in primo lumine diei, completa digestione, & iam expulsis superfluitatibus. *Hora necessaria* est, quæcumque hora

ra diei naturalis, sive meridiana, sive nocturna, &c. quia in quacumque, ratione necessitatis, præsente urgentia, administrari potest indicatum. *Conveniens hora* est illa, quam Medicus eligere potest tam ad præcavendum, quam ad curandum præter urgentiam, & magnitudinem morbi; ut illa hora, quam observamus iuxta astronomicam considerationem, tam ad purgandum, quam ad sanguinem mittendum; & ideo Astronomi asserunt, quod purgans medicamentum exhiberi non debet luna existente in Signo Arietis, Tauri, Capricorni, & Leonis, quia experientia invenerunt, quod facile ægri nauseant valdè, aut evomunt Catharticum: Idcircoque observare debemus istas considerationes, quamvis pro figmentis eas aliqui habeant, attendereque ad horam convenientem cum prudentissimo iudicio monitam à sapientissimo Vallesio, in suo Methodo Astrorum per hæc verba: *Ego autem illos Lunæ aspectus, tunc solum caveo cum parum, aut nihil differre auxilium convenit.*

)(§)( )(§)(

)(§)(

CAPUT IX.

DE EVACUATIONE, ET eius differentijs, de revulsioneque, & derivatione.

QUia evacuare est corpus repletum vacuum facere à corpore replente; transeamus ad assignandam definitionem evacuationis, quæ est: *Excretio humorum sua quantitate molestantium in corpore humano.* Dividitur evacuatio in universalem, & particularem. *Universalis*, seu *generalis* est, quæ ab universo corpore educit humores, & excrementa, ut est sangninis profusio, quovis modo, purgatio, sive fiat per alvum, vel per os, mediante vomitu, excretio per urinam, sudor, Balneum, Hemorroides, Venus, insensibilis transpiratio, vehemens exercitium, &c.

Evacuatio particularis, seu specialis est, quæ evacuat, & levat aliquam partem oppressam onere excrementorum, ut expurgatio humorum excrementitiorum in cerebro colectorum, quæ per nares, aut palatum fit; excretio excrementorum, quæ in pulmone, & torace existunt; ventriculi per vomitum, intestinorum per solam alvi deiectionem, renum,

& meatuum urinariorum per urinas, uteri per menſtruas purgationes ; & in fine dicuntur particulares quæcumque aliæ evacuationes, quæ ex unica parte corporis tantum evacuant excrementa.

Cæterum quælibet evacuatio tam univerſalis, quam particularis dupliciter conſiderari debet, duntaxat ſpontanea, & artificioſa. *Spontanea* evacuatio eſt illa, in qua natura eius proprio motu omne vitioſum ex corpore excludit citra artis opem. *Artificioſa* eſt, quæ excitatur cum ſubſidio medicamenti externi, vel interni.

Revulſio *eſt detractio humoris in contrarium locum ab affecto, in eum finem, ut curſus materiæ fluentis impediatur, ne defluat in vicinas partes, aut ad locum malè affectum.* Ob dictam cauſam facimus revulſionem ad diſtantiores partes, ſi id fieri poſsit, vel ad minus ad contrarias, ſervata vaſorum comunicatione, ut quando genu inflammato, ſecatur vena exterior, vel interior cubiti alterius lateris, & ſic in immoderato ſanguinis fluxio narium, cucurbitula admovetur Hypocondrijs è directo ſanguinis fluentis per dextram, aut ſiniſtram narem, ut fluxum ſiſtat: ita & eodem modo capiti affecto movemus alvum, & affectis partibus inferioribus vomitum excitamus, ut in podagricis fieri Auctores conſuluere.

Revulſio dividitur in puram, & mixtam: *Pura revulſio* eſt, dum inſtrumenta, quæ uti ſolent ad revelendum, tantum revelunt, v. g. cucurbitulæ, ligaturæ, frictiones, &c. *Mixta* eſt, dum inſtrumenta prædicta non tantum revelunt, verum etiam ſimul ſenſibiliter evacuant, ut ſanguinis miſsio, purgatio, veſicatoria, &c.

Tandem revulſio ſubdividitur in proximam, & remotam: *Proxima revulſio* eſt, quæ fit per lineam rectam, brevem, ſeu curtam: *Remota revulſio* eſt illa, quæ fit per lineam rectam prolongatam. Quia hæc differentia revulſionis conſiſtit in linea recta prolongata, aut brevi, oportet animadvertere quod rectitudo, quæ ſervanda eſt in evacuationibus, dupliciter conſiderari debet, ſcilicet Regionis, & Diametri.

Rectitudo Regionis dicitur, quæ fit per convenientem Regionem ab ipſa natura, quam Medicus tentare debet, eandem imitando, quæ eam convenientiam ſemper ſequitur, & obſervat ; ut cum videmus delirium furioſum, & melancholicum curari varicibus à natura ordinatis, accedente

huic

huic ea affinitate, vel consensu, quam Medici vocant colligantiam, qualis est inter spatia cava jecoris cum intestinis, & inter eius partem givam cum vesica urinaria, quibus etiam accedit rectitudo fibrarum.

Rectitudo Diametri, seu situs est consideranda, quam non semper servamus, sed est necessum, ut Practicantes sciant quid Diameter sit: *Est autem Diameter recta quædam via, sive in longitudinem, sive latitudinem, sive altitudinem, aut profunditatem. Secundum longitudinem* quidem, à superioribus ad inferiora, vel è contra; & iam memor Hypoc. in lib. de Humoribus scripsisse de hac specie Diametri, quod infertur ex his verbis. *Revulsio in supernis deorsum, in infernis sursum. Secundum latitudinem*, ex uno brachio ad alterum, aut ex uno crure ad alterum, & è contra. *Secundum altitudinem*, aut *profunditatem*, ut quando revelimus ante, & retro, vel è contra.

Circa prædictam divisionem Diametri, amplius oportet dicere, ut clarius fiat intelligentiæ Practicantium; idcircò ita for: Vel secundum longitudinem, ut quando clysteria purgantia infunduntur his, qui oculos lippientes habent, ad hoc ut experiantur proficuam sequentem sententiam, quam Hypoc. in lib. 6. Aphor. scripsit: *Lippientem alvi profluvio corripi, bonum.* Verum etiam revelimus fluxus mensium immoderatos, cucurbitulis ad mammas affixis. *Secundum latitudinem* autem, ut quando dextra pars flegmone affecta est, revellitur secta vena cubiti sinistri. *Secundum altitudinem*, ut cum dolores oculorum occipitio revellimus cucurbitula affixa, vel è contra; dolore existente in occipitio revellimus sanguinem mittendo ex vena frontis.

Licet animadvertere, quod Diameter dupliciter considerari debet, videlicet integra, & demediata: *Diameter integra* est, quando ab uno extremo ad aliud recta linea fertur, ut à summo capite ad pedes: *Demediata* veró est cum revulsio fit à brachio ad pedem, vel à pede ad brachium.

Derivatio *est tractio humoris ad locum vicinum, ut ab illius noxa pars ægra liberetur.* Vicinus autem locus est proximus loco affecto, ut quando in affectibus renum derivamus per alvum; & in angina secando venam humerariam, seu cephalicam: in affectionibus oculorum, faucium, & aurium derivamus per nares cum ca-

put

put purgis, aut errhynis; & in affectibus intestinorum per urinam derivamus;in uteri passionibusque per vesicam, & intestina fit derivatio.

CAPUT X.

DE SANGUINIS MISSIONE, & eius differentijs.

SAnguinis missio, seu venæ sectio, quam Græci phlebotomiam vocant: *Est evacuatio universalis indicata à morbo magno pendente ex vitio sanguinis, peccante in quantite, qualitate, substantia, aut motu.* Duplex est sanguinis missio, videlicet naturalis, & artificialis: *Naturalis* est illa, quæ solo beneficio naturæ fit, ut ea, quæ per nares, per uterum, & per hemorroides solet fieri à natura. Venæ sectio *Artificialis* dicitur illa, quæ beneficio Artificis celebratur, venam aperiendo cum phlebotomo.

Sanguinis missio Artificialis, de qua in præsenti loquimur, dividitur in universalem, & particularem: *Universalis* est, quæ universum corpus evacuat, & est, quæ fit ex venis maioribus, ut illa, quæ celebratur ex basilica, cephalica, saphena maiori, &c. *Particularis* est, quæ evacuat ex aliqua parte speciali, seu particulari, ut ea, quæ fit in angulis oculorum, in opthalmia antiqua, quæ fit ex vena susana, in medio frontis existente, & ab aliquibus vulgaritèr dicitur recta, sive præparata, in oculorum morbis, in mania, &c. & quæ fit ex venis sub lingualibus in angina, in tussi, &c.

Insuper etiam sanguinis missio universalis dividitur in revulsoriam, derivatoriam, & evacuatoriam. Sanguinis missio *revulsoria* est, quæ attrahit humores ad contrariam partem, ut illa quæ fit ex saphena maiori in phrenitide, & quæ celebratur ex basilica vena in brachio dextro, existente inflammatione infra septum transversum, sive sit in jecore, aut in utero, &c. Animadvertere oportet, quod hæc revulsoria sanguinis missio debetur humoribus recentèr fluentibus, vehementer, & impetuosè, & idcirco utimur de ea in principio, & augmento universali morbi magni, qui producitur à vitio sanguinis,ut iam dictum est in definitione.

Sanguinis missio *derivatoria* est, quæ evacuat humores secta vena ex parte vicina, parti affectæ. Hæc venæ sectio debetur humoribus fluentibus, dum fluxio est antiqua, & minus impetuosa, quæ celebratur in declinatione augmenti uni-

universalis, & aliquoties in principio status universalis. Sanguinis misſio *evacuatoria*, ſeu particularis eſt, quæ evacuat humores contentos in ipſa parte affecta, iam per cucurbitulam ſcarificatam, & iam per ſuctionem hirudinum, &c. De iſta venæ ſectione utimur in pleuritide, in angina, &c. Notare licet, quod ſanguinis miſſio particularis decura regulari tantum debet exerceri in ſtatu univerſali, igitur in hoc tempore, iam affecta pars incapax eſt recipiendi plus morboſæ cauſæ, aut quia tunc iam non adeſt fluxio.

Circa judicium, quod Medicus facere debet ex ſanguine poſt eius extractionem, aliquid animadvertere oportet, ut Practicantes valeant diſtinguere peccata ſanguinis. Prius iuvendum eſt, ut effluens ſanguis excipiatur in mundis, terſiſque pelviculis, terrenis, vitreis, ſtanneis, aut argenteis, non item æneis, ne ab his vel propriæ ſubſtantiæ, vel coloris, vel alterius qualitatis converſionem ſubeat, quæ pervertat noſtrum judicium de corporis affectione. Sint vero Pelviculæ multæ, in quibus varietas ſanguinis poſsit diſpici, ac diſtingui: etiam ſeponantur in loco mundo, in quo nec pulvis, nec fumus, nec ventus, nec radij ſolares pertingant.

Suppoſitis prædictis circunſtantijs attentè conſiderare debemus ſanguinis ſubſtantiam, ſerum, ſpumam, colorem, peliculam, & ſubſidentiam. *Subſtantia* ſanguinis poteſt eſſe viſcida, craſſa, ſeu denſa, cita, vel tarda in concretione, & tenuis, ſeu numquam concreſcens: duobus modis cognoſcitur *ſubſtantia viſcida* ſanguinis, primus modus, ſi tardè effluat facta ſufficienti inciſione: ſecundus ſi ſanguis digitis adhæreat, veluti quoddam glutem. Craſſa, & denſa ſubſtantia iudicatur ex eo, quod ſtatim concreſcit, atque conglaciat, ac fuit effuſus extra venas. Tale peccatum craſitiei, & viſcoſitatis ſignificat ſanguinem habere multas fibras, magnam obſtructionem, & adeſſe redundantiam pituitæ acidæ, aut melancholiæ, quæ habent vim concreſcendi. De *ſubſtantia*, quæ cita eſt in concretione iam ſufficienter dictum eſt; quæ verò tardius concreſcit tenuis eſt, & etiam, quæ facile effunditur facta ſectione venæ, qui quidem ſanguis cum refrigeſcens minimè dureſcit, is omninò vel aquoſus, vel putridus eſt, ideo in febribus malignis, & in internis inflammationibus apparet inconcretus, & tenuis,

quia febres omnes sunt corruptæ, & direptæ.

Serum aliquando multum in sanguine innatat, aliquando parum, & aliquando nihil. Serum multum aliquando innatat colore citrino, flavo, viridi, &c. Secundum permixtionem, & disolutionem talis, vel talis speciei bilis præternaturalis; verum multitudo seri innatantis significat liberaliorem potum, vel obstructio, aut imbecilitas renum, ratione quorum impeditur transitus urinæ, vel jecur esse debilem, & intemperatum, & simul omnia vasa sanguifera; tunc enim rectè serum secerni non potest à sanguine, ut apparet in cachexia, in anasarca, &c. quibus ex causis sanguini permixcetur redundans in venas.

Aliquando parum, vel nihil seri innatat in sanguine post eius concretionem, quia sanguis illo destituitur; & destitui potest à multis causis, ut experimur, tum in his, qui parcissimè bibunt, tum in illis, qui immoderatè se exercent, ut accidit in Agricolis, & in eis, qui multum laborant, & maxima defatigatione; tum in illis qui febribus ardentissimis corripiuntur, in quibus sanguine minis calescente, insensibiliter exhalat aquosus humor, qui vehiculum est nutrimenti, & maximè necessarius, ut sanguis possit moveri, & circulari per omnia vasa; tunc enim sanguis concrescit, indurescit, & in substantiam viscidam, seu gelatinosam vertitur, & idcircò prompte intercludit vasa minora, & aliquoties amplius extenditur interclusio; igitur libere penetrare, & distribui non potest, quia eius substantia est inepta ad motum.

Spuma ferè innatat in sanguine, quando impetu fluit, & fit ex agitatione, & permixtione aeris; talis spuma facile resolvitur; si veró post refrigerationem, & transacto iam aliquo tempore permaneat diffusa per totam; vel maiorem partem sanguinis, ostendit incendium, fervorem, agitationem, & effervescentiam eius humoris, cuius color præsefert: Rubra quidem indicat effervescentiam sanguinis; citrina bilis, alba pituitæ, nigra aut isatidea melancholiæ. Spuma rubra quidem, ac lucida est index ardentis sanguinis, qualis est arteriarum; rubra vero, & obscura mediocriter significat incendium sanguinis venalis. Citrina, flava, seu crocea indicat incendium, & exuperantiam bilis vitelinæ, &c.

Color, qui in tota superficie sanguinis apparere solet, debet à Practicantibus attentè con-

considerari: Si tota superficies sanguinis appareat albicans malum est, quia cruditatem significat, & non solet apparere nisi in hominibus malo victu utentibus, in lurconibus, in his, qui utuntur potionibus intensè frigidis, & conglaciatis, in illi qui vita sedentaria fruuntur. Si color superficiei sanguinis sit viridis, niger, aut lividus, pessimus est, quia significat adustionem, mortificationem, aut extinctionem caloris nativi. Circa hoc notare oportet, quod si omnes venæ sectiones exhibeant rubrum, ac optimum sanguinem, credibile est vasa sanguifera habere reliqum similem, & tales evacuationes tantum fuisse necessarias ad minorandam plethoram, indicium certissimum, quod sanguis solum peccabat in quantitate. Si vero in omnibus venæ sectionibus sanguis vitiosus, & impurus conspiciatur, existimare oportet multo melius sanguinem fuisse evacuatum, quia simul affectus erat tum peccato quantitatis, tum etiam malæ qualitatis.

Si *pellicula*, seu crusta alba, seu colore medio inter album, & croceum, seu flavum in sanguine extracto per venæ sectionem appareat in aliqua inflammatione interna, bonum est, quia est indicium extrahi materiam, quæ inflammationem causat; & ideo in pleuritide, & in peripneumonia est signum bonum. Si pellicula alba appareat in sanguine post concretionem, sive sit in aliqua febre putrida, vel in interna inflammatione, & simul adsit pulsus parvus, calor mitis, urinaque aquea, & tenuis, ostendit coagulationem, & extinctionem nativi caloris, & imminet mortem ægrotantis, nisi promptissimè adhibeantur remedia disolventia, volatilisantia, & in aqueam substantiam resolventia, ut vesicatoria è cantharidis. Animadvertere licet, quod aliquoties crusta non percipitur, quia habet rubrum colorem, ut contingit in pleuritide sanguinea, forti, & dolorosa; tunc enim cognoscitur ex eo, quod superficies sanguinis concreti, dum seccatur, resistit cultelo, ratione crustæ rubræ, quæ indicat summum periculum; quia quamvis talis pleuritis fiat ex benigniori humore, ut sanguis est, ut plurimum occidit ægrotantem.

Subsidentia est illa substantia, quæ subsidet in ima parte sanguinis concreti, quod magis terreum, & fœculentum est; id cum dividitur, sæpius apparet, vel rubrum, obscurum, vel nigrum, vel lucidum, vel vi-

viride; unde infertur natura humoris qui sanguinem in quinat, & in venis abundat. Notatur, quod aliquando, quamvis rarò, sanguis detractus è venis grave olet, quod si contigerit in febribus malignis est indicium magnæ putridinis, & deploratæ corruptionis.

Circa venæ sectiones, quæ fiunt cum aqua calida in extremis corporis partibus, ut in pedibus, manibusque, oportet animadvertere scrupulosis, qui asserunt nihil posse cognosci, dum sanguis effussus fuit in aqua, quod iuveant, ut in aliqua pelvicula colligatur aliqua sanguinis portiuncula, quia ita valebunt agnoscere diversa vitia sanguinis. Verum est, venia scrupulosorum, posse multa evidenter cognosci ex effusione sanguinis in aqua calida post refrigerationem exactam, si balneum seponatur loco mundo, ut iam animadversi.

Si post refrigerationem, transacto sufficienti tempore, sanguis non concrescit, contingere potest ex eo, quod effusio sanguinis facta fuit in excedenti quantitate aquæ, quæ impedit concretionem; sed si facta sit effusio in aqua proportionata, tunc indicat vel corruptionem fibrarum, vel nimiam sanguinis serositatem: Si causa illius tenuitatis fuerit corruptio fibrarum, ostenditur à colore sanguinis multum rubro, vel à rubro ad nigredinem tendente. Quando causa est nimia serositas sanguinis, tunc color ruber similis est loturæ carnium.

Si color appareat in sanguine medio inter rubrum, & nigrum, velut pix, tunc significat adesse vel magnam adustionem in sanguine, vel redundantiam atræbilis, vel alterius humoris acidi talem colorem constituentis, ut accidit in sanguine eorum, qui melancholia hypocondriaca, aut affectione scorbutica corripiuntur. Si post refrigerationem appareant in aqua aliquæ portiones albicantes, & crassæ ostendunt redundare in sanguine magnam copiam pituitæ crassæ, & lentæ, & si tales portiones maximè distinguantur, & aqua videatur vel ut lotura carnis, significat vapiditatem sanguinis, qui depauperatus est è partibus balsamicis, volatilibus, & sulphureis, ob quarum parvitatem chilus non est perfectè in sanguinem conversus; & idcircò possumus asserere, quod sanguis non est perfectè coctus, seu elaboratus, & in illo redundare non parvam cruditatem.

)(✠)(

SCHOLIA.

QUia Prisci, & non pauci Neotericorum asserunt scopos principales mittendi sanguinem esse *morbi magnitudinem*, *ætatem florentem*, & *virium robur*, oportet Practicantibus animadvertere tantum robur virium esse principalissimum scopum, quia si vires non sunt constantes ad substinendam sanguinis evacuationem, quamvis morbus magnus sit, & ætas sit florens, nullo modo venæ sectio fieri potest, nisi maximò cum periculo ægroti. Etiam sequeretur ex supradicta Doctrina, sanguinis missionem non posse celebrari in pueris, & in senibus, quia non in actu existunt in florente ætate, sed in pueris, & senibus sanguinis missio celebratur, dum vires sunt constantes: ergo quia robur virium est principalissimus scopus ad venam secandam; & ideo circa senes dixit Magister Galenus in lib. de Sanguinis missione: *Stultum esse ætates numero annorum metiri, nam sexagenarius validus rectè venæ sectionem admittit.*

Multoties accidit esse indicatam sanguinis missionem, & simul adsunt cruditas, & facietas in prima regione, quæ valent in actu contraindicare venæ sectionem de cura regulari, donec evacuentur cruditas, & facietas; quia indicant expurgationem; nam talis facietas, & cruditas sunt in ventriculo; & cruditas, seu cacochimia primæ regionis in ventriculo generatur ex eius debilitate, vel ex magna copia alimentorum, seu sacietate, quæ est maximum contraindicans sanguinis missionis indicatæ, & idcircò Magister Galenus in lib. 9. Meth. ita animadversit: *Quod si præcedat ciborum cruditas, venæ sectionem differre iuvebis, donec coctio præcedat, aut excrementa descendant.* Tum Avicena in lib. 4. fen. 1. commendat prorrogationem venæ sectionis existente sacietate, aut cruditate in ventriculo, & patet per hæc verba: *Prætereà cave tibi, ne habentem nauxeativam sacietatem phlebotomes, sed prolonga, usque quo eius nauseativa sacietas digeratur*: Ergo sanguinis missio non debet exerceri existente cruditate, aut sacietate in prima regione, quia vel feruntur impura excrementa intra venas, vel magis incrudantur humores, & alimenta depravantur, & ventriculus etiam contrahit maiorem imbecilitatem; & ideo celeberrimus Complutensis Heredia, in tom. 2. in comment.

Historiæ Adolescentis Melibeæ animadversit sequentibus verbis: *Ventriculus debilitatus sanguinis missione, potest ipse solus esse mortis occasio.*

Aliquoties contingit in praxi simul esse indicatam sanguinis missionem, & expurgationem, quin una indicatio urgentior sit altera: in hac complicatione indicationum sciant Practicantes, quod venæ sectio purgationi debet præcedere, ut docet Auctoritas, ratio, & experientia: Auctoritas est tum Hypocratis, qui in lib. 6. epidem. hoc modò fatur: *Si utroque auxilio homo indigeat, à venæ sectione incipiendum esse notissimum est.* Tum Magistri Galeni, qui in comment. Aphor. 29. lib. 2. asserit: *Frequentem debere esse venæ sectionem, expurgationem verò nonnumquam esse faciendam.* Verum est, quod hic loquitur Magister de principio universali morborum, sed etiam verissimum est in prædicto tempore, ut plurimum prædictas duas indicationes adesse simul.

Ratio docet, quod indicatio venæ sectionis præcedat indicationi purgationis; igitur submota, & imminuta plenitudine humores pravi, & noxi, qui redundant, expeditius trahuntur à medicamento purganti; siquidem hoc medicamentum inveniens repletas venas, arterias, & corporis regiones, nullo negotio in totum dimanat corpus, & humores per lata vasorum spatia fusos, & attenuatos, trahit, vacuatque. Sin, præpostero ordine, purgatio prius concedatur; purgans medicamentum, nequit deferri in totum corpus propter plenitudinem, & vasorum angustiam. Veritas huius Doctrinæ manifesta fit ab experientia; igitur ex ea constat aliquos ægrotos, quibus existentibus simul duabus indicationibus assignatis, propinatum fuit purgans, nihil vacuasse: verum per totam diem anxios esse, & maximè inquietos, donec per noctem secta fuit vena; tunc enim, paucis horis post sanguinis missionem, & vasibus iam laxatis, medicamentum purgans cæpit operare, taliter, ut in illa nocte tantas vices æger deiecisset, quantas in die debebat evacuare; hoc pluries observavi, hoc feci, & ut hoc similiter faciant Practicantes, moneo.

Circa simpthomata, quæ in morbis superveniunt, iam existente indicatione mittendi sanguinem, monere debeo, ut Practicantes non exerceant sanguinis missionem, si talia accidentia fuerint critica, vel vehementiora, à quibus vires ener-

enervantur, quia ab illis contraindicatur venæ sectio; accidentia critica nullum periculum inferunt, sed tantum indicant crisim venturam, quæ non debet perturbari cum venæ sectione, quamvis indicata sit: iam nobis exemplum dedit Magister Galenus in lib. de Prænotione, ubi refert Historiam ilius juvenis Romani, in quo erat sanguinis missio indicata, quam contra opinionem medicorum prohibuit, quia aderant accidentia critica, quæ indicabant venturam crisim per fluxum sanguinis narium. Simpthomata vehimentiora, quæ critica non sunt, à quibus vires in actu enervantur, aut enervari possunt extrema debilitate, semper contraindicant venæ sectionem indicatam; igitur vires habent rationem maximi, & principalis scopi. Verum si sanguinis missio imprudenter celebretur, tunc raptim interimit ægrum.

Tanquam remedium refrigeratorium fieri solet venæ sectio in ægro febre correpto; & quamvis à Priscis Medicis, & à multis Neteoricorum sanguinis missio celebretur in febribus, tanquam remedium refrigeratorium, porrò debet intelligi cum grano salis; rememium refrigeratorium est per accidens, & non per se, quia solum aqua per se refrigerat; hoc patet, si Practicantes consspiciunt modum refrigerandi venæ sectionis: in febribus pendentibus ex humoribus putrescentibus intra venas, venæ sectio non alio modo refrigerat, quam evacuando, distrahendoque putredinalem causam, & sicut aqua dicitur per accidens refrigerari, ablatis carbonibus accensis; ita in febribus contingit per missionem sanguinis; & ideo in hoc sensu est venæ sectio remedium refrigeratorium in febribus.

Non parum dubij germinari solet inter Neotericos circa venæ sectionem in prægnantibus exercendam, quæ frequenter abortiunt. Est verum, quod non in omnibus gravidis vitari potest aborsus per sanguinis missionem: quando mulieres abortiunt propter aliquam externam causam, minimè venæ sectio abortū præcavere potest, sed tantum, cum à causa interna procedit, & non in omni causa interna esse potest præservativum auxilium sanguinis missio; quamvis sequantur Practicantes consilia, quam plurium Auctorum maioris notæ; tum Mercati, qui in lib. 4. de Affectionibus mulier. cap. 2. ita monet: *Verum quidem ante id tempus, in quo femina abortire assuescit efficies sanguinem mitte-*

re. Tum Petri Salij, qui in lib. de Morb. particularib. testis est per hæc verba: *Testor ego me plures ab abortu in quem frequenter inciderant sola sanguinis missione in primis mensibus facta præservasse.* Quia tantundem præcavet abortum productum à plenitudine, sive sanguinis plethora sit universalis, sive particularis, minuendo nimiam sanguinis quantitatem, quæ potest fœtum suffocare, & idcircò Averroes in lib. 4. ad hunc intentum sequenti modo fatur: *Ego autem dico, quod phlebotomia, quando adest repletio, qua embrio non indiget, non est mala.* Ex iam dictis monere debeo Practicantibus, ut sanguinis missio ad præcavendum abortum fiat ex brachio, quando causa est plenitudo universalis, aliàs fœtus suffocabitur, & aborsus sequendus est ob nimiũ recursum sanguinis ad uterum: Si verò fuerit eius causa plenitudo particularis, videlicet uteri, tunc tantum vitari potest secando venam ex pede; igitur per hanc partem ritè deponitur plethora uteri: Verum si in ista particulari plenitudine exercetur sanguinis missio in Brachio, non præcavetur abortus, sed potius apropinquatur, quia distrahitur alimentum fœtui, iste debilitatur, & disponitur ad obitum.

CAPUT XI.

DE ARTERIOTHOMIA, ET de Hirudinibus, Hæmorrhoidibusque.

ARteriothomia *est evacuatio sanguinis per arteriæ sectionem cum phlebotomo ab artifice factam.* Veteres instituere solebant arteriarum sectiones in cephalalgia, mania, epilepsia, in gravi inflammatione oculorum, & aurium, & in multis alijs morbis. Verum iam hæc operatio ferè est exautorata, rariusque inter Neotericos occurrunt, qui suadent arteriothomiam instituendam, eam potius, tum ob maiorem hemorragiæ metum, tumque aneurismatis statuentes prorsus eliminandam ex foro chyrurgico.

Quemadmodum emittitur sanguis venæ sectione ad curationem multorum morborum, ita etiam emittitur arteriæ sectione in auxiliandis iam assignatis morbis; ideo non deficiunt practici, & chyrurgi persuadentes posse institui arteriotomiam tutò, & summo cum successu, si prudentia fiat; idcircò animadvertere oportet, quod sanguis arteriosus cum sit nobilior venoso, & magis spirituosus, non potest in tanta co-

copia ac hic, neque affatim emitti, aliàs mox in interioribus mutatio notabilis accidit, unde sincope, &c. corripitur æger.

Circa partes in quibus securè arteriothomia fieri potest, notam aliqnam efficere oportet: Arteria enim frequentius secari solita est ea, quæ suprà musculum temporalem sita est; aliæ existunt in fronte, retro aures, in occipite, manibus, & pedibus, quæ securè secari possunt: quia generaliter melius attinguntur in prædictis partibus.

Facta iam evacuatione per arteriæ sectionem ad præcavendum sanguinis arteriosi fluxum, & ad fugandum metum aneurismatis, statim vulneri imponatur emplastrum multum adstringens, ac adhærens, ut emplastrum de mastiche; vel stipticum Crolij, aut de pelle anguillæ, aut adhibeatur sequens cataplasma.

℞. *Boli Armenici* ℥vj.
Sanguinis Draconis ℥ij.
Gummi Mastichis ℥iij.
Pillorum Leporis ℥ß.
Cum albuminibus ovorum
S. A. fiat Cataplasma.

Debet imponi actu frigidum, & vinculum fiat mediocriter compressum; idque medicamentum immanere debet, & non admoveatur, ut posit sanari vulnus citò, & securè; quod observatum habeo in octavo, vel nono die.

Hirudines, sive sanguisugæ inter præsidia evacuatoria sanguinis commemorantur à Medicis tam veteribus, quam neotericis: de illis præsertim utimur ubi venæ sectio, aut cucurbitulæ nequeunt applicari, ut naso, labijs, pedum, & manuum digitis, utero, ano, &c. item pueris, alijsque, quibus parum sanguinis educi debet, aut vena tangi non potest, ut artifex faciat misionem sanguinis.

Veruntamen utimur hirudinibus in his, in quibus necessum est efficere arteriotomiam, & arteria tangi non potest à chyrurgo; igitur sanguisugæ aperiunt tam arterias, quam venas, unde sequitur simul evacuatio sanguinis venosi, & arteriosi. Tamen hirudines apponuntur in partibus exterioribus inflammatis, quando ob nimiam sanguinis stagnationem, & eius spisitudinem timemus gangrenam ob extinctionem caloris nativi.

Circa hirudines notare oportet, quod in ano frequenter apponi solent, tum in scorbuto, & tum in affectione hypocondriaca, etiam si melancholica sit, ut hemorroidales venæ ab impuro, acidoque san-

sanguine liberentur; & optime fiet, si per quatuor, vel sex dies continuos quotidie applicetur una hirudo; sic enim natura protrudit feculentum sanguinem melius partitis vicibus, quod unica vice non facit. Etiam Practicantes scire debent hirudines sedalibus venis applicitas esse maximum levamen ad evacuandum per successionem è vasibus sanguiferis uteri, quando iste est inflammatus, vel ulceratus, &c.

Memor esto aliquos asserere sanguisugas ano appositas evacuare melancholicum sanguinem, quod aliquo in tempore credebam, dum eram imbutus aliquibus doctrinis magis mentalibus, quam realibus; sed (Deo volente) venit tempus, in quo porrò agnovi hoc fabulosum esse; quia hirudines intelectum non habent ad distinguendum sanguinem melancholicum à sanguine bono, & laudabili: ergo hirudines exugunt quemcumque sanguinem ex vena hemorroidali sive interna, sive externa. Aliquoties contingit in ano sanguinem effluì immodica copia, taliter ut vires ægroti periclitentur; in hoc casu linteum aceto imbutum superponatur; aut galla usta imponatur, aut spongia pice madens, & dein usta: Verum si hæc non sufficiant ad reprimendum impetum sanguinis imponenda est aqua arterialis; vel vulnera tangantur cum gutula olei vitrioli, & certè impetus cohibitus erit.

Insuper curiosi Practicantes scire desiderant quo modò sanguisugæ faciant tam magnas, & profundas solutiones, ut ex eis cum tanto impetu sanguis erumpat; quia ex natura sua scire desiderant prædicti Practicantes, eis animadvertere debeo, quod ista animalcula habent denticulos minutos, & acutissimos, quibus apprehendunt, & perscindunt cutem nostri corporis, ac aliorum animalium, illique tempore quo sanguinem exugunt, adhærent. Quam verissimum sit hirudines esse animalcula denticulata, constat ex sensatione ægrotantium, qui asserunt sentire dolorem mordicativum: Etiam hæc veritas enodatur per optimum microscopium, per quod oculi conspiciunt denticulos acutissimos, & minutos sanguisugarum, ut demonstratur in tabula VIII. in figura I. Ultimo constat talia animalcula habere denticulos ex eo, quod aliquoties vulnera remanent nimis dolorosa, inflamantur, supuranturque, & non ob aliam rationem, nisi quia in illis partibus remansit aliquid dentium. He-

Hemorroides porrò non immeritò censentur inter universalia evacuantia, per quas natura, statis temporum intervalis, expurgat feculentum, & melancholicum sanguinem. Dixi, quod hemorroides censentur inter universalia evacuantia; igitur utrequæ tam internæ, quam externæ venæ jecori cohærent: ergo non est mirum, ut posint evacuare universum corpus: Tamen externæ, quæ à cava oriuntur, ad plethoram minuendam, sicut & affectus renum, uteri, dorsi, coxendicum, capitis, aliosque omnes, qui ex vena cava principium habent curandos commodius aperiri posint; sicut in affectibus melancholicis: ijs in primis, qui ex hypochondrijs proveniunt; & ideo utilius est aperire internas in affectibus jecoris, lienis, mesenterij, &c.

Aperiuntur autem hemorroides externæ fricttionibus factis cum pannis asperis, vel cum folijs ficus, aut borraginis; non desunt Auctores, qui ad hanc apertionem commendant applicationem linteorum imbutorum in succo cepæ, aut centauræ minoris, vel in felle porcino. Internæ verò hemorroides aperiuntur cum clisteribus acribus, & suppositorijs irritantibus, sed componi debent ex aloë, & colocyntide; igitur habent virtutem specialem aperiendi oscula vasorũ.

Pro calce huius capitis, licet animadvertere, quod profluvium hemorroidum semper mediocre debet esse; hinc sequitur Hypoc. non temere de hemorroidibus in epidemijs, ita reliquisse scriptum: *Quibus hemorroides profluunt, hi nec pleuritide, neque pulmonis inflammatione, neque phagedena, neque furunculis, neque terminthis, pariter, neque lepra, neque vitiliginibus albis corripiuntur.* Cæterum non solum ea vis est hemorroidum promanantium, ut à morbis imminentibus defendant, ac præservent, sed etiam liberent ab his, qui iam invaserunt: quod palam fecit Hypocrates non solum in lib. 6. epidem. verum etiam in lib. 5. Aphor. & in 6. Aphoristicarum sententiarum; tamen notare oportet, quod hemorroidibus largius fluentibus, aut omninò suppresis, homines incidunt in varios morbos, ut accidit in mulieribus cum earum menstruali evacuatione; & ideo Prisci Medici, & Neoterici prudentiores, quando intendunt sanare hemorroidas diuturnas, semper unam servant apertam ad prohibendum, ne æger contrahat tabem, aut hydropem, &c.

CAPUT XII.

DE CUCURBITULIS TAM non scarificatis, quam scarificatis.

CUcurbitulatio *est appositio cucurbitularum partibus carnosioribus, per quam evacuatur materia morbifica inter cutanea.* Duplex est cucurbitulatio, una sine scarificatione, & alia cum scarificatione: ambæ appositiones inserviunt, ad extrahendos humores ad cutem ex profundis partibus corporis, quando censetur utilissima evacuatio versus cutim, & natura versus eam mediante facultate expellente debiliter movet.

Circa hoc intentum extrahendi, affirmare debeo communiter cucurbitulas uti in febribus putridis, malignis, & pestilentibus ad hoc, ut venenosa materia ad cutim transmittatur, & expellatur insensibiter, aut sensibiliter, & idcircò utîmur cucurbitulis non scarificatis, aut scarificatis.

Insuper notare oportet, quod dum intendimus extrahere materiam subtilem, & ex partibus non multum profundis, adhibemus cucurbitulas sine scarificatione, quia materia evacuanda est apta, ut insensibiliter expellatur; cùm necessum est morbosam causam extrahere, ex profundioribus partibus, & materia est crassa, & inepta ad insensibilem evacuationem, tunc Practicantes uti debent cucurbitulis scarificatis, ut per illas solutiones sensibiliter evacuari possit; idcircòque in malignis febribus scarificantur prope dorsum, quia ibi existunt ductus arteriæ magnæ, & venæ cavæ, per quos malignam, & venenatam materiam transmittit natura.

Præter iam dicta etiam notare oportet cucurbitulas tam scarificatas, quam non scarificatas adhiberi ad revelendum, & derivandum, vel ad evacuandum ex determinata parte. Adhibentur cucurbitulæ ad revelendum ad hoc ut fiat tractio humorum fluentium versus contrariam partem, v. g. quando in febre putrida proximè imminet, aut incipit paraphrenitis; tunc ponuntur in dimidio corpore inferiori. Ad derivandum adhibentur, quando est necessarium versus cutim evacuare illam materiam, quæ proxima est, ut immediate attingat affectam partem, v. g. dum in phrenitide vera adhibentur in dimidio corpore superiori.

Ad causam coniunctam evacuan-

cuandam admovemus cucurbitulas super ipsam partem affectam, & ad istum finem in statu universali, decura regulari, in pleuritide cucurbitula scarificatur super partem inflammatam. In regione umbilicali adhibetur sine scarificatione, sed cum multa flamma, in dolore colico flatuoso, maxima cum utilitate; igitur instar incantamenti flatus resolvitur, & dolor penitus destruitur.

Pro calce huius capitis, supponendo cucurbitulas alias esse æneas, alias corneas, alias vitreas, &c. Animadvertere debeo modum, quo agit omnis cucurbita applicata partibus carnosioribus, ut Practicantes obtineant integram cognitionem huius materiæ: ex illa suctione, vel accensa intus stupa aër nimis rarescit, quam ut in cucurbitula contineri posset, tunc pro parte expellitur: expulsus ille aër, quia in cucurbitulam fortiter adductam carni, & adhærentem nequit regredi, neque aliud aërem penetrare potest, adeoque locum non habet, quo se recipiat, cum in hoc universo omnia corpore sunt plena, premere debet carnem, & eius contentos humores, ut proportionatè ad se expulsum intra cucurbitulam ubi minor præssio est, ascendant, & sic locum habeat derelictum à carne, & sanguine. Quantò igitur accensa stupa habet plus ignis, aëremque rarefacit, tantò altius ascendit caro intra cucurbitulam: Undè ab accensione dudum non spectandum, ne aër restans in cucurbitula condensatus denuo exturbatum admittat, & sic cucurbitula, vel carni non adhæreat, vel saltem vix operetur.

CAPUT XIII.

DE FRICTIONIBUS, ET ligituris.

FRictiones *sunt motus atractorij, qui in aliqua parte corporis fiunt cum manibus, vel linteo calido ad cutis rubedinem, & cum, vel sine dolore ad distinctos effectus consequendos*. Verum est, quod frictiones dividuntur in revulsorias, derivatorias, & evacuatorias, sicut sanguinis missio, & non desunt Neoterici, qui frictiones revulsorias prohibent contra ipsam experientiam: Eorum fundamentum stat in eo, quod frictiones non tam profundè operentur, ut impediant affluxum alicuius humoris ad caput. Insuper aliqui ex Neotericis iam confitentur frictiones aliquo modo revulsionem facere; igitur de illis ita loquuntur: *Si frictiones*

quid simile revulsioni faciant, *est hoc tantillæ durationis*, *& efficaciæ*, *ut rigorosè nomen revellentis auxilij non mereantur frictiones* : sed falsum est tale assertum; quia constat experientia frictiones in brachijs factæ cohibere fluxum sanguinis ex utero, ex hemorroidibus, &c. & dum exercentur frictiones in tibijs, quia similiter revelunt rigorosè, immodicum fluxum sanguinis narium reprimunt.

Sciant Practicantes, quod frictionum etiam duæ differentiæ dantur, scilicet siccæ, & humidæ : *Siccæ* dicuntur illæ, quæ fiunt cum linceis, aut manibus. *Humidæ* vocantur, quæ cum aqua fiunt fricando manibus, vel cum spongijs madefactis in aqua simplici, vel in aqua vitæ, vel in vino, in quo decoquerint hervæ appropriatæ. Tamen fiunt frictiones humidæ cum manibus inunctis, seu madefactis in oleo olivarum, &c. Præter assignatas species frictionum, etiam dantur quatuor differentiæ, videlicet fortes, suaves, multæ, & modicæ : de his differentijs memor Cornelium Celsum mentionem fecisse in lib. 2. de Re Medic. cap. 14. per hæc verba : *Frictione si vehemens sit*, *durari corpus*, *si lenis*, *molliri*, *si multa*, *minui*, *si modica impleri*.

Transeamus iam ad enodandum, quod frictiones multis morbis prosunt, in quibus curatio sequi solet pro mota, & restituta transpiratione, ut cachexia, anassarca, qui ortum trahunt ex ea impedita, & læsa; etiam in alijs morbis, in quibus convenit exercitium, tamquam omnimodum remedium eorum, & quando non possunt ægrotantes exerceri, tunc substituit ars cum frictionibus ad poros aperiendos attrahendum, & movendum versus corporis ambitum, & ut transpiratio sequatur. Iam in promptu habeo Magistrum Galenum in lib. de Puero Epileptico, cap. 4. commendasse frictiones in Epilepsia, ut è sequentibus verbis patet : *Frictiones præparant corpus*, *crassos humores attenuant*, *& in halitum digerunt*, *cum habeant locum exercitij*. Sed frictiones, quæ in paroxismo epileptico fiunt, debent esse lenes, quatenus blando motu fibrillarum nervosarum demulcentur spiritus.

Præterea animadvertere debeo, quod Practicantes in corporibus debilibus consulant frictiones loco exercitij, nam frictiones inscindunt, attenuantq́ succos crasos, & simul discutiunt, roborant habitum corporis, procurant vegetiores

res coctiones, dummodo ſervent medium inter molles, & duras; quoniam multæ, & duræ deprimunt mollem corporis; modicæ verò, & molles implent, caloremque naturalem ſuſcitant, & refocilant.

Frictiones non parum conducunt ad cohibendum ventris fluxum, revelendo ad corporis ambitum, & promovendo tranſpirationem; & idcircò à plurimis Priſcorum Medicorum commendantur frictiones humidæ in pertinaci fluxu ventris, ut Avicena in lib. 3. fen. 16. teſtis eſt, igitur confirmat hunc aſſertum ita loquendo: *Et ex retinentibus fluxum ventris ſunt balneum, & fricatio, per hoc, quod dilatans poros, & multoties attrahitur materia ad exteriora.*

Veruntamen frictiones ſuaves multum valere paraliticis membris, quamvis præter impotentiam ad motum atrophica ſint; & ideo ferè omnes Practici laudant tales frictiones, ad hoc ut prædicta membra atrophica ſeu ſicca nutrimentum accipiant, & ſpiritus animales: ſignum verò eſt nutritionis membrorum, & ſpirituum receptionis, quod talia membra ſentire, & moveri incipiunt, & ſimul gliſcunt. Veritas magnæ utilitatis, quæ membris paraliticis atrophicis ſequitur ad eorum augmentationem, infertur ex ſequentibus verbis Avic. qui in lib. 1. eas refert: *Exercitium ſiquidem magnificat membrum.* Hæc verba habent filiationem ex ipſa experientia, quæ nos docet homines laborantes, ut fabriferrarij, carrucarij, fabrilignarij, &c. habere maiorem magnitudinem in brachio, & manu dextra, quam in ſiniſtro brachio, & eius manu.

Notare oportet, quod fortiores, & dolorificæ frictiones aliquandò multum conferunt, quia motu fibrilarum expergefaciunt ſpiritus, irritantque tales frictiones, ut vehementius, & rapidius per cerebrum ſpiritus ferantur, illudque tendant, ut in vigilijs, & ob id hæ frictiones fortiores, & dolorificæ conferunt in affectibus ſoporoſis, ut ægri excitentur.

Item animadvertere debeo circa frictiones ſiccas, & humidas ad integram intelligentiam pro meliori, & rectiſsimo uſu: Debent uti frictiones ſiccæ in corporibus nimis laxis, humidis, & obeſis; quæ in principio fieri debent mediocres ad attenuationem, & poſt fortiores, ut fibræ nervoſæ poſsint reduci ad fortiorem contractionem, quæ requiritur ad diſcutionem ſuperfluitatum humidarum. Frictiones ve-

verò humidæ conducunt, quando imminet periculum à calefactione, & compresſione propter ſiccas frictiones, ut in corporibus gracilibus contingere ſolet, item uti debemus talibus humidis frictionibus, dum oportet, ut medicamenta liquida per cutaneos poros facilius penetrare poſsint.

Ligaturæ *ſunt compresſiones dolorificæ, quæ in brachijs, & manibus, tibijs, & pedibus fiunt cùm chordis, aut cingulis ad varios effectus.* Duæ dantur differentiæ ligaturarum, ſcilicet fortes, & mediocres, & prout, ſunt tales, poſſunt gerere vices ſanguinis misſionis; igitur per constrictionem maiorem, aut minorem provenientem ab arctiore, vel laxiore vinculo, plus minuſve coercetur motus ſanguinis influentis ultra ligaturam, unde poſſunt validius contrahi vaſa contenta inter ligaturam, & ſummam partem, & loco movere ſiquid hæret: & ſi ligatura fuerit mediocris, tùm influet aliquid ſanguinis per arterias, ſed maiori velocitate, tùm propter minorem quantitatem, tum quia aliquantum ſubſiſtens ad locum ligaturæ patitur maiorem præſsionem à ſanguine ſuccedente, unde concipit maius momentum, quo demum ſuperat ſanguis ligaturæ reſiſtentiam, & toto impetu devolvitur in arterias, & facilè arripit iam dimotas materias, quæ hærebant.

Communis opinio eſt inter Priſcos Medicos, & inter aliquos Neotericorum, quod ligaturæ habeant vim revelendi plus, aut minus, prout fuerint mediocres, aut fortes; veneror omnes, & de omnibus benè loquor; ſed quia in Medica facultate tantum veritatem ſectari debeo, aſſero ligaturas non revelere, neque trahere ſanguinem ab aliqua parte, ſed potius eius tranſitum impedire. Et ut ab omnibus iſta veritas videatur, attentè inſpicere debent, ligaturas facere, ut ſanguis, qui per arterias influit in partem ligatam, non poſsit refluere in totum corpus per venas eiuſdem partis, ſed facere, ut quieſcat ſanguis in eadem parte, & ad eam continuè novus influat, præſtare, ut univerſa quantitas ſanguinis in corpore reſidua minor ſemper, ac minor evadat, celerius fluat, & abripiat quidquid hæret affectis partibus; unde imperitis rerum videtur, cum videant reliqua in corpore per adminiſtrationem ligaturarum evadere in melius, has ipſas ligaturas eſſe, quæ revelant, atque attrahant morbificam cauſam.

Non

Non dudum eſt, quod per uſum ligaturarum multoties varias hemorragias eſſe supreſſas, vel ad minus retardatas, ſed porró non per revulſionem, ſed potius per refrigerationem, quæ repentè in ſanguine introducitur ſolutis iam ligaturis, quod mirum non eſt, ut refrigeratio faciat; igitur experientia docet ſupreſſas eſſe nimias hemorragias appoſitis frigidis auxilijs, & quandoque ipſa nive applicata. Oportet notare circa ſolutionem ligaturæ, quod caveant Practicantes, ne tota ſimul ſolvatur, quia ſi totaliter fiat ſolutio eius, tunc ſanguis toto impetu, & quantitate devolvitur in cor, præcipuè ſi longiori ſpatio temporis detinuerimus partem ligatam; quiete enim ſanguis refrigeratur, unde tanto impetu traductus ad cor nocere poteſt, producendo ſincopem, vel intermittentiam pulſus, vel etiam mortem: primò quidem ratione frigoris conſtingendo nervos, aut Arteriolas, aut Villos, & ſiſtendo fluxus, vel coagulando contentos humores à quibus oritur ſincops, & intermiſsio pulſus, & ſi diutiùs protrahantur, etiam indubitanter mors fieri poterit.

)(§)(

CAPUT XIV.

DE CAUTERIO, FONTICULIS, & ſetaceo.

CAuterium intelligi debet per operationem, quam efficit ignis corpori ad motus. Dividitur cauterium in actuale, & potentiale: *Cauterium actuale* eſt ferrum candens certæ figuræ, quo pars aliqua corporis diſolvitur, ac exuritur ab igne ex illo evolante ſubito ſecundum ſuas particulas. *Potentiale* eſt, quod ſine peculiari ſenſu inurit partes, non quidem momentaneè, ac actualè, ſed in ſpatio unius, vel duorum dierum, v. g. ſpiritus nitri, aqua fortis, lapis infernalis, butirum Antimonij, &c.

Varia ſunt cauteria actualia, ſeu ferramenta candentia, & ideo dicitur in definitione cauterij actualis, quod eſt certæ figuræ, quia ſunt diverſa, de quibus Chyrurgia utitur, & inter illa inveniuntur dactilaria, quæ ſunt figuræ oſium dactilorum, quæ cauteria ſerviunt ad ocludendas arterias læſas, ſanguiniſque effluxum cohibendum, illas enim expulſis, quæ poros occupabant, coarctat, atque incruſtat una cum circunſtante carne.

Animadvertere oportet, quod

quod cauterium actuale melius est, quam potentiale. Potentiale verò, nisi applicetur, cum prudentissimo moderamine, ægrum exponit maioribus incommodis, & præcipuè in locis sensibilibus, quæ incommoda nequaquam assequuntur ex actuali cauterio, si prudenter adhibeatur, hæc veritas patet; igitur effectus cauterij actualis non solum repentinus est, sed etiam materiam malignam, si subsit, in momento quasi corrigit, & figit. Negare non possum tale cauterium actuale dolorem vehementem excitare, sed communiter magis repentinus est dolor, quam durabilis, & sine periculo, de quo potentiale nunquam caret; idcircò in carbunculis pestilentialibus cauterium actuale plus boni effectus pollicetur, quam potentiale, quia potenter infringit putridam corruptelam sphacelum minantem, dum promovet affluxum humorum ad affectam partem, ut materia corruptiva posit melius, & constantius emanare. Insuper in cauterio actuali non inveniuntur particulæ acres, & corrosivæ, sicut in cauterio potentiali, ex quo sanguinis massæ transfunduntur tales particulæ acres, & causticæ.

Fonticuli sunt quædam ulcuscula, quæ in diversis partibus corporis fiunt ab arte, perurendo cutem cum cauterio actuali, vel potentiali ad evacuandos noxios humores limphaticos. Fonticuli dividuntur in quatuor species, scilicet in revulsorios, derivatorios, interceptorios, & evacuatorios. Quia de fonticulis revulsorijs, & derivatorijs non indigemus explicatione, tantum circa interceptorios, & evacuatorios, aliquid explanabo: *Fonticuli interceptorij* aperiebantur à veteribus Medicis, & odie fiunt per Neotericos magis cordatos, ut intercipiatur aliquis fluxus serosi humoris valentis impedire sanitatis restaurationem. Frequenter utitur è fonticulo interceptorio, quando ulcera difficillimè veniunt ad cicatrizationem propter nimium affluxum humiditatum; in hoc enim casu ut exicentur ulcera aperitur fonticulus suprà ulceratam partem ad determinatam distantiam, ut per tale ulcus, serositates, quæ ad affectam partem erant in fluxu, evacuentur intercepto earum motu; & sic dum tale ulcus existit in tibia, aperitur fonticulus in crure. *Evacuatorij fonticuli* valent ad humores noxios evacuandos, qui per congestionem producunt varios tumores, qui frigidi vocantur; & quia tantum con-

conducit attenuare crasitiem, & evacuare materiam contentam in parte tumorosa.

Certisimum est fonticulos evaquare humores superfluos limphaticos, dum, vel inter musculos destilant, vel cum sanguine arterioso circa illos feruntur, unde magnæ sunt utilitatis, non solum ad aliquos morbos curandos, verum etiam ad paleandos, seu mitigandos, & ad præcavendos: & idcirco excitantur in brachio inter musculum Deltiodem, & Bicipitem: in femore interius supra genu ad trium, quatorve circiter digitorum transgresorum distantiam inter musculum Bastum, internum, & Sartorium: in pedis parte superiori, seu tibia ad digitorum trium, quatorve latitudinem infra genu, circa marginem musculi Solei, vel inter Soleum, & Gastrocnemium musculum.

Iam memor aliquos Auctores Neotericorum contemnere, & usquequaque recusare usum fonticulorum cum non exigua pertinacia cum rationibus nullius momenti, tamquam si experientia nihil valeret; ex illa constat fonticulos curasse, sedasse, ac præservasse multos ægros è varijs capitis morbis tam externis, quam internis; & in omnibus ætatibus; & ideò mirum non est, si attendendo ad felices eventus, commendent Medici, & Chyrurgi satis experti, usum (non abusum conclamatum ab aliquibus tanquam remedium generale) fonticulorum adversus motus convulsivos infantum, & puerorum, contra Opthalmiam, Cephalalgias, Affectus soporosos, vertiginosos, tumores strumosos, & adversus omnes morbos pertinaces, qui ex limphaticis humoribus nascuntur.

Setaceum est genus fonticuli in nuchæ cute excitari, frequenter inter primam, & secundam vertebram, evacuationis gratia: dixi frequenter, quia debet dupliciter intelligi ratione partis: *primò* igitur non solum excitatur inter primam, & secundam, verumetiam inter secundam, & tertiam, & ut aliqui volunt inter tertiam, & quartam vertebram. *Secundò*, quia non solum fit setaceum in nucha, sed etiam in alijs partibus corporis in regione hipocondriorum contra pasiones cronicas jecoris, &c. Insuper in escroto solet etiam excitari in hidropis specie, quæ vocatur *Ascitis*, in asthmate, in hidrope pectoris, &c. Memor etiam Priscos Medicos excitasse setacea in suris adversus morbum Ischiadicum, & ob id Lazarus Riverius commendat in prædictis partibus, ad curandam

asignatam speciem arthritidis.

Notare oportet, quod setaceum in nucha magna cum utilitate adhibetur in nonnullis morbis capitis diuturnis, ut epilepsia, fatuitas, melancholia morbus, mania, vertigo, &c. etiam in affectibus oculorum, in dolore dentium, in rachitide, asthmate, &c. Pro calce huius capitis licet animadvertere, quod setaceum potentius operatur, quam fonticulus, sed longè est molestius; ideòque vix instituitur, nisi alijs frustra adhibitis.

CAPUT XV.

DE MEDICAMENTO, ET eius differentijs.

MEdicamentum *est, quod nostrum corpus potest alterare, & ab statu præternaturali ad naturalem reducere.* Hæc deffinitio assumpta fuit ex lib. 1. de facult. simplic. medicam. nostri Magistri Galeni. Dividitur medicamentum in simplex, & compositum: *Simplex* est, quod factum fuit ab ipsa natura, quod tripliciter consideratur; *primum* dicitur vegetabile, dum ex vegetabili regno sumitur. *Secundum* vocatur minerale, quando capitur ex regno minerali. *Tertium* appellatur animale, si accipitur ex animali regno. Talia medicamenta dicuntur simplicia, quia nihil ab arte habent permixtum v. gr. radices, foliæ, flores, semina, &c. Lapides, terræ, mineralia, &c. Partes animalium, ut sanguis hirci, dens apri, pulmo vulpis, testiculus castorei, &c.

Compositum medicamentum est, quod fit ab arte ex varijs simplicibus inter se commixtis, & ad hunc intentum prædictus Magister in lib. 1. de compositiom. medicam. cap. 2. scripsit sequentia verba: *Cæterum materiæ medicaminum quædam à plantis, quædam à metallis, nonnulla ab animantibus proveniunt.* Notare licet, quod medicamenta tam simplicia, quam composita una sunt maioris efficaciæ, quam alia, quod consistit in maiore, vel minore partium tenuitate, & idcirco ipse Magister Gelenus in lib. de facultat. simplic. medicament. ita fatur: *Quæ tenuium sunt partium medicamenta, his, quæ sunt crassarum partium, plus habent efficaciæ, nimirum, quia melius penetrant.*

Medicamenta simplicia, & composita, dividuntur in externa, interna, utriusque speciei, & in specifica: *Externa medicamenta* dicuntur, quæ disposita sunt ad morborum externorum curationem, ut linimen-

mentâ, unguentâ, emplastra, &c. *Interna* appellantur ea, quæ accommodata sunt ad curationem morborum internorum, v. gr. Confectiones cordiales, electuaria, sirupi, &c. cortex peruvianus, radix zaqual ripanis, cochlearia, agrimonia, &c. *Utriusque especiei* vocantur illa medicamenta, quæ sunt dispostita ad hoc, ut securè administrari posint, tam ad curationem internorum morborum, quam externorum, ut oleum amigdalarum dulcium sine igne extractum, de quo utimur in forma unctionis ad dolores externos sedandos, etiamque pro præsentaneo remedio in potu exhibetur in vehementi colico dolore. *Specifica medicamenta* dicuntur, quæ speciali parti, & morbo sunt appropriata. Notatur, quod specifica medicamenta alia dicuntur Chyrurgica, alia verò Pharmaceutica; sic specificum in fractura est Chyrurgicum, in epilepsia est Pharmaceuticum.

SCHOLIA.

PRacticantes, antequam accedant ad administrationem medicamentorum, debent esse instructos notitia aliquarum rerum necessariarum: *Prima notitia* est ponderum, ac mensurarum medicinalium, & caracterum, quibus ea depinguntur in Medicorum libris. *Secunda* est remediorum usitatorum, tam Galenicorum, quam Chymicorum, quibus utimur tū ad cōcoquendos vitiosos humores, tum ad expurgandos, & quæ sit quantitas exhibendi quodlibet medicamentum. *Tertia* est medicamentorum, tum simplicium, tum compositorum, quæ tota substantia medentur principalioribus corporis partibus. *Quarta* est viæ, ac meatus corporis, per quos ex partibus principalioribus evacuandi sunt vitiosi humores commodè per medicamenta. *Quinta* est formæ remediorum compositorum, in qua medicamenta usurpari solent in curatione morborum. *Sexta* est generalissimorum axiomatum, regularum, & cautelarum, quæ observandi sunt in omni curatione.

Amplius debent scire Practicantes varias esse differentias compositorum medicamentorum, quæ in curatione morborum solent uti, scilicet *Pulveres*, *Pilulæ*, *Boli*, *Electuaria*, *Trochisci*, *Morsuli*, *Potiones*, *Julepi*, *Emulsiones*, *Infusa*, *Decocta*, *Balnea*, *Topica*. &c. *Pulvis*, est medicamentum siccum, quod præparatur ex uno tantum simplici, vel ex pluribus mixtis. *Pilulæ*, seu *catapotiæ*,

sunt medicamentum solidum, & rotundum compositum ex remedijs facilè cohærentibus, quæ habent denominationem à Pila. *Bolus*, est medicamentum mediæ consistentiæ inter solida, & fluida, quod habet figuram glandis aliquo modo, & tanquam morsulus, seu frustulum deglutitur una vice. *Electuarium*, est medicamentum compositum ex simplicibus selectis, & pulverisatis, & cum melle, & saccharo reductis ad consistentiam crasiorem, quam Lincti. *Trochischi*, sunt quædam medicamenta orbicula, & sicca, quæ aliquo modo cum Pilulis conveniunt. *Morsuli*, seu *Tabelæ*, sunt medicamentum solidum, & quadratum ex pulveribus, & saccharo in conveniente liquore soluto, & iterum ad duritiem cocto.

Potiones, sunt mixturæ liquidæ ex varijs ingredientibus tam solidis, quam fluidis. *Julepus*, est mixtura liquida, quæ habet consistentiam dilutam, & ferè diaphanam, & constat ex aqua multa, & pauco sirupo. *Emulsiones*, sunt medicamentum liquidum, album, paratum ex seminibus, quæ vocantur frigidæ, & præcipuè ex nucleis amigdalatis, mediante aqua simplici, vel destilata. *Infusa*, sunt medicamenta liquida, seu liquores, in quibus macerantur radices, herbæ, & alia apta ad infundendum, ut horum virtute imbuantur. *Decoctum*, est medicamentum paratum ex varijs speciebus mediante menstruo appropriato, per convenientem coctionem.

Ptisana seu *Hordeatum*, est medicamentum confectum ex hordeo mundato, & in aqua perfectè cocto, ex quo hordei cremor elicitur. *Apocema*, est decoctum alterans, quod humores, & partes vario modo immutat, & fit ex varijs vegetabilibus. *Looch*, seu *Linctus*, est medicamentum consistentiæ mediæ inter sirupum, & opiatam. *Sirupus*, seu *Scrapium*, est medicamentum compositum ex succis, decoctis, aut infusionibus mixtis cum saccharo, aut melle, cuius consistentia est mellis liquidi. *Balneum*, est immersio totius corporis infra caput in quocumque liquore. Duplex est balneum, simplex, & compositum: simplex, quod fit ex aqua sola tepida, vel ex oleo solo, vel ex lacte, aut ex aqua, & oleo: compositum, est, quod fit ex decocto diversorum vegetabilium. *Lotiones*, sunt quædam fomenta, quæ pro diversis partibus componuntur ad distinctos effectus, & sic lotio pedum vocatur *pediluvium*; capitis autem lotio dicitur *ca-*

piluvium, seu *embrocatio*. *Semicupium* Semi-Balneum, seu *Insessum*, est lotio inferioris tantum corporis, & vocatur balneum dimidij corporis. *Topica*, seu *Epithemata*, sunt externa medicamenta, quæ, in forma liquida, aut solida applicantur certo cuidam corporis loco pro discutione, roboratione, &c. *Oxirrodinum*, est medicamentum factum ex aceto, & rosis, quod adhibetur capiti, fronti, & collo, communiter in ardentibus febribus, in delirio magno, &c. *Frontale*, est medicamentum, quod fronti admovetur citra simplicem illinitionem, & utitur ad demulcendum dolorem capitis, ad somnum conciliandum in febrivus, &c. *Fotus*, est medicamantum liquidum, quod admovetur varijs partibus corporis pro varia intentione. *Stupha*, est vaporarium, seu locus sudatorius, in quo vapore calido, & sicco, vel calido, & humido æger incalescit, & sudat. *Suffitus*, est medicamentum forma siccum, vel humidum, quod vignis, vel caloris spirat odores convenientes varijs morbis.

Linimentum, est medicamentum, quod habet mediam consistentiam inter oleum, & unguentum. *Unguentum*, est medicamentum compositum ex oleo, pinguedine, &c. cum cera reductum ad firmiorem consistentiam, quam linimentum. *Ceratum*, est medicamentum, quod habet mediam consistentiam inter unguentum, & emplastrum. *Emplastrum*, est medicamentum crasius, & viscidius cerato, quod cuti admotum, tenacius adheret. *Cataplasma*, est medicamentum topicum, quod habet ferè pultis consistentiam, & ab aliquibus impropriè vocatur emplastrum.

Practicantes ignorare non debent ad rectam præscriptionem medicamentorum quatuor partes, quæ dicuntur cardinales, videlicet basim, adiuvantem, corrigentem, & constituentem. *Basis*, est pars principalis, & primarium medicamentum formularum, quod satis facit intentioni Medici, & tanquam indicatum ex diametro opponitur indicanti. *Adiuvans*, est quod basim adiuvat, & quandoque illius defectum supplet. *Corrigens*, est quod respicit ad corrigendum aliquod medicamentum ingratum, vel eius noxiam qualitatem. *Constituens*, seu excipiens, est, quod constituit formam medicamenti, atque excipit basim, adiuvans, & corrigens.

Circa prædictas quatuor partes cardinales notare oportet: *primò*, quod basis tanquam pars

pars principalis debet superare reliquas partes minus principales dosi qualitatis, non autem semper quantitatis. *Secundò*, quod adiuvans basim debet adiuvare, vel estimulando, vel præparando: stimulando, ut quando scammonium sulphuratum, vel resina zaqualtipanis stimuli loco additur cuidam medicamento laxanti, quod segnius est in sua operatione, ut virtus principalis augeatur, nempe purgatio. Vel præparando, hoc est, effectum baseos facilitando, ut quando purgantibus, quæ per se satis efficaciter evacuant, mixcentur aliqua medicamenta digestiva, seu præparantia, v.gr. salia enixa, &c. ut materia movenda reddatur movilis. *Tertiò*, quod corrigens emendet saporem ingratum, seu nauseosum, qui quidem sapor corrigendus est per talia remedia, quæ minimè impediant operationem, sed potius eandem promoveant aliquo modo, ut sirupi, saccharum clarificatum, quod ab aliquibus vocatur sirupus albus, emulsiones, &c. Exemplum habemus in resina jalapæ, quæ, dum exhibetur disoluta in spiritu vini, ut non excitet nauseam, & ingratitudinem, mixcetur alicui emulsioni, vel solo lacti amigdalarum dulcium.

Insuper corrigens qualitatem noxiam medicamenti tripliciter facit, scilicet infringendo, invertendo, & viscera defendendo: infringendo, ut observatur in purgantibus drasticis, quorum efficacia corrigitur per admixtionem medicamentorum balsamicorum, aromaticorum, & carminantium, tamenque per additionem salis tartari, vel alicuius salis neutri, ut arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum, & alia salia eiusdem farinæ, quæ à Chimicis frequenter elaborantur. Corrigitur noxia, seu venenosa qualitas invertendo, & immutando testuram, seu cohordinationem medicamenti, disiungendoque à sua cohæsione particulas summè agiles; sic omnia salina medicamenta corrigunt efficaciam drasticam purgantium. Verum etiam corrigunt noxiam qualitatem, defendendo, & roborando viscera, & huic intentioni addimus aromatica, & carminativa purgantibus; igitur ventriculum roborant, & discutiunt flatus excitatos in primis vijs.

Quartò, quod constituens, seu excipiens semper sit proportionatum ad excipiendam quantitatem, & qualitatem baseos. Quantitas quidem debet proportionari, taliter ut cōmodius mixceri posint medicamenta, & reduci ad formam, quæ

quæ à Medico præscribitur. Qualitas verò ut excipiens conveniat cũ natura excipiendorum, sic virtus purgans foliorum sennæ excipi debet mediante menstruo aquoso, zaqualtipannis autem cum spirituoso ut spiritus vini. Animadvertere oportet Practicãtibus, quod dum excipiẽs, & excipienda sunt disparis naturæ, necessum est, ut coniungantur mediante quodam uniente, & sic quando opportet uti oleo therebintinæ, vel ipsa therebintina, balsamo peruviano, vel de Copaiva, tunc mediante vitelo ovi disolvuntur cum aquosis liquoribus.

Restat scire, Priscos Medicos memoriam fecisse de alia parte formularum, quæ ab illis vocatur dirigens, quia reliqua medicamenta ingredientia valet dirigere, & simul illorum effectuũ ad certas corporis regiones. Verum est, quod non desunt Neoterici, qui negligunt tale dirigens, & præcipue in purgantibus; sed iam Neoterici cordatiores amplectuntur prædictam partem veteranam, & idcirco medicamentis purgantibus mixcent dirigentia remedia, præcipue in illa purgatione, quæ per epicrasim fit, ideòque in morbis capitis cum purgantibus miscent remedia cephalica; in pectoris affectionibus, pectoralia, in uterinis morbis, histerica &c.

Pro coronide huius capitis, circa specificum chyrurgicum, & pharmaceuticum notare debeo, quod chyrurgicum specificum est quodcumque instrumentum, ex quacumque materia minerali, vegetabili, vel animali, quod solet iuvare manum medicam, non solum ad continuum solvendum, superfluum removendum, & separatum uniendum; sed etiam ad aliud quodcumque, quod præter diætetica, & pharmaceutica iuvare potest Medicum, ut tolat impedimenta, propter quæ spiritus vitalis, aut animalis liberè, & perfectè exercere non possent quidquid naturaliter in corpore vivente præstare possunt, atque debent. Specificum pharmaceuticum est simplex, & compositum, ut quodlibet aliud medicamentum non specificum, sed porrò, si vires simplicium specificorum perfecte nobis essent notæ, non dubium quin quemadmodum scorpij pungentis specificum alexiterium est ipse scorpio, & viperæ morsus ipsius viperæ cor, luis venereæ, lignum guaiacum, & Mercurius, scorbuti cochlearia, & alia, quibus bestiæ utuntur specifica, & quæ simplicia sunt adversus sibi morbos familiares ex instinctu naturæ proprio, ex quibus Philosophi primum medicinam de-

dedicisse scribunt homines, ita adversus singulos affectus haberentur medicinæ simplicis, sed quia multiplex est humanũ alimentum, non natura, sed arte ferè concinnatum, & instinctus ad tantam varietatem nom sufficeret propter variam temperiem mixturarum; ideò ex arte quærendum auxilium, nec hactenus in tanto morborum numero, qui gænus humanum exercet, quasi continuò præ feris, scientia rerum particularium in simplicibus, quod desideratur, invenit, ideò ex arte depromendum cum medicamentorum specificorum compositionibus.

CAPUT XVI.

DE PONDERIBUS, ET mænsuris medicamentorum cum characteribus veterum, & Neotericorum, seu Chimicorum.

PLures fuerunt species, & notulæ ponderum, ac mensurarum, quibus brevitatis causa væteres Medici utebantur in suis scriptis: hoc autem seculo præter characteres chimicos tantum quatordecim notulis, & literis utimur brævitatis causa, quibus significantur pondera, mensuræ, & omnes abreviationes, quæ in sequenti tabula comprehenduntur:

Gr.	Significat.	Granum.
℈	—	Scrupulum.
ʒ	—	Drachmam.
℥	—	Unciam.
qr.	—	Quadrantem.
℔.	—	Libram.
M.	—	Manipulum.
P.	—	Pugillum.
ß.	—	Semisem.
N.	—	Numerum.
R.	—	Recipe.
An.	—	Anà.
q. s.	—	Quantitatem sufficientem.
P. ę.	—	Partes, seu portiones ęquales.

Granum, est pondus medicinale omnium minimum, & quamquam in oficinis æstimetur grano hordei, tamen propriè

Eſtampa. VIII

Fig. II

Acetum	🜊	Caput mort.	🝎
Acet. deſtillatum	🜋	Chalcanth. vitriol.	🜖
Aer	🜁	Chalybs	♂
Æs	♀	Chalybis limatura	♂
Æs Viride	⊕	Cineres	🝗
Alembicus	🝪	Cinnabaris	🜍
Alumen	O	Crucibul.	🝧
Amalgama	āāā	Cuprum	♀
Antimonium	♁	Deſtillare	🝫
Aqua	▽	Dies	🝰
Aqua ſontis	▽ont.	Ferrum	♂
Aqua ſortis	🜅	Hermes Merc.	☿
Aqua Regia	🜆	Hora	🝮
Aqua Roſ.	▽Roſ.	Hydrargyrum	☿
Arena	∴	Ignis	△
Argentum	☽	Jupiter	♃
Argent. vivum	☿	Luna	☽
Arſenicum	🜺	Mars	♂
Audix Sal. Arm.	✳	Maſſa	∅
Auripigmentum.	🜽	Mercurius	☿
Aurum	☉	Merc. præcipitatus	☿
Balneum	B	Merc. ſublimatus	☿
Baln. Mariæ	MB	Nitrum	🜕
Bolus Armena	AB	Nox	🝯
Calx viva	Ψ	Oleum	🝆
Cancer	♋	Plumbum	♄
Præcipitare	🝫	Strat. ſup. Strat.	S.S.S.
Pulvis. Pulverare	🝨	Sublimare	🝞
Retorta	🝭	Sulphur	🜍
Sal Armoniacum	✳	Tartarum	🜿
Sal Commune	⊖	Terra	🜃
Sal Gemmæ	♉	Venus	♀
Sal Petræ	🜕	Vinum	V
Sol	☉	Viride æris	⊕
Spiritus	Sp.	Vitriolum	🜖
Stannum	♃	Urina	⊡
Stimmi. Antim	♁		

Fig. I



prie significat granum nummerarium, quo utuntur Aurifabri.

Scrupulus, est tertia pars drachmæ, & est pondus continens in se quantitatem, vel mensuram viginti quatuor granorum nummerariorum.

Drachma, est octava pars unciæ, & in se continet tres scrupulos.

Untia, est duodecima pars libræ medicinalis, & in se continet drachmas octo.

Quadrans, est quarta pars libræ; quæ in pondere medicinali constat ex tribus uncijs, in Mercatorum pondere ex quatuor uncijs.

Libra medicinalis constat ex duodecim uncijs, Mereatorum verò ex uncijs decem & sex. Notatur, quod in hoc tempore in Pharmacopolis, in conficiendis medicamentis, & mensurandis liquoribus, utuntur libra medicinali; in divendendis verò rebus aridis, & aromatibus, decem & sex uncias pro libra sumunt.

Manipulus, est tanta mensura, quantum manu complecti possumus, & ideo hervæ, & flores non pondere mensurantur, sed manipulo, seu fascicuLo.

Pugilus, est quantum quatuor summis digitis comprehendere possumus.

Semis; vel media pars, hæc notula omnibus ponderibus, vel per se, vel cum alijs numeris addici potest; & significat medietatem eius ponderis, cui additur.

Recipe, in schedulis medicatorijs, quas receptas vocant, semper est principalis littera R. & significat recipe, accipe, sume, videlicet rerum subsequentium.

Anà, est vox Arabica, cuius notula semper post duorum, aut plurium medicamentorum enumerationem ante characteres, seu notulas ponderum inscribitur: significat autem anà æquales omnium præscriptarum rerum partes, & tantam portionem, quantam subsequens ponderis numerus indicat.

Quantitatem sufficientem significant Q.S. hæ duæ litteræ reperiuntur interdum in schedulis medicatorijs, & in libris Medicorum, ubi certum pondus, aut mensura non exprimitur, sed Pharmacopei arbitrio permittitur, ut accipiat convenientem mensuram, quantam artificiosa coniectura satis esse iudicaverit.

Partes æquales significant P. Æ. & ideo ex his duabus litteris sumitur indicatio ad sumendas æquales partes cuius-

que medicamenti suprâscripti in schedula.

Pro calce huius capitis animadvertere oportet, quod characteres Chimicorum magis usitatiores, qui passim in quam plurimis libris Auctorum Neotericorum inveniuntur, demonstrantur in fig. II. tabulæ (vulgò Estampa) VIII. ubi etiam describuntur eorum significationes ad prohibendam quamcumque obscuritatem.



CA-

CAPUT XVII.

IN QUO DEMONSTRANTUR Doses Medicamentorum Galenicorum, & Chymicorum, secundum ætates ægrorum.

QUANTUM	*Infanti. 6. annorum.*	*Adolescenti. 16. ann.*	*Iuveni. 30. annorum.*
Acetorum destilatorum, ut Alexipharmacorum, Bezoardicorum, &c.	℈ß.	ʒjj.	℥ß.
Æthiopis mineralis.	gr. vj.	gr. xvj.	ʒß.
Aluminis crudi, tincti, saccharini.	gr. iiij.	gr. xij.	℈j.
Aquarum compositarum cum vino, & destilatarum.	ʒj.	℥ß.	℥j.
Aquarum compositarum cum spiritu vini.	℈j.	ʒiß.	℥ß.
Auri sclopitantis, seu fulminantis.	gr. j.	gr. ij.	gr. vj.
Balsami sulphuris varij generis.	gut. ij.	℈ʒ.	℈j.
Balsami Peruviani nigri.	gut. j.	gut. v.	gut. xv.
Balsami Copaivæ.	gut. ij.	gut. xij.	gut. xx.
Bezoardicorum antimonia-			

QUANTUM	Infanti. 6. annorum.	Adolescenti. 16. ann.	Iuveni 30. annorum.
nialium, ut Mineralis, Jovialis, Martialis, &c.	gr. v.	gr. xv.	ʒß.
Boracis ad promovendum partum.		ʒß.	ʒj.
Cantharidum pro veneris stimulo.			gr. ß.
Castorei.	gr. iiij.	gr. xv.	ʒß.
Cerusæ Antimonij.	gr. vj.	℈j.	℈ij.
Cinnabaris Antimonij, & nativi præparati.	gr. v.	℈ß.	℈j.
Clysi Antimonij.	gut. iij.	gut. xij.	gut. xxiiij.
Clysi vegetabilis.	gut. vj.	℈ß	℈ij.
Confectionum Alexipharmacarum, & antidotorum.	℈ß.	ʒß.	ʒiß.
Conservarum.	ʒj.	ʒiij.	ʒvj.
Cremoris Tartari.	℈ß.	℈ij.	ʒiß.
Croci Orientalis.	gr. ij.	gut. vj.	℈ß.
Croci Metalorum ex Antimonio.	gr. ij.	gr. iiij.	gr. viij.
Croci Solis, seu Auri.	gr. j.	gr. v.	℈ß.
Croci Martis adstringentis, & Martis aperitivi.	gr. iiij.	℈ß.	ʒß.
Diaphoreticorum antimonialium, ut Jovialis, Martialis, &c.	gr. vj.	℈j.	℈ij.
Electuariorum alterantium.	℈j.	℈ij.	ʒiß.

Elec-

QUANTUM 	*Infanti. 6. annorum.*	*Adolescenti. 16. ann.*	*Iuveni. 30. annorum.*
Electuariorum purgantium plurimorum.	ʒj.	℥ß.	℥j.
Electuarij de Succo Rosarum, Carycostini, Diacartami, &c.	ʒß.	ʒiß.	℥ß.
Elixiris, colore benè saturati.	gut. vj	℈j.	℈ij.
Essentiarum simplicium.	gut. viij.	ʒß.	ʒj.
Essentiarum compositarum benè extractarum.	gut. iiij.	gut. xij.	ʒß.
Extractorum alterantium in genere.	gr. iiij.	℈ß.	ʒj.
Extracti Castorei, & Croci.	gr. j.	gr. v.	℈ß.
Extracti opij cum Succo cydoniorum, vel aceto præparati.	gr. ß.	gr. iß.	gr. iij.
Extracti opij cum spiritu vini facti.	4. pars gr.	gr. j.	gr. ij.
Extractorum purgantium in genere.	gr. vj.	gr. xvj.	ʒß.
Extracti Diacarthami, Rhabarbari, &c.	℈ß.	ʒß.	ʒj.
Extracti elebori nigri.	gr. j.	gr. vj.	℈ß.
Extracti Colocynthidis, & elaterij.	gr. ß.	gr. ij.	gr. iiij.
Fecularum Aronis, Bryoniæ, Peoniæ, &c.	gr. vj.	℈ß.	ʒß.

Flo-

QUANTUM	*Infanti. 6. annorum.*	*Adolescenti. 16. ann.*	*Iuveni. 30. annorum.*
Florum Ammoniaci simplicium, Martialium, & Entis veneris.	gr. vj.	gr. xvj.	℈ij.
Florum Benzoini.	gr. j.	gr. vj.	℈ß.
Florum sulphuris.	℈ß.	ʒß.	ʒj.
Florum Antimonij albi vomitorij.	gr. ß.	gr. j.	gr. iij.
Gummatum ferulaceorum.	gr. x.	℈j.	℈ij.
Herbarum alterantium pulverisatarum.	℈ß.	ʒß.	℈iiij.
Herbarum ad infusa vel decocta.	m. ß.	m. j.	mjß.
Herbarum purgantium pulvis.	℈ß.	ʒß.	ʒj.
Infusionis Antimonij, aliàs aquæ benedictæ.	ʒj.	ʒiij.	℥j.
Lapidis Bezoar Orientalis.	gr. iiij	gr. x.	gr. xvj.
Lapidis Bezoar Occidentalis.	gr. x.	gr. xvj.	ʒß.
Lapidis specularis ad partum facilitandum.		℈j.	℈ij.
Liquorum, vel Salium solutorum per deliquium.	gut. viij	gut. xx.	℈ij.
Liquoris Salis Tartari.	℈ß.	℈j.	ʒj.
Looch in genere.	ʒj.	℥ß.	℥j.

Ma-

QUANTUM	*Infanti. 6. annorum.*	*Adolescenti. 16. ann.*	*Iuveni. 30. annorum.*
Magisteriorum, seu præcipitantium alterantium.	gr. viij.	gr. xvj.	ʒß.
Magisteriorum Jovis, Sulphuris, & Saturni.	gr. iiij.	℈ß.	gr. xx.
Mellis cuiusvis generis.	℥ß.	℥j.	℥ij.
Mercurij dulcis.	gr. v.	gr. xij.	℈j.
Mercurij præcipitati albi.	gr. iij.	gr. x.	gr. xvj.
Mercurij præcipitati viridis.	gr. j.	gr. ij.	gr. iiij.
Mercurij præcipitati rubri.	gr. j.	gr. iiij.	gr. vj.
Mercurij vitæ pro robustis.		gr. iß.	gr. iij.
Millepedum prep.	gr. vj.	℈ß.	ʒß.
Morsulorum purgantium iuxta diversitatem specierum.	ʒj.	ʒij.	℥ß.
Moschi veri.	gr. ß.	gr. ij.	gr vj.
Nitri Antimoniati.	gr. vj.	gr. xvj.	ʒß.
Oleorum distilatorum ex aromaticis ut Caryophilorum, &c.	gut. j.	gut. ij	gut. iiij.
Oleorum distilatorum cæterorum vegetabilium.	gut. j.	gu. vj.	gut. xx.
Oleorum distil. torum empireumaticorum.	gut. ij.	gu. vj.	gut. xij.

Oleo-

QUANTUM	*Infanti. 6. annorum.*	*Adolescenti. 16. ann.*	*Iuveni. 30. annorum.*
Oleorum per expreſsionem factorum, ut amigdalarum dulcium, &c.	ʒij.	℥j.	℥ij.
Olibani, Maſtichis, &c.	gr. vj.	gr. xviij.	ʒß.
Præparatorum, ideſt pulverum ſubtiliſsimorum.	℈ß.	℈j.	ʒj.
Præparatorum lapidum duriorum, ut ſmaragdæ, &c.	gr. vj.	gr. xv.	ʒß.
Pulparum, è fructibus.	℥ij.	ʒvj.	℥iß.
Pulverum alterantium, è vegetabilibus, ut aromatibus, herbis, radicibus, floribus, etiamque ex partibus animalium.	℈ß.	ʒß.	ʒj.
Pulvernm compoſitorum.	℈ß.	℈ij.	ʒj.
Pulverum purgantium ordinarum.	℈ß.	℈ij.	℈iiij.
Pulveris Cornachini, ſeu de Tribus, vulgò *Sol, Luna, y Reſplandor.*	℈ß.	℈j.	ʒß.
Pulveris laxativi vegetabilis, & ſimplicis.	gr. viij.	gr. xviij.	℈ij.
Pulveris gummi guttæ, ſcammonijque.	gr. ij.	gr. vj.	℈ß.

Ra.

QUANTUM	*Infanti. 6. annorum.*	*Adolescenti. 16. ann.*	*Iuveni. 30. annorum.*
Radicum purgantium, ut thurpeti, zaqualtipanis, hipepicuannæ, scilicet pulverisat.	gr. iiij.	℈j.	℈ij.
Rhabarbari pulverisati.	℈ß.	ʒß.	ʒj.
Resinarum Scammonei, Mechoacannæ, Jalapæ, &c.	gr. iiij.	gr. viij.	℈ß.
Resinarum Agarici, & Guaiaci.	gr. vj.	℈ß.	℈j.
Robum simplicium.	ʒij.	℥ß.	℥j.
Robum purgantium.	ʒj.	ʒiß.	ʒiij.
Salium Alkalinarum fixorum.	gr. vj.	gr. xvj.	ʒß.
Salium volatilium alkalium.	gr. iiij.	℈ß.	℈j.
Salium enixorum, scilicet accido-Salsorum.	gr. vj.	℈j.	℈ij.
Salium oleosorum siccorum.	gr. v.	gr. xvj.	ʒß.
Salis vitrioli vomitivi.	gr. vj.	℈j.	℈ij.
Seminum Carthami, & colochintidis, pro infusione.	ʒß.	ʒj.	ʒiß.
Solutionum methallorum, ut vitrioli Martis, Sacchari Saturni, &c.	gr. iiij.	℈ß.	gr. xvj.

QUANTUM	*Infanti. 6. annorum.*	*Adolescenti. 16. ann.*	*Iuveni. 30. annorum.*
Solutionis lunæ hydragogæ.	gr. j.	gr. ij.	gr. iiij.
Specierum alterantium iuxta compositiones veterum.	℈ß.	ʒß.	ʒj.
Specierum purgantium.	℈ß.	℈ij.	ʒj.
Spermatis cæti.	℈ß	ʒß.	ʒj.
Spirituum vinosorum, simplicium, & compositorum, è vegetabilibus.	ʒß.	ʒij.	℥ß.
Spirituum empireumaticorum ex animalibus, & vegetabilibus, rectificatorum.	℈ß.	ʒß.	ʒj.
Spirituum acidorum, mineralium, ut vitrioli, salis communis, &c.	gut. ij.	gut. vj.	gut. xij.
Spirituum acidorum dulcificatorum è mineralibus.	gut. vj.	gut. xvj.	ʒß.
Syruporum alterantium.	ʒiij.	ʒvj.	℥jß.
Syruporum purgantium.	℥ß.	℥jß.	℥iij.
Syrupi Emetici facti cum vitro Antimonij.	ʒj.	ʒijß.	℥ß.
Syrupi Emetici facti cum			



QUANTUM	*Infanti. 6. annorum.*	*Adolescenti. 16. ann.*	*Iuveni 30. annorum.*
Cum hepate Antimonij, qui vocatur syrupus hepaticus.	ʒiß.	℥ß.	℥j.
Tartari Emetici exactè præparati cum crocometallorum , vel hepate Antimonij.	gr. ij.	gr. iij.	gr. vj.
Tartari Emetici ritè præparati cum vitro Antimonij.	gr. j.	gr. jß.	gr. iij.
Tartari Chalybeati, tartari solubilis, &c.	gr. vj.	℈ß.	ʒß.
Tincturarum è vegetabilibus simplicium aqua extractarum, ut rosarum , &c.	℥j.	℥ij.	℥iiij.
Tincturarum simplicium, & compositarum cum spiritu vini paratarum.	ʒß.	ʒj.	ʒij.
Tincturarum mineralium condensatarum, ut Antimonij, Martis, Tartari, veneris , &c.	gut. vj.	gr.xvj.	ʒß.
Trochiscorum pulverisationi destinatorum.	℈ß.	℈j.	℈ij.
Trochiscorum Alkandali.	gr. j.	gr. iij.	gr. vj.
Turpethi mineralis.	gr. ß.	gr. ij.	gr. iiij.
Vini Emetici.	ʒjß.	℥ß.	℥jß.

SCHOLIA.

MEmor iam Magistrum Galenum in suo methodo medendi scripsisse contra supradictam tabulam verba sequentia: *In Medicina nihil est, quod calamo, aut lingua proferri non possit, quantitas autem medicamenti, nec calamo scribi, nec lingua proferri potest.*

Sed hæc auctoritas non obstat, ut prudenter numerari posit quantitas medicamentorum, tam simplicium, quam compositorum; dico prudenter, igitur Matematica præscriptio minimè fieri potest à Medico etiam Doctissimo: ergo profectò si aliquis Practicans non observet quidquid in præscripta tabula demonstratur, tunc non se habeat tanquam Medicum rationalem, atque conscientia recta utentem medicamentis, sed audacem empiricum.

Hoc supposito transeamus ad aliquas animadversiones, quæ sunt necessariæ circa rectum usum medicamentorum in hac tabula præscriptorum: *Primo* animadvertitur, quod balsama cum ad diuturnum usum expectantur, debent administrari minori dosi, quia non nihil sunt infesta asperæ arteriæ, & pulmonibus ob eorum acrimoniam.

Secundo animadvertitur, quod omnes essentiæ, tincturæ, atque elixiria extracta ex resinosis, & oleosis simplicibus, debent ægris exhiberi in vehiculo spirituoso; igitur in aquoso præcipitantur, exceptis ijs essentijs, & tincturis, quæ præparatæ sunt cum quodam sale alkali soluto.

Tertio animadvertitur, quod in morbis, ubi non convenit Pthyalismus, medicamenta mercurialia, & cinnabarina debent exhiberi cum interpolatione, quia asiduè propinata, ptgyalismum excitant, quæ evacuatio est valdè molesta pueris, & mulieribus debilibus.

Quarto animadvertitur, quod olea fragrantia, ut Cinamomi, Caryophilorum, &c. propinari debent in vehiculo frigido, vel leniter calido, ne eorum particulæ volatiles exalentur. Olea verò per expressionem facta frequenter exhibita excitant nonnunquam nauseam, & vomitum, quæ ut minori molestia accipiant ægroti, exhiberi debent cum vehiculo calido, videlicet in jusculo puli.

Quinto animadvertitur, quod præparata terrarum, lapidum pretiosorum, oculorum cancrorum, corallorum, & omnium testaceorum nullo- mo-

modo debent exhiberi in vehiculo acido, quia minoratur eorum virtus absorbens, fermentando, antequam sumantur, cum acido vehiculo.

Sexto animadvertitur, quod resinæ jalapæ, guaiaci, &c. si subigantur in pulverem cum oleoso quodam terrestriori, & commixceantur cum tartaro vitriolato, vel cremore tartari, &c. sufficit tunc earundem dimidia dosis, verum si propinentur sub pilulis, aut cum spiritu vini, tunc securè debet exhiberi earum dosis, quæ assignatur in tabula.

Septimo animadvertitur, quod salia volatilia propinari debent statim in frigido vehiculo ad vitandum, ne desipentur, & avolent. *Octavo* animadvertitur, quod sperma cæti debet exhiberi in jure satis calido, quia ita liquescit instar butyri. *Nono* animadvertitur, quod spiritus vinosi, & reliqui volatiles mixceri debent cum vehiculo frigido, aliàs secus avolant.

CAPUT XVIII.

DE PRÆPARATIONE, ET concoctione humorum præternaturalium.

IN præsenti capite non loquimur de illa specie concoctionis, quæ ab Avicena vocatur *injuvativo*, & ab alijs Pepsis, cuius propria definitio est: *Actio per quam mediante proprio, & nativo calore, coquuntur alimenta, & ea, quæ secundum naturam se habent.* Quia de ista concoctione loquutus ero in lib. 2. huius quintæ essentiæ, dum agam de Anathomia Medico necessaria: hoc iam supposito, accedamus ad definiendam concoctionem in nocitivo, quæ vocatur etiam *Pepasmus*, & est *Dominatio, & victoria naturæ in humorem noxium, sive putridum, sive non putridum, ut pro suo arbitrio excerni possit.*

Concoctio in nocitivo dividitur in juvativam, & non juvativam: *Juvativa* est illa, quæ fit cum juvamine medicamentorum, juvando, fovendo, & augendo nativum calorem concoctionem efficientem. Notatur, quod hæc species concoctionis est illud, quod à Medica Arte vocatur *præparatio. Non juvativa concoctio* est illa, quæ à sola natura fit, sine indigentia alicuius adminiculi Artis.

Concoctio in nocitivo, tam iuvativa, quam non juvativa, dividitur in probam, & pravam. *Proba* dicitur, quando in meliorem statum reducuntur humores sine incommodo ægrotantis. *Prava* est,

quæ fit cum gravamine, & ægroti periculo, quia delirium, aut aliud simpthoma sequitur ob halitus pravos materiæ morbosæ, quæ concoquitur.

Insuper scire oportet quid sit præparatio, quæ apud Medicos Arabes vocatur digestio, cuius definitio est: *Recta dispositio materiæ peccantis, & vasorum, per artem facta ad eius secretionem, & excretionem per loca convenientia.*

SCHOLIA.

Circa cruditatem; & concoctionem præter naturam animadvertere oportet, quo modo à Practicantibus intelligi debeat: *Cruda* dicitur causa præternaturalis, quæ non est victa à natura, quæ verò victa est vocatur *cocta*: hæc veritas constat ex verbis sequentibus; quæ refert Magister Galenus in lib. 1. epidem. & in comment. 2. Aphor. *Ut concoctiones fiunt, natura morbosas causas evincente, sic non evincente, contraria.* Ergo quod victum est à natura vocari debet concoctum, sicut cruda, quæ minimè victa est: pono exemplum in bile flava: hæc dicitur cruda, dum est acris, & malè olens; cocta verò dum est palidior, & minimè malè olet.

Notare licet; quod concoctio in nocitivo fit à calore naturali, sicut concoctio in juvativo, & nequaquam ab immodico calore; quia sicut per coctionem in juvativo quæritur, ut à calore nativo, qualibet substantia alititia mutetur in meliorem statum ad hoc, ut valeat nutrire: ita per concoctionem in nocitivo quæritur, ut substantia præter naturam mutetur in statum meliorem, hoc est, ut apta sit ad excretionem; vel à natura per se, vel cum artis juvamine.

Etiam oportet scire omnem concoctionem, quæ fit in nocitivo non esse rigorosam concoctionem; sed tantùm alterationem humorum morbos efficientium; quia strictè non fit mutatio substantiæ, solum verò mutantur qualitates, quod proprium est alterationis.

Notandum ergo circa pravam concoctionem in nocitivo, quod Practicantes, ut sint satis cordatiores, attentè inspiciant, quod aliquoties invenitur materia morbosa satis prava, quæ licet superetur, & coquatur à naturali calore, tamen vapores, qui elevantur dum fit talis concoctio, maximo cum periculo attingunt partes principes, unde æger fit phreniticus, aut lethargicus,

aut

aut sincopticus, &c. si omni cura non impeditur elevatio vaporum perniciosorum, qui sublimantur ex materia morbosa maligna, quin obstet concoctio, quæ in actu fit à natura; igitur non sufficiens est, ut fiat concoctio, sed quod fiat securè, & sine principalium partium damno, & vitæ periculo.

Pro coronide huius capitis notandum est, quod ex præscripta definitione præparationis infertur dari plures differentias, tum respectu viarum, seu vasorum, tum respectu materiæ peccantis, seu humorum vitiosorum. *Ratione vasorum*, quando eorum fibræ fiunt nimis tensæ, vel laxæ; tunc enim eorum præparatio fit per contraria: si nimis tensa fuerint, laxando, si nimis laxa, tendendo. *Ratione materiæ morbificæ*; etiam per contraria fieri debet præparatio; & ideo si materia fuerit nimis crassa, præparari debet, inscindendo; si tenuior incrassando; si lenta, ac glutinosa, detergendo; si calida, frigefaciendo: si frigida, calefaciendo; si mordax, obtundendo eius mordacitatem, &c.

)(§)( )(§)(
)(§)(

CAPUT XIX.

DE PURGATIONE, ET super purgatione, de earumque differentijs.

PUrgatio *est evacuatio facta per ventrem, vi medicamenti purgantis, indicata à morbo magno ex cacochimia succorum producto.* Dividitur purgatio in lenitivam, & selectivam: *Lenitiva purgatio*, seu *laxativa* est, quæ vi lenientis pharmaci evacuat contentos humores in prima regione. *Lenitiva* purgatio triplex est: *Prima* dicitur, quæ leniendo evacuat, ut illa quæ fit cum electuario lenitivo, diapruni simplici, Mannà, pulpa tamarindorum, casiæ fistulæ, &c. *Secunda* est illa, quæ evacuat lubricando ut quæ fit cum Sebeste, Psilio, & alijs vegetabilibus lubricativis: *Tertia* dicitur, quæ evacuat comprimendo, & roborando, non quia eodem tempore evacuet, & comprimat; sed quia post purgationem adstringit, & roborat, de qua purgatione utimur in Diarrhea, &c. ut illa, quæ fit cum rhabarbaro, &c. nam rhabarbarum sumptum, expellit per glandulas intestinales humores Diarreham causantes, & post, has glandulas adstringit ha-

mu-

mulis suis,& sic Diarrhea cessat.

Purgatio selectiva est, quæ vi selectivi pharmaci evacuat per ventrem humores cacochimos, ex secunda regione, seu intra venas redundantes. Dicitur selectiva, quia electivè, & determinatè evacuat humorem peccantem, & idcircò Magnus Hypocrates in lib. de Medicament. purg. scripsit hæc verba: *Oportet igitur primum biliosis dare, quod bilem purgat; pituitosis, quod pituitam, Hydropicis, quod aquam; attrabiliarijs, quod Bilem-Atram; si verò extra hæc purgaveris, quæ verò purgari debebant, non purgabis; quæ verò non debebant, ea evaquabis; quare in utramque partem peccabis.*

Selectiva purgatio dividitur in radicativam, epicraticam, & minorativam: *Radicativa* purgatio est illa, quæ vi selectivi pharmaci evacuat totam materiam morbificam concoctam, quæ fieri debet in declinatione status universalis, aut in principio declinationis universalis; & hæc est illa species purgationis, de qua Hypoc. loquitur in Aph. 22.lib.1. *Concocta medicari oportet, &c.*

Epicratica purgatio, quæ per epicrasim, seu paulatim vi selectivi pharmaci materiam morbosam evacuat; hoc est, partim concoquendo,& partim evacuando. *Minorativa purgatio* est, quæ vi selectivi pharmaci fit in principio universali morborum, ut per evacuationem minoretur materia morbifica, quam ob eius multitudinem natura non potest concoquere.

Ultimò dividitur purgatio in Colagogam, Phlegmagogam, Melanagogam, Hydragogam, & Panchymagogam. *Purgatio Colagoga* est illa, quæ evacuat humorem biliosum vi medicamenti Colagogi. *Phlegmagoga* est, quæ vi purgantis Plegmagogi humorem pituitosum evacuat. *Melanagoga* est, quæ melancholicum humorem evacuat vi purgantis Melanagogi. *Hydragoga* est, quæ vi Hydragogi purgantis humorem serosum evacuat. *Purgatio Panchymagoga*, *Catholica*, seu *Polichresta* est illa, quæ universaliter evacuat humores cacochimos vi purgantis Panchymagogi, ut Diacatholica confectio, &c.

Superpurgatio est evacuatio immodica humoris, vel humorum post purgationem eveniens. Duplex est, laxativa, & drastica. *Laxativa* superpurgatio, est, quæ post exhibitionem laxativi purgantis, vi naturæ fit ob imbecilitatem facultatis retentricis, vel ob materiæ morbificæ multitudinem. *Drastica* est,

quæ

quæ fit ex vi fortis purgantis, vel ab eius inmodica dosi.

Verum etiam superpurgatio dividitur in humoralem, & cruentam: *Humoralis* est in qua post purgationem non tantum immodicè evacuatur humor peccans, sed etiam alij humores, qui debebant retineri à natura; quia non excedebant à proportione. *Cruenta* est illa in qua non solum humores peccantes, & non peccantes evacuantur, sed tamen sanguis cum torminibus ventris, & tenesmodica irritatione; quia purgantia fortiora ob eorum virulentiam, & acritudinem exulcerant intestina, & eorum vasa sanguifera corrodunt.

SCHOLIA.

SCiant Practicantes, quod maius robur virium adesse debet in ægroto ad expurgandum, quam ad mittendum sanguinem, quia vires magis enervari possunt per evacuationem factam vi medicamenti purgantis; quam à sanguinis missione; & idcircò animadversit Hypoc. in lib. de Medicam. purgant: *Turpis est calamitas hominem occidere medicamento expurganti.* Quia, ut dixit Magister Galenus, quod semel deboratum est, remedium non habet: ergo quia in manu Medici consistit evacuare plus, aut minus per sanguinis missionem, & in eius manu non consistit, semel assumptum purgans, quod evacuet multum, aut parum; neque in eius potestate stat ut post regularem effectum cathartici non sequatur superpurgatio, certè infertur, necessum esse maius robur virium ad expurgandum, quam ad mittendum sanguinem; igitur purgatio semper fit cum maiori periculo debilitandi vires.

Notare licet, quod purgatio selectiva debet celebrari in principijs morborum pendentium ex nuda cacochimia, quin à Medico expectetur ulla coctio: quia si expectassemus coctionē foret, ut eius vi materia inutilis separaretur ab utili; in morbis pendentibus ex nuda cacochimia humorum, ut hydrops, leucophlegmatia, opthalmia malitia humorum infestans, &c. iam est inutile ab utili separatum: ergo indubitanter debet purgatio selectiva celebrari nulla expectata coctione; & idcircò Magister Galenus in lib. 13. Meth. medend, confirmat nostrum assertum per hæc verba: *Ex his, quibus oculi tentari phlegmone cæperant, nonnullos sola purgatione per alvum, una die sanatos vidimus.* Verum etiam in

prædicto lib. ad intentum, nullam expectando coctionem, asserit ipse Magister, quod *exhibito pharmaco in principio sunt curatæ inflammationes ex crudo humore ortæ.*

Circa cacochimiam serosam redundantem in corpore assero, quod nulla expectata coctione, statim purgari debet, quia serosa cacochimia semper est apta ad purgationem; igitur est fluida ad hoc, ut valeat excerni à natura, si iuvatur cum adminiculo artis; & idcircò cacochimia serosa non subijcitur sequenti Aphorismo, lib. 2. ubi Hypoc. docet: *Corpora cum quispiam purgare voluerit oportet prius fluida facere.* Ergo in morbis pendentibus à substantiæ serosæ redundantia, debent Practicantes expurgare cum Hydragogo, non expectando ullam coctionem.

Animadvertere oportet, quod purgatio epicratica uti debet in tribus casibus: *Primus* est dum vires non sunt constantes taliter, ut possint tolerare evacuationem totius materiæ morbificæ, quamvis possit purgari per regulares deiectiones, quæ excitari solent ab unica dosi purgantis ritè proportionati: *Secundus* est quando morbosa causa est multa, tunc enim ad hoc, ut excernatur, secundum eius quantitatem, multam evacuationem requirit; multa verò evacuatio, quæ unica vice fit, quia est repentina, est incommoda naturæ, & ob id animadversit Hypoc. *Quod omne nimium est naturæ inimicum*: *Tertius casus*, quando morbosa materia est nimis crassa, & viscosa, tunc præparari unica vice nō potest, sed per epicraticas actiones; si verò digestionem, & concoctionem perfectam prædictæ materiæ speramus ad expurgandam unica vice, tunc est impossibile, quia illa portio, quæ hodiè digeritur, si non expurgatur, manè iterum recrudescit: ergo in hoc casu convenit expurgatio per epicrasim, ut in eadem die, in qua aliqua portio materiæ morbificæ digeritur, & coquitur, statim sine retardatione expurgetur.

Aliqui Neoterici religiosissimè observant materiam crudam non esse purgandam, sed quia Galenus Hispanus Franciscus Vallesius in cap. 2. lib. 4. Meth. scripsit sequentem reprehensionem: *Non movenda cruda hominum est rudiorum, qui aliorun dictis sine iudicio additi sunt.* Dedit nobis occasionem ad numerandos casus, in quibus non expectata coctione, debeat purgatio celebrari, & sunt quinque: *Primus* est,

quan-

quando tanta copia humorum reperitur, ut timeat Medicus, quod natura nequeat superare, quod cognoscitur ex inordinatis, & tumultuosis accessionibus, ex longitudine accessionis, quæ præcipuè movetur per dies pares, & in primis accessionibus natura excitare solet evacuationes simpthomaticas, quia non potest ferre tantam copiam humorum; tunc enim sine mora est evacuanda illa materia, licet sit quieta, si ita redundet, ut periculum minetur, & natura non possit accedere ad statum morbi; obidque Avicena in lib. 4. Practicantibus dedit hoc consilium: *Si autem non fuerimus securi, quod virtus perduret, usque ad horas maturitatis, statim evacuabimus per ventris solutionem, non expectata coctione.*

Secundus casus est dum materia turget; igitur nulla pars corporis substinere valet contactum turgentis materiæ, aut sit per modum transitus, aut per modum termini; & nullo modo possunt præcaveri graviora simpthomata, & multoties læthalia, quæ excitari possunt per decubitum humoris turgentis, nisi eadem die sine retardatione celebretur expurgatio nulla expectata coctione; quia nullum auxilium evacuatorium est adequatum, nisi medicamentum purgans; idcircò Doctissimus Lusitanus Rodericus à Fonseca in commento. Aphor. 24. lib. 1. maxima cura animadversit ità: *Nihil utilitatis afferre potest, unam diem expectare in turgente materia ad expurgandum, ut innuere videtur Galenus, tum quod turgens materia præparationem, (quod tenuis sit, & velociter moveatur) non admitat; tum, quod cunctatio illa periculosa est adeo, ut occasio remedij transeat.* Quam ob rem Magnus Hypoc. scripsit hunc Aphorismum in lib. 4. *Medicari in valdè acutis, si materia turget eadem die; tardare enim in talibus malum est.* Ergo materia turgens sine mora est evacuanda, quamvis cruda, quia eam natura suparare non potest, & illa naturam præoccupandi est apta cum summo periculo vitæ.

Tertius casus in quo debet expurgari in tempore cruditatis est, quandò morbifica causa est incoctilis ob malignam, & venenatam corruptionem; non quia, non sit capax admittendi coctionem, sed quia ægrum occidit antequam causa morbosa ad melius reducatur: ob id dictus Fonseca in citato loco sequenti modo fatur: *Nam materia, quam natura coquere non potest, qualis est maligna, & venenata, frustrà relinqueretur in cor-*

corpore, & cum ægrotantis pernicie. Huius veritatis sola experientia testis est; igitur multos ægrotos, malignitate febris oppressos, fuisse liberatos evacuando per purgationem materiam malignam, & venenatam. Multi Neotericorum observarunt cum magna eorum laude, & artis honore; & ego multoties feci, etiamque memor Ciprianum de Maroja mentionem fecisse de huius expurgatione in lib. 4. observat. disput. 2. quod patet per hæc verba: *Plures ægros febre acuta, & maligna correptos, quibus alia non profuerunt remedia, occultè adhibita potione minorante, ad meliorem statum, extra omnem spem, reduxisse.*

Quartus casus est, quando morbosa causa movetur versus vias dispositas ad expulsionem, ut apparet in turgentia impropria, quæ vocatur vergentia; tunc Medicus adminiculo artis adiuvare debet naturam, ut valeat evacuare, quod dest; ita sequitur Consilium Magistri Galeni, quod dedit in lib. de Quos, & quando, &c. & est sequens: *Cum vero ipsa*, idest natura, *mediocriter, ac segnius peragit; tunc, quod deest, Medico suplere convenit.* Et ipse Hypoc. in hoc casu non observavit eius præceptum: *Atque movere non cruda*; quod ex lib. 7. epidem. constat, ubi refert Historiam Filij Pitionis, cui, cum oppressus esset febre acuta, & magno comate, exhibuit in principio purgans medicamentum, & non ob aliam rationem, nisi quia natura humores movebat versus ventrem inferiorem, & ibi vergentiam constituebant: ergo sine retardatione in hoc casu purgans exhiberi potest, & debet; cuius exhibitionis memor fuit Avicena in lib. 4. fen. 1. ut constat ex sequenti consilio: *Quod si fuerit illic declinatio ad intestina, & senseris rugitum, & descensum fecis, tunc adhibe, quod solvat ventrem.*

Quintus casus, in quo purgari debet cruda materia, est quando aliquis humor pravus, & malignus determinatè movetur in aliquam partem principem, eam constituendo focum putredinis, ut accidit in febribus tertianis perniciosis ob decubitum versus aliquam principalem partem: in hoc casu, sine mora medicamentum purgans exhiberi debet, ad evacuandam materiam morbosam, quæ in toto corpore invenitur disposita ad decumbendum in accesione sequenti; ergo nè decumbat maiori copia vitiosa materia, & amplius firmetur, citissimè evacuari debet per expurgationem; quam

pra-

praxim sequitur Magister Galen. & eam monet in comment. de Victus ratione, per hæc verba: *Nam vel statim ab initio, priusquam in aliquam partem firmentur humores, medicandum.*

Notandum est, quod in tempore coctionis materiæ morbosæ aliquando convenit expurgare, dum ob vapores perniciosos, qui ex prava concoctione in nocitivo elevantur, & ab illis sequitur delirium, vel aliquod aliud simpthoma periculosum, quin obstet illa communis Doctrina, quod dum agitur coctio à natura, non est turbanda à Medico, sed tunc quiescere oportet; verum consilium est, dum concoctio in nocitivo est prova, sed quando est prava, tunc consilium falax est, quia non sufficit, ut fiat concoctio materiæ morbificæ, sed, ut securè fiat, & sine læthali gravamine membrorum principalium. In tam læthali damno sciant Practicantes, quod non aliter possunt tolere tam perniciosum effectum talis pravæ coctionis, nisi vi purgantis minuant pravam materiam, quæ concoquitur.

Pro calce huius capitis animadvertere oportet modum auxiliandi eos, qui superpurgationem patiuntur: si superpurgatio, seu hypercatharsis sit humoralis promptè potest sisti injiciendo clysterem lactis caprini, in quo disolvatur drachma una theriacæ magnæ recentis. Verum si non sufficiat clyster, æger per intervala accipiat aliqua cochlearia vini rubri, in quo disolvantur ʒij. theriacæ magnæ recentis; si adhuc hypercatharsis perseveret, exhibeatur sequens mixtura.

℞. *Aquæ menthæ distilatæ.* ℥iij.
Diascordij fracastorij. ʒß.
Syrupi Papaveris albi. ℥ß.
Succi granatorum acidorum, ℥j. me.

Quando superpurgatio est cruenta, injiciantur clysteres temperantes, & obtundentes acrimoniam, & irritationem humorum, qui debent componi cum decocto orizæ torrefactæ, foliorum plantaginis, & rosarum rubrarum, disolvendo in ℥vj. huius decoctionis vitelum ovi recentis, & ℥ß. mucilaginis tragachanti. Etiam per intervala capiat æger aliquod cochlear olei Amigdalarum dulcium recenter extractis; igitur cum rore balsamico hebetat, & destruit acres particulas purgantis, quæ hypercatharsim faciunt, & conservant. Notare licet, quod si superpurgatio cruenta non cedit, tunc Practicantes occurrere possunt ad sequentem potionem, tamquam ad sacram an-

ancoram ; quæ per intervalla propinari debet.

℞. *Aquarum Portulacæ , & lactucæ á.*℥iiij.
Christali montani prep. ʒj.
Extracti tormentilæ. ℈ß.
Nucis moschatæ torrefactæ. ℈j.
Laudani opiati , gr. iij.
Syrupi menthæ compositi. ℥jß.
Aquæ cinamomi cydoneatæ. ℥ß. me.

CAPUT XX.

DE MEDICAMENTO PURganti , & eius differentijs.

PUrgans medicamentum est *quod fermentando , & coliquando , disponit vitiosos humores ad secretionem , & irritando intestinorum fibras , promovet excretionem humorum per intestinum rectum.* Dividitur purgans in laxativum , seu lenitivum , & in forte , seu drasticum.

Laxans , seu *Lenitivum* est, medicamentum purgans , quod alvum subducit absque violentia , & est tutum , jucundumque ægrotis. *Purgans drasticum* , seu vehemens est , quod celeriter ac fortiter per alvum elicit humores cum torminibus ventris , & virium enervatione.

Purgantia tam laxativa, quam drastica in quinque species dividuntur, videlicet in Colagoga , Phlegmagoga , Melanagoga , Hydragoga , & Panchymagoga , de quibus agendum est seorsim. Et quia omnia purgantia tam simplicia, quam composita, non operantur æquali vi , sed alia minori , alia maiori , dividenda sunt in tres clases, duntaxat in mitiora, mediocria, & vehementia.

Purgantia Colagoga Simplicia.

Mitiora , sunt Cafsiafistula, Mannà , Tamarindi , &c.

Mediocria, Aloè, Mirabolani Citrini , Rhabarbarum , Scamonium Sulphuratum , &c.

Vehementia sunt Zaqualtipan , Scammonium , Colocynthis , eius trochisci, &c.

Composita Galenica.

Syrupi , ut Rosatus solutivus, violarum ex 4. infusionibus, Regius , Aureus , Rodomel persicum , Cichoriæ , cum duplicato Rhabarbaro , &c.

Electuaria , ut Diacatholicon , seu Catholicum , Diaprunum simplex, Diaprunum compositum , seu solutivum , Electuarium de Succo Rosarum, Diatartarum , &c.

Pilulæ , ut Agregativæ , Aureæ , Alephanginæ , de Hiera, sine quibus , de Rhabarbaro, de tribus Fernelij,&c. *Chi-*

Chimica Composita.

Resina Scamonij, Resina Zaqualtipanis, Extractum Rhabarbari, Mercurius dulcis sublimatus, Mercurius præcipitatus albus; Antimonium solutivum, &c.

Purgantia Phlegmagoga Simplicia.

Mitiora sunt semen Carthami, Mechoacan, lac Mechoacanæ, Polipodium, Mirabolani Chebuli, &c.

Mediocria sunt Radix Acori veri, Agaricus, Agaricus trociscatus.

Vehementia sunt cucumer Sylvestris, Assarus, Turbith, colocynthis correcta, ebulus, &c.

Composita Galenica.

Syrupi, ut Rosarum persicarum ex 9. infusionibus; Persicus sennatus, Aureus solutivus, &c.

Electuaria sunt Diaphenicum; Indum maius, Indum minus; Diacatholicum, Electuarium Diacarthami; Hierapicra, &c.

Pilulæ, ut Agregativæ; de Agarico; Lucis maiores, & minores, fœtidæ maiores, Cochiæ maiores, & minores, sine quibus, Arthriticæ, de Hermodactilis, &c.

Chimica Composita.

Extractum colocinthidis, extractum agarici; extractum trociscorum Alkandal, Mercurius dulcis tam sublimatus, quam albus præcipitatus, calomelanos turqueti, &c.

Purgantia Melanagoga Simplicia.

Mitiora sunt Polipodium Quercinum, Epithimum, senna, &c.

Mediocria ut Mirabolani indi, pars gummosa Jalapæ, Lapis lazuli, &c.

Vehementia Heleborus niger, Zaquaitipan, &c.

Composita Galenica.

Syrupi, ut Persicus sennatus; Regis Philipi, Aureus solutivus, &c.

Electuaria, ut Diacatholicum, confectio Hamech simplex, & composita, Diasenna, &c.

Pilulæ, ut fœtidæ, defumaria, sine quibus, de Lapide Lazuli, &c.

Chimica Composita.

Extractum elebori nigri, extractum foliorum sennæ, Resina Zaqualtipanis, Mercurius præcipitatus albus, &c.

Purgantia Hydragoga Simplicia.

Mitiora sunt Lac Mechoacanæ, Cortex medianus Ebuli, & Sambuci, succus eorundem, semen

men ebulorum, succus ireos, &c.

Mediocria, ut radix Zaqualtipanis, Mechoacannæ radix, &c.

Vehementia, ut radix Essulæ, Soldanella, radix Cucumeris silvestris, guta gummi, Elaterium, &c.

Composita Galenica.

Electuarium Diacartami, Trocisci de Alkandal, Pilulæ de Sagapeno, vinum radicis Bryoniæ, &c.

Chimica composita.

Resina radicis Brioniæ, Pulvis Cornachini, Resina Jalapæ, Resina Scammonij, Mercurius dulcis, sublimatus, & præcipitatus albus, Arcanum Coralinum, &c.

Purgantia Panchymagoga Simplicia.

Mitiora, ut Lac Mechoacannæ, Polipodium Quercinum, Epithymum, Senna, semen Carthami, &c.

Mediocria, ut radix Mechoacannæ, Zaqualtipan, Aloes, &c.

Vehementia, ut Calocynthis, radix cucumeris silvestris, Scammonium, Elaterium, &c.

Composita Galenica.

Syrupus Aureus solutivus, Diasena, Diacatholicum, Diatartarum, Diacarthamus, Pilulæ sine quibus, Pilulæ agregativæ, Trocisci de Alkandal, &c.

Chimica Composita.

Pilulæ Catholicæ, Extractum Sennæ, Extractum Aloes, Extractum Colocyntidis, Extractum radicis cucumeris silvestris, Extractum Catholicum, Resina Jalapæ, Resina Scammonij, Calomelanos Turqueti, Mercurius præcipitatus albus,

SCHOLIA.

MEmor non immeritó dixisse Magnum Hypocratem, quod medicamenta purgantia pleraque sint venenosa, ut drastica, seu vehementiora purgantia, quæ non, nisi gradu, differunt á fortissimis venenis, & ideo multi Neoterici ex ore *Bontekoe*, & *Helmontij* dicunt talia purgantia esse instrumenta diaboli, quibus homines per suos fidelissimos administratores neci violentæ tradit. Veritas dictæ venenositatis patet, quia drastica purgantia, exhibita in dosi maiori, & adhuc in regulari, producunt gravissima simpthomata, quæ nihil differunt ab illis, quæ à venenis corrosivis excitantur. Sunt verò simpthomata, quæ sequuntur abusum præ-

prædictorum purgantium, vehementia tormina ventriculi, & intestinorum, anxietates, sitis ingens, vomitus violenti, deiectiones multæ, magna virium imbecilitas, animi deliquia, motus convulsivi, &c. à quibus mors certò eveniet, si Doctus, ac prudens Medicus celeritate non favet ægrum exhibendo auxilia, per quæ corrigitur hypercatharsis, & per quæ vincitur efficacia venenorum corrosivorum, & acrium: idcircò ad hoc intentum ita animadversit Hypoc. in sequenti Aphorismo lib. 5. *Convulsio ex eleboro læthalis est.*

Circa divisionem purgantium medicamentorum, in Colagoga, Phlegmagoga, &c. quæ à veteranis Medicis fit; animadvertere oportet Practicantibus, ne decipiantur à fanaticis verbis aliquorum Neotericorum, qui usquequaque rident de tali divisione; sed venia hominum tam litteratorum, & experientijs imbutorum, dico, quod distinctio talium purgantium non debet reijci, quia testatur ipsa experientia, diversos humores magis evacuari à purgantibus determinatis; etiamque affirmat certa purgantia magis convenire certis affectibus, quam alia.

Assero etiam, quod idem observatur adhuc in laxantibus, igitur in eis invenitur certa differentia exquisita, & quasi specifica electio; & ob id ut á Practicantibus rectè exhibeantur, est necessum quod morbi dividantur in tres clases: in affectione hypondriaca, in cachexia, & in alijs morbis cronicis, in quibus viscera, & intestina patiuntur quandam laxitudinem, & imbecilitatem, sunt peculiaria Rhabarbarum, & omnia aloetica, &c. in hectica, in tabe, &c. sunt specifica lac asininum; serum distilatum, & alia benignissima huius indolis. In omni æstuatione febrili sunt peculiaria serum lactis, & tamarindi, quia præter laxativam virtutem, sitim, & calorem nimium febrilem extingunt, corrigendo bilis acritudinem, & recalescentiam. Et dum morbi procedunt ab spasmis, seu contractionibus fibrarum, sive intestinorum, sive aliarum partium præferenda sunt, tanquam specialia laxativa, Mannà, pulpa cassiæ fistulæ, pruna Damascena, uvæ passæ, &c.

Ut clarius instruantur Practicantes circa purgantia medicamenta, licet notare modum operandi: *Quædam* eorum operantur emoliendo, & lubricando, leviterque stimulando, ut lenientia, seu laxantia: *Alia* agunt abstergendo, & stimulando,

 do,

do, ut salia digestiva, & enixa, quando in maiori dosi exhibentur, aliàs non purgant: *Alia* educunt humores stimulando vi amariciei, & acredinis salinæ, ut agaricus, senna, &c. *Alia* operantur cum particulis resinosis, seu salino-sulphureis, per quas irritant fibras, ut Scammonium, Zaqualtipan, Mechoacanna, &c. *Alia* operantur, vias stimulando maxima vi cum caustica acrimonia, quam possident, ut Colocynthis, Elaterium, Eleborus, tam niger, quam albus, &c. *Alia* agunt in humores, eos insigniter fundendo, & resolvendo cum particulis gummosis, & resinosis, ex quibus constant, & sunt potissimum gummata, ut Sagapenum, Ammoniacum, &c. *Alia* operantur, humores resolvendo, & simul vias stimulando, ut omnia drastica; igitur fortiter stimulant scilicet Scammonium, Eleborus, &c.

Necessum est, ut Practicantes in promptu habeant casus, in quibus debent uti mitiora purgantia, mediocria, & fortiora: *Mitiora* exhiberi debent in ægris debilibus, & quando tantum evacuare oportet ex prima corporis regione: *Mediocria* uti debent in illis ægris, in quibus vires mediocriter sunt constantes, etiamque dum oportet evacuare ex secunda regione: *Fortiora*, vehementia, seu drastica utuntur in naturis robustioribus, & dum oportet humores evacuare ex partibus remotioribus, ut è cerebro, articulationibus, &c.

Animadvertere oportet, quod Medicus nunquam præscribat vehementia purgantia, ubi mitioribus potest evacuatio peragi; & si non possit sine vehementibus, tunc prudens Medicus debet uti mediocribus; vel mitioribus mixcere vehementia, ut felicius, & minori molestia ægroti fiat operatio: si verò necessitas urget, tunc utatur Medicus fortioribus purgantibus; igitur constat experientia multos morbos cronicos, & admodum revelles, sepius feliciter auferri cum talibus vehementibus catharticis.

Pro coronide huius capitis notare restat ad rectissimam exhibitionem vehementium purgantium, quod Practicantes attendant naturæ ægroti, & morbi, & ideo non debent uti talibus purgantibus in infantibus, in senibus, in debilibus, in hypocondriacis, in hecticis, in pthisicis, &c. Morbi, in quibus aliquoties conveniunt, sunt illi, qui foventur ab humoribus crudis, viscosis, phleg-

maticis, serosisque; igitur cum mitioribus, seu laxantibus extirpari non possunt, cum eorum causa contumax sit; & idcircò à multis Neotericis non probantur purgantia lenientia in Mania, Hydrope, Lue venerea, &c.

CAPUT XXI.

DE MEDICAMENTIS præparantibus bilem, pituitam, melancholiam, & atrambilem.

OMnes humores de cura regulari, ante expurgationem, petunt præparari, ut commodè evacuentur, & expellantur à facultate expultrice, adiuta per electivum purgans indicatum. In hoc supposito considerandum est medicamenta, à quibus humores præparantur, vocari alterantia, præparantia, seu digestiva, quia alterando vitiosas qualitates humorum, illos disponunt, & apparant eductioni: quæ quidem digestio accommodari debet cuilibet humori vitioso; & idcircò incipiamus per bilem, quæ præparatur cum temperantibus, & refrigerantibus, eiusque acritudinem, & vehementem commotionem, seu orgasmum cohibentibus, incrassantibusque, & aliquando diluentibus.

Præparantia Bilem Simplicia.

Radices, ut Oxalidis, Cichoriæ, Plantaginis, Altheæ, Scorcioneræ, &c.

Folia, ut Plantaginis, Malvæ, Cichoriæ oxalidis, &c.

Semina, ut Malvæ, Cydoniorum, Lactucæ, Papaveris albi, Psylij, Lactucæ, Cydoniorum, &c.

Fructus, ut Cydonia, Sebestem, Tamarindi, Juiuvæ, &c.

Flores, ut Violæ, Papaveris rubri, Malvarum, Rosæ rubræ, Nimpheæ, &c.

Composita Galenica.

Aquæ, ut Portulacæ, Rosarum, Oxalidis, Cichoriæ, Malvarum, Cucurbitæ, Papaveris erratici, Plantaginis, Lactucæ, &c.

Syrupi, ut Endiviæ, Violarum, Oxalidis, Scorcioneræ, Rosarum siccarum, Papaveris erratici, Papaveris albi, Granatorum acidorum, acetosus simplex; juiuvarum, &c.

Conservæ, ut Violarum, Rosarum, Malvarum, Papaveris rubri, &c.

Electuaria, ut Diamargariton frigidus, Diatragacantum frigidum, Diapenidion sine speciebus, &c.

Præparantia Chimica.

Sunt, Sal Prunelæ, Chrystali

Tartari, Nitrum vitriolatum, Sal de Agresta, Sal Cichoriæ Silvestris, Tinctura Coralorum, Tinctura Rosarum rubrarum, Florum Violæ, cum spiritu vitrioli extracta, &c.

Præparantia Pituitam.

Quia humor pituitosus frigidus est, & humidus, crassus, & viscidus, debet præparari cum medicamentis calefacientibus, exicantibus, attenuantibus, inscindentibus, & detergentibus.

Simplicia.

Radices, ut Zedoariæ, Calami aromatici, enulæ Campanæ, Cyperi, Fœniculi, Apij, Chinæ, Smilacis asperæ, Angelicæ, Galangæ, Petroselini, Caryophilatæ, &c.

Ligna, ut Saffafras, Juniperi, Guaiaci, Buxi, &c.

Cortices, ut Cinamomi, Guaiaci, Saxafras, Citri, &c.

Folia, ut Maioranæ Betonicæ, Salviæ, Hisopi, fœniculi, Roris marini, Chamepythios, Caryophilatæ, Thimi, Absinthij, Chamedryos, Menthæ, Chammemali, &c.

Flores, ut Sthecados, Roris marini, seu Anthos, Salviæ liliorum convalium, Peoniæ; Tiliæ, Meliloti, Centauræ minoris, Spicæ nardi, Macis, &c.

Semina, ut Ruthæ, Fœniculi, Apij, Cardui Benedicti, Anisi, Petroselini, Dauci, Anethi, Peoniæ, Carui, Cumini, &c.

Fructus, ut Cubebæ, Cardamomum, Grana Chermes, Anacardi, Baccaris Juniperi, & Lauri, Caryophili, Piper, Carpo-Balsamum, &c,

Composita Galenica.

Aquæ, ut Fœniculi, Absinthij, Cardui Benedicti, Mellisæ, Salviæ, Betonicæ, Maioranæ, Liliorum convalium, Florum Tiliæ, Peoniæ, Pulegij, Cinamomi, &c.

Syrupi, ut Capillorum veneris, Absinthij, Hysopi, Menthæ, Prasij, Sthecados, Corticum Citri, Duarum radicum cum aceto, & sine illo, Quinque radicum cum aceto, & sine illo, Corticum citri cum aroma, & sine illa, acetosus Diarrodon ex Rasi, Mel rosatum, Oximel simplex, Oximel schiliticum, &c.

Conservæ, ut Florum Anthos, Stechados, Salviæ, Foliorum Absintihij, Capillorum veneris, &c.

Confectiones, ut Theriaca, de Smaragdis, Theriaca Magna, Aurea Alexandrina, Mitridatum, Confectio Alkermes, Confectio Anacardina, &c.

Pulveres, ut Diamoschi de Gemmis cum speciebus, Diamargaritonis calidi, Diagalangæ, &c.

Tro-

Trochisci, ut de Absinthio, de Eupatorio, de Myrrha, Galiæ Moscatæ, &c.

Præparantia Chimica.

Sunt Aqua Cephalica Langij, Aqua Theriacalis, Olea distilata, Anisi, Fœniculi, Caryophilorum, &c.

Extracta, ut Centauræ minoris, visci Quercini, Croci, Castorei, &c.

Tinctura, ut succini, Elixir, Propietatis Paracelsi, Castorei, Croci, Salis Tartari, &c.

Præparata ex Tartaro, & Chalybe, ut Tartarum Vitriolatum, Tartarum Solubile, Sal Tartari, Tartarum Martiale, Tinctura Martis aperitiva, Extractum Martis Aperitivum, &c.

Præparantia Melancholiam.

Quia Melancholia est frigida, & sicca, crassaque, præparari debet cum medicamentis calefacientibus, attenuantibus, inscindentibus, & humectantibus.

Simplicia.

Radices, ut Fœniculi, Eryngij, Apij, Enulæ Campanæ, Buglosæ, Petroselini, &c.

Cortices, ut Citri, Radicum Lupulorum, Raphani, Radicum Capparum, Sambuci, Fraxini, Tamarisci, &c.

Folia, ut Lupulorum, Mellisæ, Pimpinelæ, Borraginis, Aspleni, Fumariæ, Capillorum veneris, &c.

Flores, ut Borraginis, Violarum, Croci, Buglosi, Sambuci, Genistæ, Calendulæ, &c.

Semina, ut Apij, Cardui Benedicti, Anisi, Citri, Fœniculi, Pimpinelæ, Genistæ, Agni Casti, Anethi, &c.

Fructus, ut Poma Redolentia, Cappares, Grana Chermes, Uvæ Passæ, Passulæ Corynthiacæ; &c.

Composita Galenica.

Aquæ, ut Fœniculi, Cardui Benedicti, Fumariæ, Mellisæ, Borraginis, Lupulorum, &c.

Syrupi, ut Fumariæ, de Quinque Radicibus, Borraginis, Pomorum redolentium, Capillorum Veneris, Lupulorum, de Epithimo, &c.

Conservæ, ut Florum Genistæ, Violarum, Borraginis, Sambuci, Buglosi, &c.

Confectiones, & *Pulveres*, ut Gentilis Cordialis, Alchermes, Theriaca Magna, Letitiæ, Galeni, de Gemmis cum speciebus, &c.

Trocisci; ut de Capparibus, Absinthij, Diacurcumæ, Eupatorij, Dialaccæ maioris, &c.

Præparantia Chimica.

Salia, ut Tartari, Cremor Tartari, Tamarisci, Fraxini, Absin-

ſinthij, Cardui Benedicti, Cochleariæ, &c.

Tincturæ, ut Salis Tartari, Martis aperitivi, Coralorum rubrorum, &c.

Extracta, ut Gentianæ, Absinthij, Cardui Benedicti, Enulæ Campanæ, Martis aperitivi, &c.

Spiritus, ut Hervæ Cochleariæ, Oleoſus Aromaticus ex Silvio, Spiritus radicis Acori veri cum aqua vitæ deſtilatus, &c.

Præparantia Atrambilem.

Hic humor, quia aduſtione generatur, calidus, & ſiccus eſt, etiamque craſſus nimis inter omnes humores, ut notavit Hypoc. & idcircò præparari debet cum medicamentis frigidis, & humidis, ſimulque attenuantibus.

Simplicia.

Radices, ut Liquiritiæ, Borraginis, Lupulorum, Bugloſæ, Oxalidis, Smilacis aſperæ, viſci quercini, &c.

Folia, ut Fumariæ, Borraginis, Lupulorum, Bugloſæ, Melliſæ, Aſpleni, Linguæ Cervinæ, Oxalidis, &c.

Flores, ut Violarum, Borraginis, Nimpheæ, Sthecados, Melliſæ, Bugloſæ, &c.

Semina, ut Malvæ, Portulacæ, Oxalidis, Quatuor ſemina frigida maiora, &c.

Fructus, ut Poma redolentia, Juiuvæ, Sebeſten, Tamarindi, Pruna, &c.

Compoſita Galenica.

Aquæ, ut Bugloſæ, Linguæ Cervinæ, Fumariæ, Fragariæ, Nimpheæ, Borraginis, Oxalidis, ſerum lactis Caprini, &c.

Syrupi, ut Pomorum redolentium, Oxalidis, Violarum, Borraginis, &c.

Conſervæ, ut Lactucæ cum Tamarindis, Borraginis, Nimpheæ, Linguæ Cervinæ, Anagalidis, Violarum Bugloſæ, &c.

Præparantia Chimica.

Salia, ut Prunelæ, Saturni, Martis, Tartari Vitriolati, &c.

Spiritus, ut Vitrioli, Sulphuris, Salis communis dulcificati, &c.

Syrupi, ut de Chalibe cum ſero, & Succo Endiviæ facti, Syrupus Cochleariæ cum Succo Foliorum Oxalidis parati, &c.

Extracta, ut Chelidonij maioris, Agrimoniæ, Fumariæ, Cochleariæ, &c.

SCHOLIA.

PRæparantia ſunt univerſalia, & particularia: *Univerſalia* dicuntur, quæ univerſaliter digerunt bilem, pituitam, &c. *Particularia* vocantur,

tur; quæ specifica sunt huic, vel illi visceri, respiciendo humores peccantes in illo viscere contentos, sive sit biliosus humor, aut pituitosus, aut melancholicus, &c.

Circa præparationem bilis animadvertere oportet, quod non semper digeri debet cum refrigerantibus, & incrassantibus; verum etiam aliquando est utilis præparatio humectandi, & diluendi, dum à nimio calore crassescit, quia exhalatur aquosa pars; tunc enim diluentia, & humectantia sunt eius vera digestiva; igitur crassicies bilis corrigitur, & redditur fluida cum aqua dulci, aut cum sero lactis caprini distilato, & ad eundem finem non parum conducunt balnea particularia, quæ vocantur pediluvia.

Notare licet, quod pituita non potest commodè evacuari à purgantibus phlegmagogis, nisi prius digeratur appropriatis alterantibus, quæ medicamenta destruant substantiam viscidam, & lentam: Sed alio modò procedere debent Practicantes circa præparationem pituitæ salsæ, quia non indiget purè calefacientibus, potius verò digestivis temperatis, & ideo refrigerantia admixcentur, quæ etiam bilem valeant domare.

Oportet animadvertere circa præparationem melancholiæ, quod reperiri non potest medicamentum valens calefacere, & attenuare, simulque hemectare; igitur quidquid calefacit, & attenuat, necessariò debet exicare; idcircò necessum est admixcere medicamentis attenuantibus ea, quæ constant peculiari vi humectandi, ut malva, &c. Et si ita non fit, tunc melancholia transit in atrabilem, quia per usum medicamentorum purè calefacientium, & attenuantium, exicatur humiditas, & tunc melancholia aduritur.



CAPUT XXII.

DE SIMPLICIUM MEDICAMENTOrum Nomenclaturis, quæ utantur in omnibus Pharmacopolijs.

Herbæ usitatæ.

Abrotanum.
Absinthium.
Acetosa.
Agrimonia.
Apium.
Atriplex.
Artemisia.
Asplenium.
Betonica.
Beta.
Branca Ursina.
Borrago.
Buglossa.
Calamintha.
Carduus Benedictus.
Carduus Mariæ.
Capillus veneris.
Casuta.
Centaurium minus.
Chamedris.
Chamepitis.
Chelidoniũ.
Cichoria.
Dictamus Creticus.
Ebulus.
Endivia.
Euphragia.
Eupatorium.
Fœniculus.
Folia Sennæ.
Folia Lauri.
Fumaria.
Lactuca.
Lupulus.
Malva.
Maiorana.
Marrhubiũ.
Melilotum.
Melissa.
Mentha.
Mentastrum.
Mercurialis.
Nepeta.
Ocymum.
Origanum.
Parietaria.
Perfoliata.
Plantago.
Portulaca.
Pulegium.
Ros marinus.
Ruta.
Sabina.
Squinnantũ.
Sanicula.
Satureia.
Scabiosa.
Scolopēdria vulgaris.
Scordium.
Serpillum.
Sisymbrium.
Semper vivũ.
Solatrum.
Stechas.
Tusilago.
Verbascus.
Verbena.
Violaria.

Flores usitatæ.

Anthos.
Balaustrium.
Borraginis.
Buglosæ.
Chamemali.
Croci.
Epithymi.
Genistæ.
Lavendulæ.
Liliorum alborum.
Liliorum cõvalium.
Meliloti.
Nimpheæ.
Prunellæ.
Rosarum.
Sambuci.
Verbasci.
Violarum.

Semina usitatiora.

Acetosæ.
Ameos.
Amomi.
Anethi.
Anisi.
Apij.
Asparagi.
Alkekengi.
Basiliconis.
Carthami.

Ca-

Carui.
Ciceris.
Citri.
Citruli.
Coriandri.
Cotoneorum
Cucurbitæ.
Cucumeris.
Cymini.
Dauci.
Erucæ.
Fœniculi.
Fœnugræci.
Fabarum.
Hordei.
Hyoſchiami.
Lactucæ.
Lentium.
Lini.
Malvæ.
Maioranæ.
Melonum.
Milij Solis.
Naſturcij.
Nigellæ.
Oxalidis.
Pæoniæ.
Papaveris albi.
Paſtinacæ.
Petroſelini.
Plantaginis.
Portulacæ.
Raphani.
Ruſci.
Rutæ.
Santonici.
Saxifragiæ.
Seſelij.
Staphiſagriæ.
Sumach.
Urticæ.

Fructus vſitati.

Amigdalæ dulces.
Amigdalæ amaræ.
Anacardi.
Baccæ juniperi.
Baccæ lauri.
Berberis.
Caricæ, ſeu fici ſicci.
Cappatis.
Carpobalſamum.
Caryophilli.
Caſia fiſtularis.
Cubebæ.
Cydonia.
Colocynthis.
Dactili.
Galla.
Glandes.
Juiubæ.
Malum punicum.
Myrobalani, ſeu Mirabolani.
Nuces cupreſsi.
Nuces pineæ.
Nux indica.
Nux moſcata.
Nux vomica.
Olivæ.
Piſtachiæ.
Pruna.
Sebeſten.
Tamarindi.
Ubæ paſſæ.

Radices uſitatæ.

Acori veri.
Agarici.
Altheæ.
Angelicæ.
Apij.
Ariſtolochiæ Rotundæ, & longæ.
Aſſari.
Aſparagi.
Been.
Biſtortæ.
Borraginis.
Bryoniæ.
Caparis.
Cichorei.
Coſti.
Ciclaminis.
Dictamii albi.
Doronici.
Ebuli.
Elenij.
Endiviæ.
Eringij.
Eſſulæ.
Filicis.
Fœniculi.
Galangæ.
Gentianæ.
Graminis.
Glycyrricæ, ſeu liquiritiæ.
Hellebori albi, & nigri.
Hermodactili.
Iridis.
Lapathi.
Laſerpitij.
Liliorum alborum.
Mandragoræ.
Nimpheæ.
Oxalidis.
Pæoniæ.
Pentaphylij.
Petroſelini.
Peucedani.
Philipendulæ.
Phupontici, ſeu Valerianæ.
Pimpinellæ.
Polygonati.
Polipodij.
Pyretri.
Rhabarbari.
Rhaphani.
Rhapontici.
Rubeæ.

Rusci.
Satyrij.
Scyllæ.
Scrophulariæ
Symphiti.
Turbith.
Tormentilæ.
Zedoariæ.
Zinziberis.

Succi usitatiores.

Agresta.
Citri mali.
Cytoniorum.
Endiviæ.
Granatorum.
Limonis.
Mel.
Oleum.
Rosarum.
Violarum.
Vinum.
Acacia.
Aloe.
Assafœtida.
Cera.
Euphorbium.
Glycirrhycæ.
Hypocistidis.
Ladanum.
Licium.
Opium.
Saccharum.
Sanguis Draconis.

Gummata usitatoria.

Assafœtida.
Ammoniacũ.
Bdelium.
Benzoi.
Camphora.
Colophonia.
Euphorbium.
Galbanum.
Gummi Arabici.
Gummi hederæ.
Gummi fœniculi.
Gummi laccæ.
Mastix.
Myrrha.
Olibanum.
Opoponax.
Sagapenum.
Sandaraca.
Sarcocolla.
Styrax calamitha.
Succinum.

Cortices usitatiores.

Aurantiorũ.
Casia Aromatica.
Cinamomum
Citri.
Granatorum.
Guaiaci.
Mandragorę.
Medianæ sambuci.
Quinquinæ.
Tamarisci.

Ligna usitatiora.

Aloes.
Buxi.
Guaiaci.
Santali rubri.
Santali albi.
Santali citrini.
Sassafrax.
Xilobalsamũ.
Viscus Quercinus.

Simplicia usitata, quæ ex animalibus sumuntur.

Cancer.
Cancrorum lapilli.
Cantharides.
Castoreum.
Coagulum Leporis.
Cornu Cervi.
Craneum hominis.
Dens Apri.
Ebur.
Fel Leporis.
Fel Tauri.
Genitale Tauri, & Cervi.
Intestina, & Jecur Lupi.
Mandibula Lucij.
Medulla cervina, & vitulina.
Moscum.
Mumia.
Os de Corde Cervi.
Os sæpiæ.
Pinguedo Anatina.
Canis.
Gallinæ.
Hominis.
Ursi.
Uulpis.
Equi.
Pulmo vulpis.
Sebum Cervinum.
Caprinum.
Hircinum.
Sanguis hirci.
Scincus.

Se-

Serum Lactis.
Vipera.
Zibetum.

Metalica remedia usitatiora.

ÆrisSquama.
Ærugo.
Æs ustum.
Alumen.
Argentum.
Aurum.
Bolus Armenus.
Cadmia.
Calx.



Cerussa.
Chalcanthũ.
Chalcithis.
Chrisocola.
Cinnabaris.
Ferrum.
Cypsium.
Lapis Armenus.
Lapis Lazuli.
Lapis Hemathites.
Lapis Magnes.
Lemnia Terra.
Litargirium.
Minium.

Nitrum.
Plumbum.
Pompholix.
Pumex.
Stibium, seu Antimonium.
Spodium.
Sulphur.
Thutia.

Gemmæ usitatiores.

Granatus.
Hyacinthus.
Rubinus.
Saphirus.
Smaragdus.



Remedia usitatiora, quæ ex Marè sumuntur.

Asphaltus.
Coralina.
Corallium.
Margaritæ.
Mater Perlarum.
Oculi Cancri.
Sal.
Sperma Cœti.
Spongia.
Succinum.

SCHOLIA.

SCire debent Practicantes, quod succus est liquor ex stirpibus recentibus contusis expressus, qui si lentorem habuerit, non Succus, sed mucago, seu mucilago nominatur. Dupliciter oportet considerare succos; alij appellantur liquidi, ut Cydoniorum, Granatorum, de Agresta, &c. qui ita conservantur. Alij verò dicuntur inspisati, seu indurati, quia ad duritiem reducuntur, ut conserventur, v. g. acatia opium, &c.

Notare licet, quod omnia Gummata, ab aliquibus referuntur ad genera succorum induratorum; igitur à principio nihil aliud fuerunt, quam succi arborum diversarum specierum.

Circa Sal scire debent Practicantes, quod communiter in officinis utuntur tres species, videlicet Factitius, Marinus, & Gemmeus.

CAPUT XXIII.


DE GRADIBUS PRIMArum qualitatum, ex quibus Medicamenta simplicia constant.

ANtequam loquar de gradibus primarum facultatum, seu qualitatum simplicium

cium medicamentorum, prius scire oportet, dari quædàm medicamenta temperata, quæ in homine nullam pariunt mutationem sensibilem in caliditate, frigiditate, humiditate, & in siccitate, eaque vel simpliciter, & in omnibus qualitatibus talia sunt temperata, vel tantum in duabus qualitatibus. Verum, ut Practicantes clarius inteligant, assero medicamenta vocari temperata, quæ in fibroso contextu nostri corporis, nec augent, neque imminuunt sensibiliter gradum caloris, & ideo, quando medicamenta augent calorem, dicuntur calida; & quando imminuunt, vocantur frigida.

Etiam licet demonstrare ad clariorem intelligentiam simplicium, quæ temperata sunt, scilicet: Adianthum, Asparagus, Liquiritia, Oleum dulce, Nuclei Pini, Juiubæ, Ficus, Sebesten, Uvæ Passæ, Dactili, Gummi Elemi, Tragacanthum, Sevum Vitulinum, & Caprinum, Pinguedo Suilla.

Accedamus ad medicamenta, quæ intemperata vocantur, & sunt iuxta mentem omnium Veteranorum Medicorum, & plurium Neotericorum, quæ habent vim mutandi calorem, aut humiditatem nostri corporis. Amplius etiam dico, quod ordo, & divisio qualitatum talium medicamentorum intemperatorum in quosdam gradus, qui commodissimè ab effectibus æstimantur, & tales gradus sunt quatuor: *Primus* gradus est ubi medicamentum obscurè, & vix sensibilitèr alterat nostrum corpus: *Secundus* est quandò manifestè corpus alteratur citra læsionem, noxam, vel molestiam: *Tertius* est, dum non solum corpus alteratur manifestè, & vehementer, verum etiam cum molestia, & noxia, sed sine corruptione: *Quartus* gradus est qui nostrum corpus alterat vehementissimè, & cum gravissima læsione. Hoc supposito transeamus ad demonstrandos gradus primarum qualitatum medicamentorum, ut facilius Practicantes eas in promtu teneant.

Me-

Medicamenta calida in primo gradu.

Radices.
Altheæ.
Brancæ ursinæ.
Betæ.
Buglossæ.
Liquiritiæ.
Satyrij.

Hervæ.
Althea.
Borrago.
Buglossa.
Beta.
Brasica.
Chamomila.
Cuscuta.
Eupatorium. seu Agrimonia.
Fumaria.
Linaria.
Melilotus.
Scolopendrium verum.
Simphitum.
Tusilago.

Flores.
Betonicæ.
Borraginis.
Buglosæ.
Bupthalmi.
Chamemali.
Meliloti.
Populi nigri.
Stæchados.
Senecionis.

Semina.
Coriandri.
Fœnugreci.
Lini.
Lithospermi.
Lupini.
Sesami.
Oricæ.

Fructus.
Amigdalæ dulces.
Castaneæ.
Iuiubæ.
Nuces cupressi.
Nuces iuglãdes virides.
Mora matura.
Poma dulcia Suavè olentia.

Liquores, succi, & Gummi.
Saccarum.
Bdellium.
Labdanum.
Gummi Hederæ.

Seva.
Caprioli.
Cervi.
Damæ.
Butirum recens.

Calida in secundo gradu.

Radices.
Apij.
Capparum.
Peucedani.
Pimpinelæ.
Napi.
Rodia.
Zedoariæ.

Herbæ.
Absintium.
Anagallis.
Anethum viride.
Angelica.
Apium.
Artemissia.
Betonica.
Calamus odoratus.
Chamæpytis.
Fœnugrecũ.
Hypericum.
Hedera.
Lupulus.
Melisa.
Marrubium.
Matricaria.
Ocymum.
Pimpinella.
Peucedanũ.
Polium.
Rosmarinus.
Satureja.
Salvia.
Scabiosa.
Scordium.
Stæchas.

Cortices.
Casiæ ligneę.
Cinnamomi.
Radicũ capparum.
Thuris.

Flores.
Croci.
Caryophilorum.
Lavendulæ.
Liliorum. alborum.
Liliorum cõvalium.
Hyperici.
Lupuli.
Melisæ.
Roris marini.
Squenanti.

Semina.
Anethi.

Apij.

Apij.
Ervi, seu orobi.
Erucæ.
Ocyni.
Urticæ.

Fructus,
Capparis.
Ficcus sicci.
Nuces siccæ.
Nux moschata.
Pistacea.
Liquores, Gūmi, & Resinæ.
Mustum.
Vinum recens.
Aloè.
Labdanum.
Galbanum.
Myrrha.
Mastix.
Thus.
Pixarida.
Resina.
Styrax.
Adeps.
Leonis.
Pardi.
Ursi.
Uulpis.
Calida in tertio gradu.

Radices.
Acori veri.
Assari.
Aronis.
Dictami albi.
Doronici.
Fœniculi.
Galangæ.
Helenij.
Helebori albi, & nigri.
Iridis.
Petroselini.
Raphani.
Scyllæ.

Herbæ.
Abrotanum.
Agnus castus.
Arum.
Amomum.
Ammi.
Annethum siccum.
Assarum.
Bacharis.
Carthamus.
Calamintha.
Centaurium maius, & minus.
Celidonium.
Conyza.
Epithimum.
Fœniculum.
Helenium.
Hysopus.
Juniperus.
Laurus.
Maiorana.
Marum.
Mentastrum.
Mentha.
Nigella.
Origanum.
Periclymenum.
Petroselinū.
Pulegium.
Restabovis.
Sabina.
Serpillum.
Sisymbrium.
Thrifolium.
Thymum.
Verbena.
Urtica.

Flores.
Agnicasti.
Epithymi.
Leucoij.
Oenanthe.
Periclymeni.

Semina.
Ammi.
Amomi.
Anisi.
Cardamomi.
Carthami.
Carui.
Cumini.
Dauci.
Fœniculi.
Napi.
Nigellæ.
Petroselini.
Seselios.
Staphisagriæ.
Viticis.

Fructus.
Anacordia.
Baccæ Juniperi.
Carpobalsamum.
Caryop hyli.

Liquores, Lacbrymæ, & Gummi.
Vinum, vetustius.
Assadulcis.
Assafetida.
Ammoniacū.
Cedriapix.
Opoponax.
Moschus.

Calida in quartu grado.

Radices.
Allium.
Cepa.
Costus.
Porrum capitatum.
Piretrum.
Herbæ.
Lepidium.
Nasturcium utrumque.
Portum capitatum.
Stru-

Struthium.
Thapsia.
Thithyma-lus.

Semina.
Nasturcij.
Sinapi.

Fructus.
Piper albus.
Niger.
Longus.
Aquaticus.

Metalica, & Gummi.
Auripigmentum.
Chrysocola
Missy.
Melanteria.
Sandaracha.
Sory.
Vitriolum.
Euphorbium.

Medicamenta frigida in primo gradu.

Radices.
Malvæ.
Parietariæ.
Myrti.

Herbæ.
Atriplex.
Malva.
Myrtus.
Oxilapathū.
Parietaria.

Semina.
Hordeum.
Milium.
Cydoniorum
Malvarum.

Flores.
Malvarum.
Rosæ.
Violarum.

Fructus.
Citri caro.
Cydonia mala.
Pyra.
Pruna.

Succi inspissati, seu concreti.
Acatia.
Sanguis Draconis.

Lapides.
Hyacinthus.
Saphirus.
Smaragdus.

Frigida in secundo gradu.

Radices.
Oxalidis.
Chondrylæ.
Lactucæ.
Plantaginis.

Herbæ.
Blitum.
Chondrilla.
Hyacinthus.
Lactuca.
Lens palustris.
Oxalis, seu acetosa.
Plantago.
Polygonum.
Psylium.
Solanum.

Flores.
Anæmone.
luteæ.
Cichoriæ.
Nympheæ.
Hiacinthorum.

Fructus.
Aurantia mala.
Cucumis.
Cucurbita.
Pepones.
Persica.
Pruna damascena.
Punica.

Semina.
Acetosæ.
Alkekengi.
Cichoriæ.
Plantaginis.
Psylij.
Lactucæ.

Ligna.
Santali rubri.
Santali albi.
Santali citrini.

Frigida in tertio gradu.

Radices.
Hyoschiami.
Mandragoræ.
Sempervivi.

Herbæ.
Hyoschiamus.
Mandragora.
Portulaca.
Sempervivum.

Flores.
Balaustiæ.
Hyoschiami.
Papaveris albi.

Semina.
Cicutæ.
Hyoschiami albi.

Pa-

Papaveris albi.

Fructus.

Mala Aurea.
Mala Insana.
Inspissata.
Hypocistidis.
Mandragoræ.
Hyoschiami.

Frigida in Quarto gradu.

Herbæ.

Cicuta.
Papaveris albi.

Fructus.

Mandragoræ.
Stramoneæ.

Liquores, seu succi concreti.

Meconium.
Opium.
Cicutæ.
Papaveris albi.

Medicamenta Humida in primo gradu.

Radices.

Buglosæ.
Liquiritiæ.
Malvæ.

Herbæ.

Buglosa.
Helgina.
Malva.

Flores.

Buglosæ.
Intybi.
Malvæ.

Semina.

Malvarum.
Sesami.

Fructus.

Caro citri.
Juiuvæ.
Amigdalæ dulces.

Humida in secundo gradu.

Radices.

Cucurbitæ.
Lactucæ.
Nimpheæ.
Portulacæ.

Herbæ.

Atriplex.
Blitum.
Lactuca.
Lens palustris.
Nymphea.
Portulaca.
Violaria.

Flores.

Nimpheæ.
Violarum.

Fructus.

Cucurbita.
Melones.
Pepones.
Persica.
Pruna Damascena.
Uvæ maturæ.

Medicamenta sicca in primo gradu.

Radices.

Altheæ.
Aronis.
Brioniæ.
Rubiæ.
Tamarisci.

Herbæ.

Chamomila.
Beta.
Brasica.
Fœniculum.
Hyacinthus.
Malabatrum.
Myrthus.
Verbascum.

Flores.

Bupthalmi.
Croci.
Hyacinthi.
Meliloti.
Rosarum.

Fructus.

Baccæ Juniperi.
Baccæ lauri.
Castaneæ.

Semina.

Avenæ.
Fabæ.
Fœnugreci.
Hordei.

Sicca in secundo gradu.

Radices.

Capparum.
Cichoriæ.
Calami odorati.
Plantaginis.
Raphani.
Simphiti.
Oxalidis.
Pimpinelæ.

Herbæ.

Anagallis.
Anethum viride.
Betonica.
Brassica marina.
Bursa pastoris.

Cus-

Cuſcuta.
Equiſetum.
Fumaria.
Gingidium.
Mentha.
Menthaſtrum
Pimpinela.
Oxalis.
Plantago.
Ros marinus.
Spica nardi.
Symphytum.
Verbena.
Virga Paſtoris.

Flores.

Anemone.
Chamepitios.
Pæoniæ.
Periclymeni.
Symphyti.
Stechadis.

Semina.

Carthami.
Ervum.
Fœniculi.
Lentium.
Milij.
Oryzæ.
Papaveris.
Solani.

Fructus.
Balanus Myrepſica.

Cappares.
Cydonia mala.
Nux cupreſi.
Nux moſchata.
Pyra.
Pyſtacia.

Ligna.

Santali rubri.
Santali citrini.
Santali albi.

Lachrymæ, Gummi, & Reſinæ.

Galbanum.
Opoponax.
Pix arida.
Myrrha.
Styrax.
Maſtiche.

Sicca in tertio gradu.

Radices.

Acori veri.
Apij.
Aſſari.
Galangæ maioris, & minoris.

Doronici.
Elebori albi, & nigri.
Pentaphylli.
Scyllæ.
Tripholij.
Abſinthij.
Marrubij.
Petroſelini.
Peucedani.

Herbæ.

Abrotanum.
Abſinthium.
Ammi.
Anethum uſtum.
Apium.
Aſſarum.
Chamepitis.
Epithymum.
Filis.
Calaminta.
Hyſopus.
Juniperus.
Majorana.
Marrubium.
Origanum.
Peucedanū.
Petroſelinum.
Polium.
Quinque folium.
Rutha.
Sabina.
Serpillum,
Siſymbrium.

Salix.
Thymus.
Trifolium.

Flores.

Balauſtriæ.
Epithymi.
Chamepitios.
Peryclymeni.

Semina.

Ammi.
Amomi.
Anethi.
Aniſi.
Carui.
Coryandri.
Cymini.
Grana tinctorum.
Nigellæ.
Petroſelini.
Viticis.

Fructus.

Carpobalſamum.
Caryophili.
Galla.
Piper.
Sinapi.

Succi, & Gummi.
Acacia.

Acetum.	Sal.	Porri capitati.	Pyretrum.
Aloe.	Squamma æris.	Pyretri.	Thapsia.
Camphora.	Sulphur.	Thapsiæ.	Thytimalus.
Moschus.	*Sicca in quarto gradu.*	Thytimali.	*Gummi, & Metalica.*
Metalica.	*Radices.*	*Herbæ.*	Euphorbium
Alumen.	Allij.	Allium.	Auripigmentum.
Ærugo.	Nasturtij.	Lepidium.	Chrysocola.
Æs ustum.	Lepidij.	Nasturtium.	Melanteria.
Chalcitis.		Porrum capitatum.	Vitriolum.
Flos æris.			
Nitrum.			

SCHOLIA.

Animadvertere oportet aliquas res magnæ considerationis, nè confundantur Practicantes circa gradus primarum qualitatum simplicium medicamentorum, quandó consulent varios Auctores, & videant eorum discrepantiam; igitur medicamentum, quod ab unis numeratur in primo gradu caloris, ponitur ab alijs in fine secundi gradus, aut in principio tertij; & sic solet accidere in reliquis gradibus frigiditatis, siccitatis, &c.

Radix liquiritiæ ab unis præscribitur inter radices, quæ calidæ sunt in primo gradu; ab alijs verò ponitur inter calida secundi gradus.

Cortices ligni guaiaci ab unis numerantur inter simplicia calida in primo gradu; & ab alijs inter ea, quæ calida sunt in principio tertij gradus, quia sunt calidiores ipso ligno guaiaco: ideoque merentur numerari, si non in principio tertij gradus caliditatis, ad minus in confinio secundi gradus.

Porrum capitatum, thapsia, tithymallus, &c. numerantur ab aliquibus inter simplicia, quæ sunt calida in tertio gradu, & ab alijs præscribuntur inter ea, quæ calida sunt in quarto gradu propter impetuosam actionem, qua agunt in nostro corpore.

Opium numeratur inter medicamenta, quæ frigida sunt in quarto gradu, sed contra hanc sententiam communem, & veteranam aliqui Neotericorum dicunt potius esse calidum, quam frigidum. Prisci ad comprobationem, & certitudinem eorum sententiæ frigidæ, attendunt ad effectus frigidos, qui sequuntur abusum opij. Aliqui verò posteriorum ad probandum, quod opium est calidum, invenerunt varias ratio-

nes,

nes, quas Practicantes videre possunt legendo aliquos Auctores, & inter nostros Neotericos iam memor Doctissimum Herediam Complutensem dixisse: (loquentem de opio) Neque est credibile incendium cerebri laborantis phrenitide á quatuor granis destrui, & in frigidato cerebro somnum conciliare. Insuper objiciunt Neoterici contra vetustam sententiam opij cum proprijs armis Priscorum; isti veterani militantes sub signo auxiliari mei Magistri Galeni, dicunt thus esse Narcoticum; & idcircò cum protestatione extra determinatam dosim, monent, ne exhibeatur ob summum periculum cui tradit ægrotos; qui quidem Veteres, loquendo de prima qualitate activa thuris, asserunt esse calidum in secundo gradu.

Uni Medicorum docent radices satirij, liquiritiæque esse humidas: Alij veró dicunt, quod radix satyrij est mediocriter calida, & radicem liquiritiæ, affirmant, esse siccam.

Circa radicem malvæ docent uni esse humidam: & non desunt alij asserentes, quod radix malvæ non debet numerari inter simplicia humida, sed potius inter emolientia; verum, eorum venia, meo videri non implicat radicem malvæ habere facultatem humidam, & emolientem; igitur frigiditas, & viscositas possunt peccare, si humiditati adiunctæ sint.

Non obliviscor aliquem posse sugilare me non loquutum esse de tertio, & quarto gradu humiditatis, verum est, quod non loquor, sed non minus est verum, me non esse primum; igitur constat aliquos cordatiores Auctores mentionem non fecisse de prædictis humiditatis gradibus, & inter illos fuit unus Henricus Regius, qui omisit hos gradus humiditatis, quia suo videri tertius erat, in quo corpus nostrum non citra molestiam, & noxam alteratur, & quod quartus erat, qui alterat corpus cum gravissima læsione, & destructione.

Animadvertere oportet Practicantibus me omisisse tertium, & quartum gradum humiditatis, considerando humidum minimè posse destruere, & cum læsione alterare nostrum corpus; igitur corpora viva esse non possunt absque humiditate, sed necessariò debent esse humida, quæ si modo humiditas sit sola, non possunt esse nimis humida.

Neque obstat ad oppugnandum præscriptum iudicium, quod humiditas peccat in hydrope, ad hoc, ut salvetur me malè omisisse tertium, & quar-

tum gradum humiditatis : igitur humiditas in hydrope non peccat, sed tantùm obstructiones, quæ impediunt, ut humida liberè posint excerni, aliàs posuit natura emunctoria sufficientia, ut per transpirationem insensibilem, per nares, per vasa salivalia, per renes, & per alvum; itaut humiditas nunquam peccet in nostro corpore, nisi adsit frigus, vel viscositas, & inde obstructiones, ex illisque fiunt vasorum limphaticorum ruptiones, & ex ruptionibus colligitur serum, seu aqua in abdomine, etiamque in aliqua alia cavitate.

De thure aliqui dicunt esse siccum in primo gradu; alij asserunt thus debere numerari inter simplicia, quæ sicca sunt in secundo gradu.

Herbæ, quæ sunt calidæ, & siccæ in quarto gradu, ut lepidium, allium, &c. impetuosè agunt in nostro corpore, sed non diu, quia effecta earum variant plus minusve, iuxta maiorem, vel minorem humiditatem, vel siccitatem in corporibus peccantem: Moneo Practicantibus, ut in promptu habeant istam notam; igitur multum eis prodesse poterit; & ut agnoscant eius veritatem, inspicere debent causticis, quæ in corporibus nimis humidis, & in valdè siccis impetuosè non agunt, ex eo, quod in valdè siccis eorum particulæ non se insinuant in talium corporum poris. Etiam minimè agunt impetuosè in corporibus maximè humidis; quia particulæ acres, & corrosivæ causticorum ab humiditate excedenti enervantur, & quamvis se insinuent in poros corporis, ibi manere non possunt; igitur diluuntur, & auferuntur.

Scire licet, quod Metalica, & omnia medicamenta, quæ sunt calida, & sicca in quarto gradu, cuius particulæ se insinuant in poros nostri corporis, & ibi manent, impetuosè agunt, non tantùm, quia sunt sicca, sed quia corrosiva; & ideo prædictos poros corrodunt.

Utilisimum est animadvertere, quod simplicia medicamenta sunt magis, vel minus calida, etiamque magis, vel minus frigida, quandò sunt magis, vel minus humida; porrò, quod etiam impetuosè agunt in nostro corpore, dum minori gaudent humiditate, quia tunc redduntur talia medicamenta sicca, & ustiva, ex eo quod in eis redundent igneæ particulæ propter humidi defectum, ex hoc infertur gradus primarum qualitatum simplicium medicamentorum natos

tos esse ex maiori, vel minore humiditate, quæ in eis invenitur.

Insuper animadvertere debeo simplicia medicamenta esse calida, vel frigida, vel magis, aut minus sicca, secundum minorem, vel maiorem humiditatem; quia maius, vel minus recessus humiditatis est, & accessus, qui efficit variare cæteras qualitates primas in simplicibus medicamentis, quæ Doctrina apud me nec nova est, nec admirationis digna; si consideratur quodlibet simplex medicamentum esse mixtum naturale, & necessariò debet eius temperamentum esse diversum respectu temperamenti alterius simplicis medicamenti, & non solum ex natura sua, sed etiam ratione ætatis, ut observatur in aliquibus ex assignatis medicamentis. Ita observatur in nostris corporibus, & præter experientiam Magnus Hypoc. in lib. 1. de Diet. lucem dedit sequentibus verbis: *Senes autem frigidi sunt, & humidi, quia ignis quidem recessus contingit, aquæ autem accessus.* Benè dixit Hypoc. quando dixit *aquæ autem accessus*, si attendimus, quod nihil invenitur humidius aqua, & quod nullum simplex medicamentum humidum esse potest, nisi in eius mixtione naturali maneat humiditas, excedendo alias qualitates, taliter, ut per excessum humiditatis fiant talia simplicia magis, vel minus frigida; & propter recessum, & eius diminutionem fiant magis, vel minus calida, & magis, vel minus sicca.

Circa medicamenta simplicia temperata etiam aliquid oportet animadvertere ad eorum perfectam noticiam: dicuntur temperata illa, quæ neque augent, neque imminuunt gradum caloris in contextu fibroso corporis nostri; & non augent, neque imminuunt, quia in talibus simplicibus, igitur sunt vera mixta, inveniuntur ritè temperatæ primæ qualitates elementorum ea componentium, quod accidit eodem modò, ac in nostris corporibus respectu mixtionis elementorum; & idcircò prædictus Hypoc. in citato lib. ad nostrum intentum scripsit hoc monitum: *Etenim quod tenuissimum est in aqua, & quod rarissimum in igne, si in hominis corpore temperamentum acceperint sanissimum habitum constituunt.*

Pro coronide huius capitis, ut Practicantes liberentur à confusione, in quam possunt incidere, attentis varijs opinionibus circa primas qualitates simplicium medicamentorum, animadvertere debeo, quod tales qualitates eis fient manifestæ,

tæ, si examinent saporem, colorem, odorem, &c. Igitur primæ qualitates cognoscuntur quærendo earum iudices, qui sunt sapor, color, odor, qualitates tactiles, & alij plures iudices. Verum ob fastidium protrahendum, quod causare potest huius capitis longitudo, tantum hæc veritas demonstrabitur per saporem, per colorem, & per tactiles qualitates.

Sapor acer indicium est vehementis caliditatis: Acerbus indicat frigiditatem, & siccitatem: Acidus est iudex frigoris, & humiditatis; dulcis indicat temperatum calorem, & humiditatem; sapor untuosus, seu pinguis, indicat minorem caliditatem, quam dulcis sapor: Insipidus, seu aqueus, ostendit frigiditatem, & humiditatem; salsus indicat calorem, & siccitatem: color rubeus, & croceus indicant moderatam caliditatem, & siccitatem: color flavus est indicium caliditatis: albus est iudex humiditatis, &c. Crasities indicat abundare partes terrestres: densitas indicat siccitatem, vel congelationem, vel concretionem: durities est signum siccitatis, & naturæ terrestris. Mollities est index humiditatis: lenitas significat humiditatem: ariditas indicat siccitatem: asperitas etiam siccitatem significat: levitas est signum humiditatis aereæ, &c.

CAPUT XXIV.

DE FORMULIS PURGANTIUM Medicamentorum.

PLures sunt formulæ, in quibus præscribi possunt purgantia, videlicet in formam conservæ, tabelæ, Boli, &c. Sed frequentius præscribuntur in potionis, pulveris, & pilularum forma; & idcircò ad maiorem claritatem iuxta tres assignatas formulas tantum præscribere debeo medicamenta purgantia.

Formulæ Cholagogorum.

Mitiora sub forma potionis.

R. Decocti uvarum passarum, & anisi. ℥iijß.
Diaprunis simplicis. ʒvj.
Tartari solubilis. ʒß.
Mivæ prunorum sennæ. ℥ijß. me.

R. Decocti tamarindorum, & florum violarum. ℥iiij.
Cremoris Tartari. ʒj.
Mannæ electæ. ℥ij.
Syrup. regis. ℥iß.
S. A. fiat potio, & in fine adde spiritus cinam. gut. viij me.

R. Decocti prunorum, & tamarindorum. ℥vj.
Tartari solubilis ʒj.
Confectionis Alkermes sine odore. ʒß.
Mannæ electæ. ℥iiiß.
S. A. clarificetur.

Mediocria.

R. Rhabarbari. ʒiß.
Tartari vitriolati. ℈ij.
Cinamomi. ℈ß.
Extrahatur tinctura in ℥iiij. Aquæ Cichoriæ; facta colatura disolve syrup. persici solutivi. ℥iij. me.

R. Syrup. Aurei. ℥iijß.
Pulpæ tamarindorum. ʒvj.
Salis Tartari. ʒß.
Aquæ portulacæ. ℥iij.
Aq. floris casiæ. gut. xij. me.

R. Rhabarb. electi. ʒj.
Christalorum Tartari. ʒß.
Diagrydij. gr. iiij.
Cinamomi. gr. vj.
Fiat omnium pulvis subt.

R. Aloes Succotrin. ʒj.
Resinæ Scammonij. g. vj.
Salis Tartari. ℈ß.
Mastichis. gr. v.
S. A. formentur pilulæ parvæ, & deaura.

R. Extracti Rhabarbar. ℈j.
Extracti Aloes. gr. xvj.
Tartari Vitriolati. gr. v.
Cum elix. Propiet. Parac. formentur pilulæ. S. A.

Vehementia.

R. Foliorum sennæ. ʒij.
Rhabarb. ʒß.
Christal. Tart. ʒj.
Spicæ nardi. gr. iiij.
Aq. oxalidis. ℥iiij.
S. A. extrahatr. tinctura, & in ea, facta colatura, disolve.

Diaprunis solutivi. ℥ß.
Syrup. rosac. solutivi. ℥ij.
Tincturæ Cinamomi. gut. vj. me.

R. Radicis Zaqualtipanis. ℈j.
Scammonij sulphurati. gr. x.
Tartari solub. gr. xx.
Omnia in pulverem reducantur.

R. Resinæ Jalapæ. ℈ß.
Tartari solubilis. ℈j.
Radicis galangæ maioris. gr. iiij.
S. A. fiat omnium pulvis.

R. Massæ pilularum aurearum. ℈ij.
Diagrydij. gr. vj.
Mercurij dulcis sublimati. gr. viij.
S. A. formentur. Pilulæ.

Formulæ Phlegmagogorum.

Mitiora.

R. Radicum Polipodij Quercini. ʒiij.
Seminis Chartami. ʒij.
Seminis Anisi. ℈j.
Fiat decoctio S. A. in aq. fontis, usque ad ℥iiij.
Colaturæ disolve Diacatholici. ℥ß.
Cremoris Tartari. ʒß.
Syrup. Persici ex 9. in fus. ℥iß. me.

R. Decocti Mirabolanor. Chebulorum. ℥iiij.
Lactis Mechoacannæ. ʒj.
Tartari solub. ℈j.
Syrup. Aurei. ℥j.
Spiritus Anisi. gut. viij. me.

Mediocria.

R. Agarici trochiscati. ʒj.
Salis Armoniaci. ℈j.
Aquæ melisæ. ℥iij.
Fiat infusio per noctem, & colaturæ disolve.
Electuarij Diapheniconis. ℥ß.
Syrup. Aurei solutivi. ℥iij.
Aquæ floris casiæ. gut. xij. me.

R. Radicis Mechoacannæ. ʒj.
Scammonij sulphurati. gr. v.
Tartari vitriolati. ℈j.
Cinamomi acuti. gr. iiij.
S. A. reducantur in subt. pulverem.

R. Extracti Agarici. gr. xx.
Resinæ Scammonij. gr. vj.
Salis Tartari. ℈ß.
Cum syrupo aureo S. A. formentur Pilulæ.

Ve-



Vehementia.

R. Radicum Polipodij Quercini. ℥ß.
Turbith. ʒj.
Zinziberis. ℈ß.
Coquantur S. A. in aqua fœniculi, usque ad ℥ iiij.
Colaturæ disolve.
Electuarij Indi maioris. ʒvj.
Cremoris Tartari. ℈ij.
Syrupi Aurei. ℥ij. me.

R. Pulveris de tribus, seu Cornachini. ʒß.
Pnlveris Cinamomi. gr. v. me.

R. Thurbith. ℈iiß.
Radicis esulæ maioris. ℈ß.
Tartari vitriolati. ℈j.
Radicis galangæ maioris. gr. vj.
Omnium fiat pulvis subt.

R. Massæ pilularum cochiarum maiorum. ʒj.
Diagrydij. gr. iiij.
Arcani duplicati. gr. viij.
S. A. fiant pilulæ.

R. Massæ pilularum Agarici. ℈iiß.
Mercurij dulcis sublimati. gr. viij.
Extracti trochiscorum Alkandal. gr. iij.
Cum syrupo corticis citri formentur pilulæ.

Formulæ Melanagogorum.

Mitiora.

R. Decocti Mirabolanorum Indorum, & Epithymi. ℥iij.
Tartari solubilis. ʒj.
Syrup. Persici solutivi. ℥iij.
Spiritus Anisi gut. viij. me.

Mediocria.

R. Foliorum sennæ. ʒij.
Salis Tartari. ʒß.
Seminis fœniculi. ℈j.
Aq. Borrag. ℥iiij.
Per noctem infundantur, ut fiat extractio tincturæ, & colaturæ disolve.
Diasennæ. ℥ß.
Syrupi Persici Sennati. ℥ij. me.

R. Folior. sennæ. ℈ij.
Resinæ scammonij. gr. viij.
Tartar. solubilis. ℈j.
Macis. gr. iiij.
Fiat omnium pulvis subt.

R. Extracti folior. sennæ. ℈j.
Scammonij sulphurati. gr. x.

Tartari Vitriolati. ℈ß.
OleiCaryophilorum.gut.j.
S. A. formentur pilulæ.

Vehementia.

R. Radic. elebori nigri. ʒj.
Caryophilor. gr. viij.
Salis Tartari. ℈ij.
Aquæ fœniculi. ℥iij.
S. A. extrahatur tinctura, & in ea disolve confectionis Hamech compost. ʒiij.
Syrup. Persici sennat.℥iiß. me.

R. Radicis Zaqualtipanis.℈j.
Radicis elebori nigri. ℈ß.
Salis Tartari. gr. xx.
Caryophilorum. gr.iiij.
Omnia in pulverem subt. reducantur.

R. Massæ pilular. de fumaria. ʒj.
Extracti elebori nigri. gr. v.
Salis Gemmei. ℈ß.
Radicis Galangæ maioris. gr. iiij.
Fiant pilulæ. S. A.

R. Resinæ Jalapæ. gr. x.
Extracti elebori nigri. gr. iiij.
Mercurij dulcis sublimati. gr. viij.
Olei fœniculi destilati. gut. ij.
Cum syrupo aureo formentur pilulæ.

Formulæ Hydragogorum.

Mitiora.

R. Decocti corticis mediani Sambuci, & Epithymi. ℥v.
Cremoris Tartari. ʒj.
Mannæ electæ. ℥iij.
Colaturæ adde spiritus cinammomi gut. viij. me.

R. Lactis Mechoacanæ.℈iiij.
Arcani duplicati. ℈j.
Cinammomi acuti. gr. vj.
Fiat omnium pulvis subt.

R. Extracti Mechocanæ.℈ij.
Aloes succotrini. ℈j.
Salis Tartari. ℈ß.
S. A. fiant pilulæ.

Mediocria.

R. Foliorum sennæ. ʒij.
Epithymi. ʒj.
Seminis Anisi. ʒß.
Coquantur in aqua fontis, usque ad ℥iiij.
Colaturæ, & expresioni disolve Diasennæ. ʒiij.
Salis absinth. ʒß.
Syrup. Polipodij Quercini. ℥ij. me.

R. Radicis Zaqualtipanis, seu



seu Jalapæ. ʒß.
Radicis Assari. ℈j.
Tartari solubilis. ℈j.
Olei Anisi. gut. j.
S. A. fiat omnium pulvis.
R. Extract. Radicis Assari. ℈j.
Resinæ Zaqualtipanis. gr. v.
Calomelanos Riverij. gr. viij.
Radicis Galangæ. gr. iiij.
S. A. fiant pilulæ.

Vehementiora.

R. Radicis Bryoniæ siccæ. ℥ß.
Tartari solubilis. ʒj.
Radicis Galangæ. ℈ß.
Vini albi ℥iiij.
Per noctem fiat infusio, colaturæ disolve.
Syrup. Persic. solut. ℥iß. me.
R. Pulveris Cornachini. ʒß.
Guttæ gummi. gr. v.
OleiCaryophilorum.gut.j.
Mixceantur per levigationem, donec in subtilissimum pulverem reducantur.
R. Guttæ gummi. ℈ß.
Salis Tartari. ℈j.
Cinammomi acuti. gr. vj.
S. A. fiat omnium pulvis.
R. Massæ pilularum de Sagapeno. ℈ij.
Trociscorum Alkandal. gr. v.
Tartari Vitriolati. gr. viij.
Macis. gr. ij.
S. A. formentur pilulæ.
R. Exrracti radicis esculæ. ℈ß.
Scammonij, & Mercurij præcipitati albi. à. gr. viij.
Spicæ nardi.gr. iiij.
Omnia reducantur in forma pilularum.

Formulæ Panchymagogorum, seu Holagogorum.

R. Foliorum sennæ. ʒij.
Rhabarbari. ℈ij.
Christali Tartari. ʒj.
Confect. Alkermes sine odore. ʒß.
Aquæ fontis. ℥vj.
Fiat infusio, ut tinctura extrahatur, & in ea disolve Mannæ electæ. ℥iiiß.
Postea S. A. clarificetur.
R. Polipodij Quercini, & foliorum sennæ. à. ʒiß.
Tamarindorum. ʒij.
Epithymi. ʒß.
Spicæ nardi. gr. vj.

S. A. coquantur in aqua cichor. usque ad ℥iiij.
Colaturæ disolve.
Diatartari. ℥ß.
Syrup. Aurei solut. ℥iß. me.

R. Decocti Pugini Magistralis. ℥iiiß.
Diacatholici. ʒiij.
Tartari Vitriolati. ʒß.
Syrup. Persici sennati. ℥iiß. me.

R. Foliorum sennæ. ℈ij.
Radicis Mechoacanæ. ℈j.
Scammonij sulphurati. gr. iiij.
Tartari Vitriolati. gr. xx.
Fiat omnium pulvis subt.

R. Rhabarb. ℈ij.
Radic. Jalapæ. ℈j.
Salis Tartar. gr. viij.
S. A. omnia redducantur in pulver. subt.

R. Pulver. de Tribus. ℈j.
Resinæ Jalapæ. gr. v.
Macis. gr. iij.
Per levigationem reducantur ad subt. pulverẽ.

R. Extract. Cathol. ʒß.
Resinæ Zaqualtipanis. gr. iiij.
Tartar. Vitriolat. gr. vj.
S. A. formentur pilulæ, & deaura.

R. Massæ pilularum de Agarico. ʒß.
Extracti Aloes. gr. xv.
Resinæ Scammonij. gr. vj.
Salis Tartar. gr. viij.
Ex omnibus fiant pilulæ.

R. Massæ pilularum, sine quibus. ℈ij.
Extracti folior. sennæ. ℈ß.
Extracti trocifcor. Alkandal. gr. ij.
Tartari Vitriolati. gr. vj.
Cum syrup. Aureo formentur pilulæ.

SCHOLIA.

Accidere solet aliquos ægros facilè vomere medicamentum purgans, & neglectis ridiculis auxilijs, quibus vulgus utitur ad hoc, ut non evomatur purgans, animadvertere debeo Practicantibus, quod prohibeant talem vomitionem sequentibus auxilijs, quæ me experientia docuit: *Primum* est, confectio Alkermes sine odore, quæ debet disolvi in ipso purganti ab ℈j. ad ʒß. *Secundum* ita præparatur: ovum integrum assetur, usque ad indurationem, tunc extrahatur vitelum, extendaturque in panno, & post bibitionem medicamenti, ponatur vitelum calidum in cavitate Essofagi, quæ vulgò vocatur

tur *la olla*: *Tertium* eſt, poſt quam bibatur purgans applicetur in fundo ventriculi cucurbata amploris orificij, quæ ibi manere debet ad minus per ſpatium unius horæ; quia ita impeditur contractio fibrarum partis inferioris ventriculi, quæ contractio neceſſariò requiritur, ut evomatur purgans.

Nihil frequentius eſt inter Practicantes, quàm obſervare, ut dormiat æger, qui aſſumpſit medicamentum purgans in forma pilularum, vel boli, & ideo ſumitur in hora ſomni tranſactis duobus, aut tribus horis poſt cœnum: hoc præceptum eſt impoſitum, ut medicamentum facilius diſolvatur in ſubſtantia aquea ventriculi, & promptius faciat operationem.

Non reprobo tam veteranum præceptum, & non minus religioſiſsimè obſervatum à ſanis, & ab ægrotis; ſed quia ſemper verum fateor, animadvertere debeo, quod niſi in morbis productis à fermento gallico, non exhibeantur, de cura regulari, pilulæ purgantes in hora ſomni, quia non ſolum eſt moleſta illa evacuatio in eo tempore ægris, verum etiam aſsidentibus, ſed potius in hora matutina; igitur fit tutó, & jucundè, & ſine periculo, quod ſuperveniente ſomno, dum iam pilulæ cœperunt operare, evacuatio retineatur, & cum periculo, ut humores commoti, & non evacuati decumbant in partem aliquam principem, & ægrum è manibus Medicorum eripiant, ut pluries iam obſervatum eſt; & idcircò Magiſter Galenus in lib. 5. meth. medendi ita nos ducuit: *Et ſomnus prohibet omnes evacuationes præter ſudorem, & menſtruam purgationem.*

Circa purgans medicamentum in forma pilularum, etiam oportet notare, quod minus ſecurum eſt in naturis billioſis, & in omnibus corporibus gratilibus, ſed tantum ſecurè utitur in corporibus humidis, & obeſis, quia in his abundat humiditas, quæ in alteris deficit; tunc enim propter humidi defectum, adhærent pilulæ, & Hypercatharſis ſequitur: Porrò ſi æger gracilis non poſſit aſſumere purgans in alia formula, quam pilulari: nullo enim modo præcaveri poteſt Hypercatharſis, quam largiori potu aquæ, aut juſculi pulli; igitur ſic facilè diſolvuntur pilulæ, & promptius operantur.

Si aſſumpto purganti in forma potionis, vel pulveris promptum effectum non ſequatur, debent Practicantes ſuis ægris præcipere, ut bibant decoctum tamarindorum, & uvarum

rum passarum, quod optimè promovet operationem lubricando, & stimulando.

Animadvertere licet, ad meliorem regimen purgationis, quod Practicantes inspiciant, an æger sit sitibundus, postquam assumpserit medicamentum purgans: tunc enim propinetur haustus aquæ moderatè frigidæ, & præcipuè, si ægri temperamentum fuerit biliosum, & maximè in tempore æstatis, si febre ardenti corripitur.

Circa exhibitionem aquæ moderatè frigidæ oportet notare, quod adhuc cum prædictis circunstantijs, urgente siti, nullo modo propinari debet potus aquæ, si purgans assumptum fuerit resinosum, ut Jalapæ, &c. quia æger vertitur in periculum super purgationis, ut iam dum eram Medicus Villæ *de Garganta la Olla*, in anno 1703. vidi in Uxore Martini de la Peña, cuius temperamentum biliosum erat; & quamvis assumpsit resinam Jalapæ cum cremore Tartari, & in vitello ovi mollis, & calidi, & promptum effectum edebat, quia siti urgente, largius potavit aquam frigidam, incidit in longam, cruentam, & summè torminosam superpurgationem, & non nisi maxima cura potuit liberari. Ultimò animaduertere debeo, quod transactis duabus horis post assumptionem purgantis in quacumque formula, exhibeatur jusculum calidum, sed non pingue, quia ob pinguedinem non valet adiuvare operationem purgantis, sed potius eam impedire, & minus secura sunt pinguia juscula, si purgans fuerit resinosum, quia firmius tunc adhæret tunicis intestinorum, & ad minus tormina excitant.

CAPUT XXV.

DE FORMULIS MEDICAMENTORUM *digerentium, seu præparantium.*

Bilem præparantia in forma potionis.

R. Aquæ portulacæ. ℥iiij.
Diamargarit. frigidi, & Christalor. Tartar. ā. ʒß.
Syrup. endiviæ. ℥j. mc.

R. Aq. Plantag. ℥iiij.
Salis prunelæ. ʒß.

Sy-

Syrup. Oxalidis. ℥j. me.

R. Tincturæ rosarum rubrar. in aq. Scorcioneræ extractæ. ℥iiij.
Syrup. acetos. simplic. ℥j.
Spiritus Vitrioli. gut. vj. me.

R. Radicum oxalidis, & cichoriæ. à. ʒij.
Florum malvar. p. ß.
Seminis lactucæ. ʒj.
S. A. coq. in aq. fontis usque ad ℥viij.
Colaturæ disolve nitri vitriolati. ℈j.
Syrup. Scorcioneræ, & violac. à. ℥j.
Aq. floris casiæ. gut. xij. me.
Pro duabus dosibus.

R. Tamarindorum. ʒiij.
Foliorum linguæ Cervinæ. num. ij.
Semin. oxalidis. ʒjß.
Semin. portulac. ʒj.
Coq. in aq. fontis usque ad ℥vj.
Facta colatura disolve syrup. violac. ℥ij. me.
Pro duabus dosibus.

R. Conservæ florum violar. ℥j.
Aq. oxalidis. ℥iiij.
S. A. extrahatur. tinctura, & in ea disolve nitri vitriolati. ℈j.
Tincturæ coralorum. gut. viij. me.

Pituitam præparantia in forma potionis.

R. Aq. fœniculi. ℥iiij. Tart. Solub. ʒß.
Syrup. Capilor. vener. ℥j.
Elixir propietatis Paracelsi. gut. viij. me.

R. Aq. mellisæ. ℥iiij. Confect. Anacardinæ. ʒj.
Salis Tartari. ℈j.
Tincturæ Alkermes gut. xij. me.

R. Radicum fœniculi, & Caryophilatæ. à. ʒiij.
Folior. Betonicæ, & Chamepytheos. à. ʒij.
Corticis sassafrax, & seminis Apij. à. ʒj.
Flor. Centauræ minor. pug. ß.
S. A. fiat decoctio in aqua fontis, usque ad ℥viij.
Colaturæ, & expresioni disolve.
Aureæ Alexandrinæ, & Theriacæ magnæ antiq. à. ʒj.
Tartar. martialis. ℈ij.

Sy-

Syrup. de 5. radicibus sine aceto. ℥ij. me. pro duabus dosib.

In forma pulveris.

℞. Diamarg. calidi. ʒß.
Tartari vitriolat. ℈j.
Salis Absinth. ℈ß.
Simul levigentur, ut in pulver. subt. reducantur.

℞. Pulver. de Gemmis cum speciebus, & semm. Anethi. à. ℈j.
Tartar. martialis. gr. xviij.
Salis centauræ minor. ℈ß.
Mixceantur omnia in formam pulveris.

℞. Seminis Apij. ʒß.
Baccarum Juniperi. ℈j.
Tartari vitriolati, gr. xx.
Granorum chermes. gr. viij.
Omnium fiat pulvis subt.

In forma pilularum.

℞. Trociscor. de Absinth. ʒß.
Tartar. vitriolat. ℈ß.
Salis de Chalybe. gr. iiij.
Cum extracto baccarum Juniperi formentur pilulæ.

℞. Extracti Absinth. & centauræ minor. à. ℈ß.
Extract. croci. gr. iiij.
Tartar. vitriolat. gr. xvj.
Cum elyxire propriet. Paracelsi formentur pilulæ S. A.

℞. Trociscorum de Myrrha. ʒß.
Castorei. gr. vj.
Tartar. Martial. gr. xx.
Cum extrrcto centauræ minor. fiant pilulæ.

Melancholiam præparantia in forma potionis.

℞. Aq. fumar. ℥iiij.
Confect. gentilis cordialis. ʒß.
Salis Tamarisci. ℈j.
Syrup. Borrag. ℥j.
Tincturæ Salis Tartari. gut. xij. me.

℞. Aq. Borrag. ℥iiij.
Cremor. Tartar. ʒj.
Folior. aspleni, & capilor. vener. à. m. ß.
Flor. sambuci, & buglosæ. à. p. ß.
Seminis cardui benedicti. ʒj.
Uvar. passular. sine acinis. à. ℥ß.
S. A. coq. in aq. fontis, donec remaneant. ℥viij.
Facta colatura, & expressiene disolve.
Tartar. Martialis, & salis genistæ. à. ʒß.

Sy-



Syrup. de duab. radicibus ſine aceto, & pomor. redolentium. à. ʒvj.
Spiritus cinamom. gut. xij. me. pro duabus doſibus.

In forma pulveris.

R. Pulver. lætitiæ Galen. ſine odore. ʒß.
Salis fraxini. ℈j.
Salis Cochleariæ. ℈ß.
Mixceantur per levigation.

R. Pulveris de Gemmis cum ſpeciebus. ℈j.
Salis Abſinth. ʒß.
Tartar. Martialis. gr. xv.
Per levigationem mixceantur in forma ſubt. pulveris.

R. Corticis radicis capparum. ʒß.
Semin. Pimpinelæ, & citri. à. ℈j.
Salis Tartar. gr. xv.
Salis Cochleariæ. gr. viij.
Granor. Chermes. gr. iiij.
S. A. omnium fiat pulvis ſubt.

In forma pilularum.

R. Extracti Abſinthij. ʒß.
Extracti Martis aperitivi. ℈ß.
Salis Cardui benedicti. ℈j.
S. A. formentur pilulæ.

R. Trociſcor. de eupatorio. ℈ij.
Extracti enulæ campanæ. ℈ß.
Croci Martis aperitivi. gr. xvj.
Cum theriaca magna antiq. & Syrup. abſinth. fiant pilulæ, & deaura.

R. Extracti radicis gentianæ. ℈j.
Theriacæ magnæ antiquæ. ʒß.
Salis Tartari. gr. xx.
S. A. formentur pilulæ.

Atrambilem præparantia in forma potionis.

R. Aq. bugloſſæ, & oxalidis. à. ℥ij.
Salis Prunelæ. ʒß.
Syrup. violacei. ℥j.
Spiritus cochleariæ. gut. viij. me.

R. Aq. fragariæ. ℥iiij.
Tartari vitriolati. ʒß.
Syrup. pomor. redolentium. ℥j.
Spiritus Salis communis dulcificati. gut. viij. me.

R. Decocti folior. linguæ cervinæ, & flor. violar. ℥iiij.

Fff Sa-

Salis Saturni. gr. viij.
Syrup. borrag. ℥j.
Spiritus nitri dulcis. gut. vj. me.

R. Radicum oxalidis, & smilacis asperæ. à. ʒjß.
Folior. melissæ, aspleni, & lupulorum. à. m. ß.
Semin. malvæ, & portulacæ. à. ʒj.
S. A. coq. in aq. fontis usque ad ℥viij.
Facta colatura, & expressione disolve.
Salis Martis. ℈ß.
Syrup. de fumaria, & cochleariæ, cum succo oxalidis facti. à. ℥j.
Spiritus oleosi aromatici ex silvio. gut. xx. me.

In forma pulveris.

R. Seminis fumariæ. ʒß.
Salis prunelæ, & salis tartari. à. ℈j.
Cinamomi acuti. gr. iiij.
S. A. omnia reducantur in pulver. subt.

R. Semin. lupulor. ʒß.
Tartar. solub. ℈j.
Salis Martis. gr. iiij.



Radicis galangæ maioris, gr. v.
Fiat omnium pulvis subt.

R. Smilacis asperæ, & visci quercini. à. ʒß.
Nitri vitriolati, & Tartari Martialis. à. ℈ß.
Caryophilorum. gr. iiij.
Omnia in pulver. subt. reducantur.

In forma pilularum.

R. Extracti cochleariæ. gr. xviij.
Extracti Martis aperitivi. ℈ß.
Salis Saturni. gr. v.
Cum syrupo oxalidis formentur pilulæ. S. A.

R. Extracti visci quercini. ʒß.
Tartari Martialis. ℈ß.
Salis cochleariæ. gr. viij.
Cum syrupo de chalybe fiant pilulæ.

R. Extracti Agrimoniæ. ℈j.
Extracti chelidoniæ maioris. gr. xviij.
Tartari vitriolati. gr. x.
Salis Martis. gr. iiij.
Cum syrupo fumariæ. S. A. formentur pilulæ.

CAPUT XXVI.

DE FORMULIS ALIQUORUM medicamentorum, quæ frequentèr in Praxi utuntur.

Cucupha est species sacculi, & paratur ex linteo tenuiori cum pulvere specierum cephalicarum, cotone, vel gossipio excepto, & interpuncto, seu interpassato, ut vocant. Utitur cucupha ad cerebrum roborandum, & spiritus depurandos, ut in vertigine, epilepsia, in melancholia morbo, etiamque adhibetur in eis, qui correpti fuerunt apoplexia ad præcavendum, ne novos insultus experiantur. Pulveres ad componendas cucuphas sequenti modo præscribi possunt.

R. *Radicum Caryophilatæ, & Angelicæ.* à. ℥j.
Calami Aromatici. ℥ß.
Caryophilorum, & nucis moschatæ. à. ʒij.
Foliorum Melissæ, & Betonicæ. à. m. ij.
Flor. Roris Marini, & aurantiorum. à. p. ij.
Cardamomi, & cubebarum. à. ʒjß.
Florum lavendulæ. ʒiij.
S. A. fiat omnium pulvis:

Collyrium, seu opthalmicum medicamentum dicitur, quod destinatum est ad sanandos morbos oculorum, & visum roborandum. Dicitur collyrium, quod est idem ac topicum opthalmicum, & tale vocabulum græcum dicitur assistenda fluxione versus oculos. Multis modis utitur, videlicet in forma pulveris, vel linimenti, vel cataplasmatis, vel liquoris; sed frequentius utitur in forma liquida, quæ verè, & propriè appellatur collyrium. In forma liquida præscribi debet, vel ad sedandam fluxionem, vel ad sedandum dolorem, vel ad resolvendum, & visum roborandum. Pono exemplum in opthalmia, in cuius principio, quia necessum est fluxionem cohibere, dulcificare, ardorem, & dolorem sedare, potest uti sequenti collyrio, quod præstantissimum est, & securè oculis instiletur.

R. *Aquæ rosarum.* ℥iij.
Trociscorum alborum ex rasi. ℈ij.
Salis Saturni. ℈j.
Liquoris expressi ex albuminibus ovorum coctorum. ℥ß. me.

Si verò dolor urgeat, tunc loco prædictorum trociscorum præscribi debent trocisci albi cum opio citati Auctoris. De-

clinante verò morbo, dum tantum indicatur resolutio humoris contenti, & visus roboratio, potest componi collyrium resolutivum sequenti formula.

R. *Foliorum Ruthæ viridis.* ℨii.

Croci Methalorum. ℈j.

Caryophilorum. num. ij.

Viridis æris. gr. iiij.

Aquæ chelidoniæ maioris. ℥vj.

Coq. in vasse terræ vitreato, usque ad tertiæ partis consumptionem, postea philtretur.

Gargarisma est quædam colutio, quæ cum aliquo liquido medicamento fit ab ægroto ad auferendos varios morbos oris, & partium ei adiacentium. De Gargarismate utitur in Angina, & in ulceribus oris, & faucium. Componitur Gargarisma ad varios fines, vel ad delendas fluxiones, quæ fiunt ad fauces, & os, vel ad detergenda, & consolidanda ulcera, quæ in prædictis partibus fiunt, ad delendas, & repelendas fluxiones componatur sequenti modo.

R. *Radicum tormentilæ.* ℨij.

Corticis granatorum acidorum. ℨj.

Foliorum plantaginis. m. j.

Folior. centinodiæ. m. ß.

Coq. in aq. fontis, donec remaneat. ℔j.

Colaturæ disolve.

Aquæ aluminosæ guidonis. ℨij.

Syrupi dianuci. ℥j.

Syrup. diamoronis. ℥jß. *me.*

Ad detergenda, & consolidanda ulcera debet componi Gargarisma modo sequenti.

R. *Radicum Apij.* ℥ß.

Radicis Aristolochiæ rotundæ. ℨj.

Folior. Agrimoniæ, & absinth. à. m. j.

Flor. centauræ minor. p. j.

Fiat decoctio in aqua fontis, usque ad ℔jß.

Colaturæ, & expressioni disolve Salis Saturni. ℨj.

Syrup. rosarum siccarum. ℨiij.

Elixir proprietatis Paracelsi non destilati. ℥ß. *me.*

Sacculus, quid propriè significet etiam pueris notum est. In medicina usus eius varius est secundum diversas intentiones, circa quas præscribi solet, videlicet ad resolvendum hu-

humorem frigidum, & crassum, qui in aliqua parte est impactus, vel ad roborandum aliquod membrum principale. Ad resolvendum prædictum humorem, & flatus, qui ex eo elevantur, & ad dolorem sedandum, potest componi hoc modo.

R. *Furfuris triticei.* ℔j.
Salis communis. ℥iiij.
Seminis fœniculi, & fœnu græci. ā. ℥ij.
Baccharum lauri. ℥jß.
Triturentur crasso modo, & in sartagine torrefiant sensim affundendo vini generosi, vel aquæ vitæ, quod sufficiat, postea quantitas necessaria includatur in sacculo lintei, & calidè applicetur suprà affectam partem, quæ medicamenta renovari debent, transactis duodecim horis.

Notare licet, quod sacculus ad roborandam aliquam partem principem, ut cor, ventriculum, &c. debet componi ex simplicibus roborantibus talem, vel talem partem determinatam.

CAPUT XXVII.

DE EMETICO MEDICAmento, & eius differentijs.

PRius scire licet quid est evacuatio, quæ fit per vomitum: *Est evacuatio artificialis à Medico imitante naturam, facta per os vi remediorum peculiarium, ut evacuentur humores etherogenei, qui in ventriculo, & proximis locis hærent.* Medicamentum emeticum, seu vomitorium dividitur in mitiora, mediocria, & vehementiora.

Mitiora.

Lenia etiam vocantur, quia tantum relaxando, & nauseam excitando sequitur vomitus, & sunt aqua tepida, aqua hordei tepida, in qua diluatur syrupus acetosus simplex, aut oximel simplex, omnia oleosa, pinguia, & mucilaginosa, & jusculum satis pingue.

Mediocria.

Ut decoctum seminis anethi, vel genistæ, vel raphani, quod tepidum debet exhiberi, radix assari, Hypecacuanhæ, vitriolum album, agaricus, &c. Hoc mado præscribi potest mediocre vomitorium.

R.

R. *Agarici.* ʒj.
Seminis genistæ. ʒij.
Coq. in aq. fontis, usque ad ℥iiij.
Colaturæ disolve.
Pulveris subt. radicis assari. ℈ij.
Oximelitis simplicis. ℥j.
me.

Vehementiora.

Ut Radix elebori albi, Folia Necotianæ, Nux vomica, semen cataputiæ, gutta gummi, Oximel Schyliticum, &c.

Emethica Chimica.

Ut Mercurius vitæ, crocus Metalorum, Tartarus Emeticus, Syrupus Emeticus, Sal Vitrioli, Aqua Benedicta Rutlandi, seu Vinum Emeticum, Turpethum Minerale, Pulvis Alexandri Quintilij, &c. præscribi possunt sub varijs formulis, scilicet sub potus forma, & pulveris, quæ omnium sunt securiores.

In forma potus.

R. *Aquæ folior. sambuci distilatæ.* ℥ij.
Guttæ gummi. ℈ß.
Oximelitis simplicis. ℥ß.
Tincturæ cinamomi. gut. xij. *me.*

R. *Aquæ fœniculi.* ℥ij.
Tartari Emetici. gr. iiij.
Oximelitis schilitici. ℥ß.
Aquæ cinamomi. gut. viij.
me.

Vomitorium fortissimum pro morbo gallico.

R. *Aq. fumariæ.* ℥jß.
Turpethi mineralis. gr. vj.
Salis Absinth. ℈ß.
Syrupi smilacis asperæ. ℥ß.
Spiritus oleosi aromatici. gut. x. *me.*

In forma pulveris.

R. *Salis Vitrioli.* ℈j.
Salis Tartari. ℈ß.
Radicis Galangæ maioris. gr. v.
Omnium fiat pulvis subt.

R. *Guttæ gummi.* gr. viij.
Antimonij diaphoretici non dulcificati. ℈ß.
Caryophilorum, & Macis. à. gr. iij.
Omnia reducantur in pulver. subt.

R. *Tartari Emetici.* gr. v.
Salis Absinth. gr. x.
Cinamomi accuti. gr. iiij.
Arcani duplicati. gr. vj.
S. A. fiat omnium pulvis.

SCHO-

SCHOLIA.

Circa efficaciam emeticorum satis est, quod celeberrimus Complutensis Heredia, in disput. de Febrib. Erradicatu difficili 6. Practicantibus animadvertit sequentibus verbis: *Illud autem ignorare non licet, nimirum, quod morbi plurimi, nisi vomitorijs erradicentur, incurabiles fiunt alio quovis auxiliorum genere.* Ex hac Doctrina pulcherrimè infertur, quod multi morbi, in quibus languet appetitus, & vexat naussea, & generalitèr quibus causa antecedens latet in ventriculo, & super quibus vix aliquid potuere catharctica, vomitorijs extirpantur, maximè, si materia antefuerit medicamentis attenuata, si viscida sit.

Præterea scire licet non evacuare vomitorium tantum ex ventriculo, sed etiam ex intestinis tenuioribus, ductu cholidico, & pancreatico, qui inferuntur in intestinum duodenum, non longè ab inferiore ventriculi orificio, illique loquorem suum continuò instilant, saltem dum motus peristalticus in versus parum ultrà ventriculum se extendit, unde vomitorium multum convenit in morbis productis ab humorum vitio in primis vijs contentorum.

Vomitorium non est remedium adeo periculosum, ac vulgus, & aliqui Medici timidi putant, idque patet ex quotidiana experientia, & ratione, quia statim ac via breviore educit causam, materialē morborum, quæ per purgationes etiam repetitas expelli non potest; verum est, quod evacuatio, quæ per vomitum fit est violentior, quam per secessum, sed si peragatur virium tolerantia, in nonnullis morbis, plus, quam purgatio decies repetita, prodesse solet.

Nemo Neotericorum negavit usum emeticorum, si errare non vult, in apoplexia, emiplexia, vertigine caduca, epilepsia, &c. quamvis aliqui metuant ex eorum exhibitione maiora mala in epilepsia, & in caduca vertigine, &c. Suadeo ne Practicantes talem viam sequantur, igitur experientia docet vomitoria esse summè proficua, si exhibeantur legitimo modo, contra epilepsiam, vertiginem, &c.

Quamvis emeticum tam proficuum auxilium sit, restat scire non omnes equè facilè ferre vomitum; sani enim difficilius vomunt, item periculosius, qui pectoris sunt angusti ac depressi, Asthmatici, Pthisici,

sici, Hemopthisici, & generatim illi, quibus thorax, & pulmones, non sunt liberi, vel quibus sunt debiles, & ubi periculum est ruptionis alicuius vasis; igitur multum in vomitu thorax, & pulmo exercentur.

His suppositis iam factis, transeamus ad enodanda indicantia evacuationis per vomitum; indicant enim istam evacuationem quicumque mucosi, & biliosi humores, qui ventriculo hærent, & digestionem turbant; etiam materia, quæ propter eius tenacitatem, seu viscositatem adhæret parietibus ventriculi, ut accidit in pertinacibus tertianis intermitentibus; etiamque in quartanis febribus, &c. Non minus est indicans evacuationis per vomitum pituita mucosa efficiens asthma humidum, aut difficilimam respirationem, quia in pulmonibus hæret, & infarcit eorum cavitates, seu vesiculas. Insuper etiam sunt indicantia diuturna cephalalgia, obstructiones viscerum, & quam plurimi alij morbi chronici, qui iuxta mentem Herediæ, & aliorum Neotericorum Hispaniæ sæpius si non præmitantur vomitoria, tractantur frustra, cuius veritatis testis est experientia, quæ docet interdum non paucos morbos chronicos unico vomitorio curatos esse.

Oportet, quod silentium non involvat modum, quo emetica operantur; igitur eo indigent Practicantes ad clariorem lucem. Emeticum, seu vomitorium per hoc agit, quod suis particulis aculeatis moveat inordinatè fibras nervorum, quæ copiosè diseminantur per ventriculum, quo motu, tunc animales spiritus ex cerebro copiosius ruunt in ventriculi fibras, & motum, quem in illis ante faciebant deorsum, immutant sursum, sicque contenta ventriculi sursum rapiuntur, & expelluntur fibrarum contractione.

Etiam vomitum aliquandò faciunt aliqua, quæ acria non sunt, sed merè nauseabunda, eo quod benè commisceri non possint cum saliva acido ventriculi, & alijs eius contentis, undè fluctuant in ventriculo, atque tali suo motu, & nausea, quam pariunt, irritantur spiritus ad copiosiorem influxum ex cerebro in ventriculi nervos, & fibras, quæ tunc vehementius contrahuntur, & sequitur vomitus; pariter ea, quæ simpliciter degustant, vomitum faciunt, quatenus ad eorum apprehensionem spiritus, quasi primò intro pulsi, posteà tantò vehementius extrorsum

sum ruunt in ventriculi nervos.

Pro calce huius capitis duo magnæ considerationis notare debeo, ut Practicantes cautiores procedant circa usum emeticorum: *Primum*, quod in exhibitione eorum semper respiciant ad securiora; inter vegetabilia, radix assari, & hypecacuanhæ sunt securiora; & idcircò tamquam specificum vomitorium laudatur in quartana assari radix; tutissimum est emeticum, radix hypecacuanhæ, & citò operatur in primis, si aliquid salis Alkali admixcetur. Notatur, quod si huic radici additur tantilum nitri, citius curat disenteriam, quia benignius operatur, & magis roborat, & adstringit. Inter mineralia vomitoria anteponenda sunt mercurialia, & vitriolica, ritè correcta, & præparata, ad curationem morborum cronicorum. Verum in acutis morbis, & in vehementioribus doloribus cautiores debent esse Practicantes circa exhibitionem emeticotum; igitur subsequi solent convulsiones, & graviora simpthomata, quæ in obitum tradunt ægrotos, vel ad minus in gravissimum periculum. Plures casus poteram narrare ad prædicta confirmanda, sed in præsenti: satis est, qui contigit in hac Curia Matritensi, anno præterito D. Franciscus à Montemaiori, unus ex famulis maioribus Excelentissimi Domini Ducis de *Bejar*, incidit in forti colico dolore, statim quidam Phisicus ordinavit tres doses Emetici, ut æger summeret cum interpolatione quatuor horarum, assumendo inter medium haustum juscuii. Assumpta prima dosi, tam vehementer vomuit, ut per spatium unius diei naturalis assiduè per superiora evacuasset, non tantum juscula, & humores præter naturam, sed etiam ipsa excrementa fœcalia, & simul sequebantur motus convulsivi, quæ simpthomata, ut plurimum sunt læthalia, sed dignum admirationis est, ægrum liberum fuisse per auxilia, præscripta ab alio Medico: tandem laboravit æger vera convulsione, per octo mensium spatium, & hodiè vivit perfectè sanus.

Secundum, quod formulæ emeticorum sunt meliores, & securiores in forma potus, & pulveris, quam in forma boli, & pilularum, quia semper vomitoria sub forma solida sunt suspecta; igitur inormiter vomere solent ægroti, & aliquando usque ad interitum, & non ob aliam rationem nisi, quia adest periculum, quod retineatur in aliquo anfractu in-

 fe-

testinali, & idcircò à prudentioribus Neotericis prohibetur usus illius pilulæ factæ ex regulo Antimonij, quæ vocatur vulgaritèr *Pildora perpetua.* Exemplar habemus in quodam Monacho Divi Bernardi, qui in mense Augusti huius præsentis anni, spatio viginti duarum horarum obit, quia assumpsit prædictam pilulam, præscriptam à quodam Agyrta habitante in una ex civitatibus Hispaniæ.

Insuper animadvertere debeo, quid sit faciendum, si fortuitó æger sumpsisset emeticum in forma solida, & propter eius retentionem appareant prædicta simpthomata vehementiora; in hoc casu citissimè potet æger magnam quantitatem lactis ovium, aut lactis caprili, cum Butyro Baccino; & in eius defectu bibat oleum amigdalarum dulcium sine igne extractum, quia ita obtunduntur particulæ salinæ stimulantes fibras ventriculi, & intestinorum. Porrò si prædicta auxilia sufficientèr non juvent: tunc suprà totum abdomen apponatur linteum duplicatum madidum cum succo de agresta, in quo disoluta sit quantitas sufficiens theriacæ magnæ recentis, & etiam per brevia intervala accipiat aliqua cochlearia sequentis mixturæ.

R. *Aquæ Portulacæ.* ℔ß.
Lapidis pumicis sine igne præp. ʒj.
Requiei magnæ ex Nicolao. ʒij.
Extracti radic. tormentilæ. ℈ß.
Syrupi Myrthini, & Menthæ compositi. à. ℥j. *me.*

CAPUT XXVIII.

DE CLYSTERE, ET INjectionibus, eorumque differentijs.

Clyster, seu enema, *est medicamentum in forma liquida per anum iniectum ad varios effectus consequendos.* Hæc definitio convenit omnibus speciebus enematum, quæ sunt plures, videlicet *Lenitivum, purgans mediocritèr, vehementer purgans, carminans, mundificativum, somniferum, adstringens, & nutriens.*

Aliqui asserunt quod enema tantùm conducit in passionibus intestinorum crassorum, quia ultra non pertingit ob valvulam, quæ est ad initium coli: verum malé dicunt, igitur talis valvula non impedit, ut ultra pertingat enema, quia ultra illam rapitur medicamentum motu peristaltico tantilum in verso, aut laxata præ-

dic-

dicta valvula ; ergo cum meliori consilio oportet dicere, quod enema maximè conducit in passionibus intestinorum crassorum, sed hinc etiam, usque ad tenuia intestina pertingit vis medicamenti per consensum, & aliquid amplius. Ergo non debet mirari, quod enema sit magni usus in medicina,& ob id inserviat aliquandò ad alterandum, ad flatus discutiendos, ad emoliendas fœces, ad detergendos, & liquefaciendos viscidos humores, intestinis impactos, ad expurgandum mediocriter, ad educendos humores vehementer purgando, ad dolores leniendos,& somnum conciliandum, ad adstringendum, & consolidandum, & ad nutriendum, &c.

Animadvertere licet, quod quantitas enematis indicatur à personis, quibus injicitur ; & idcircò pueris minor præparatur, quam adultioribus ; in mulieribus gravidis etiam injici debet in media quantitate ; quia integra non potest retineri ob minorem capacitatem intestinorum productam à fœtus compressione : denique minor quantitas debet esse, ubi intestina sunt repletiora excrementis ; & ubi intestinum rectum tantum afficitur ; ut in tenesmo ; & idcircò in pueris injici debet ab ℥iiij. usque ad ℔ß. in adolescentibus à ℔ß. usque ad ℥viij. & in adultioribus, usque ad ℔j.

Ut clarius detur intelligentiæ commodum est præscribere formulas differentiarum enematis, quæ sequentibus modis demonstrantur.

Formulæ lenitivi, seu molificativi.

Pro Infantibus.

R. *Decocti folior. malvæ.* ℥ijß.
Syrup. violacei, & olei amigdalarum dulcium. à. ʒiij. *me.*

Pro Pueris.

R. *Decocti parietariæ, & furfuris.* ℥iiij.
Electuarij lenitivi. ʒiij.
Olei olivarum. ℥j. *me.*

Pro Adolescentibus.

R. *Jusculi carnis arietis, vel decocti foliorum Mercurialium, & seminis lini.* ℔ß.
Pulpæ casiæ fistulæ. ℥ß.
Olei violacei, & liliorum alborum. à ℥j. *me.*

Pro Adulcioribus.

R. *Decocti betæ rubræ, &*

radicis malvæ. ℥viij.
Electuarij diaprunis simplicis. ℥j.
Olei amigdalarum dulcium. ℥jß.
Syrup. violacei. ℥j. *me.*

Formulæ mediocriter purgantis.

℞. *Decocti Doctoris Puglini.* ℥viij.
Diacatholici. ʒvj.
Rodomelis Persici. ℥iij. *me.*

℞. *Decocti uvarum passarum, folior. sennæ, agarici, & anisi.* ℥viij.
Diaprunis solutivi. ℥ß.
Syrup. Persici ex 9. infus. ℥iijß. *me.*

Formulæ vehementer purgantis, seu irritantis.

℞. *Vini Emetici.* ℥v.
Decocti Pulpæ colocynthidis in aqua fontana facti. ℔ß. *me.*

℞. *Salis communis.* ℥j.
Aq. fœniculi. ℔j.
Coq. usque ad salis dissolutionem, & tunc dissolve.
Syrup. Persici sennati. ℥ij. *me.*

℞. *Decoct. radicis bryoniæ, & florum stechados.* ℥x.
Pulveris trociscorum Alkandal. ʒj.
Salis Gemmæ. ʒjß.
Mellis Persici. ℥ij. *me.*

Formulæ enematis carminantis.

℞. *Decocti ruthæ, & florum camæmali.* ℥viij.
Electuarij Baccarum lauri. ℥ß.
Olei anethi per decoctionem facti. ℥ijß.
Syrupi corticum citri. ℥jß. *me.*

℞. *Decocti folior. anethi, pulegij, & florum sthecados.* ℥viij.
Aureæ Alexandrinæ. ʒvj.
Olei Chamemali. ℥ij.
Mellis Anthosati. ℥iß. *me.*

℞. *Decocti Cardui Benedicti, Seminis Apij, & florum lavendulæ.* ℥x.
Theriacæ Magnæ antiquæ. ʒiij.
Olei baccharum lauri, & menthæ per decoctionem facti. ã. ℥j. *me.*

Formulæ mundificativi, seu lavativi.

℞. *Lactis Caprini.* ℥viij.

Mel-

Mellis rosati colati. ℥jß.
Cum vitelo ovi mixceantur.

℞. *Decocti hordei, radicis liquiritiæ, & rosarum rubrarum.* ℔ß.
Syrupi rosacei solutivi. ℥j.
Vitelorum ovorum. N. ij. *me.*

Formulæ adſtringentis, & conſolidantis.

℞. *Decocti hordei torrefacti, foliorum plantaginis, & florum verbaſci.* ℥vj.
Syrupi roſarum ſiccarum. ℥ij.
Cum albumine ovi recentis ſimul agitentur.

℞. *Decocti Polygoni maioris, & foliorum conſolidæ maioris.* ℔ß.
Amili veteris. ʒij.
Sacchari tormentilæ. ʒjß. *me.*

℞. *Decocti radicum verbaſci, foliorum Burſæ Paſtoris, Nucum Cupreſsi, & orizæ torrefactæ.* ℥vj.
Mucilaginis Gummi tragacanthi. ℥ß.
Theriacæ magnæ recentis. ʒiß.
Syrupi Myrthini. ℥j. *me.*

℞. *Decocti foliorum verbaſci, corticum granatorum acidorum, & balauſtriarum.* ℔ß.
Diaſcordij. ʒij.
Sevi Hircini. ʒvj.
Succi Plantaginis. ℥j. *me.*

Formulæ ſomniferi, & dolorem ſedantis.

℞. *Decocti florum papaveris erratici, & ſeminis Anethi.* ℥vj.
Opij thebaici. gr. iiij.
Cum vitelo ovi mixceantur exactè.

℞. *Emulſionis quatuor ſeminum frigidorum maiorum extractæ cum decocto florum, violarum, & ſeminis papaveris albi.* ℥vj.
Colaturæ diſolve.
Diaſcordij fracaſtorei. ℥ß.
Cum ovo recenti mixceantur.

℞. *Lactis caprini, in quo decoquerint capita papaveris albi.* ℥vj.
Colaturæ diſolve.
Laudani opiati. gr. iiij.
Succi Anethi. ℥j. *& in*

eius

eius defectu adde decoctionem seminis.

R. *Decocti foliorum hyoschiami albi in aqua papaveris erratici facti.* ℥vj.
Extracti castorei. gr. vj.
Philonij romani. ʒj.
Olei florum camæmali.℥j.
me.

Iniectio *est omne remedium liquidum, quod per siringam immititur in quascumque partes ad varios effectus.* Usus eius multiplex est iuxta varios morbos, & diversitatem partium affectarum, fiunt iniectiones ex liquoribus diversis, scilicet ex aquis, decoctionibus, succis, &c. vel simplicibus, vel compositis, vel in eis disolvendo diversos pulveres, sirupos electuaria, &c. secundum partium indigentiam.

Fieri solent iniectiones in cavitates partium, sive internæ sint, sive externæ, ut in uterum, vesicam urinariam, aures, intra thoracem, in ulcus cavernosum, & in fistulosum, &c. notatur, quod iniectiones præscribuntur ex medicamentis, quæ satisfaciant indicationi, & indicanti, v. g. in aure, dum afficitur inflammatione, & gravi dolore, tunc ad sedationem præscribant Practicantes sequentem iniectionem; quæ tepidè administrari debet.

R. *Lactis Muliebris recentèr emulcti.* ℥j.
Succi folior. lactucæ, & olei amigd. dulcium sine igne extract. à. ℥ß,
Liquoris albuminis ovi recentis fortitèr agitati. ʒij. *me.*

SCHOLIA.

SCiant Practicantes, quod etiam ad attemperandum, & refrigerandum clysteres præparantur, & frequentér utuntur in ardentibus febribus, & componuntur ex decoctione tamarindorum in aqua fontis facta; etiam adaptari solent ex decocto foliorum lactucæ, violarum, endiviæ, &c. Verum etiam injici solent clysteres ex aqua simplici recentèr extracta ex puteo, vel cisterna, aut ex aqua frigida sola, vel cum albumine ovi agitata; memor iam MagnumHypocratem monuisse enemata aquæ frigidæ ad curationem lipiriæ febris esse injicienda quotidie, aut alternis.

Emolientia enemata magna cum utilitate solent uti tantum ex oleo communi, aut ex oleo amigdalarum dulcium,

aut

aut de semine lini, quod mirificè emolit, & dolores sedat, si recentèr fuerit expressum; etiam aliquoties injiciuntur ex solo oleo amigdalarum amararum, quod præter magnam virtutem molificativam, multum prodest in calculo, & in verminatione Infantum.

Sed notare licet, quod simul ordinantur enemata habentia emoliendi, & attemperandi vim: insuper injiciuntur, quæ habent efficatiam emoliendi, & purgandi. Verum quotidie in praxi occurrunt casus, in quibus sunt multum utilia enemata, quæ adimpleant indicationes simul attemperandi, emoliendi, & purgandi.

Circa enemata somnifera, seu sedativa doloris animadvertere oportet unum magnæ considerationis, & est quod sint Practicantes cauti in eorum administratione, quia non minus ægri possunt in summum periculum incurrere ob narcoticorum non rectum usum, ac si per os exhibita essent; idcircò duæ ultimæ formulæ enematis somniferi uti non debent, nisi in vehementiori aliquo dolore, vel in ferociori delirio.

Est etiam notandum enemata somnifera, lavativa, & adstringentia debere injici in mediocri quantitate, ut longo tempore retineantur, quod etiam observandum est in nutrientibus clysteribus, & in alijs enematibus, quæ ad alias intentiones præscribuntur, quorum effectus minimè consequi possunt, nisi retineantur, ut enema febrifugum, &c.

Obsecro, quod moderatè calida injiciantur enemata, aliàs ægrum tradunt in summum periculum, & aliquando ad mortem, ut pluries observatum est in praxi. Porrò memor iam vidisse in Villa Petræphitæ quandam mulierem, quæ vocabatur *la Critica* mortuam fuisse quatuor dierum spatio ob gangrenam, quæ accidit intestino recto ex clystere intensè calido.

Pro coronide huius capitis tria notanda sunt, quæ multum prodesse possunt Practicantibus. *Primum*, ut sciant enemata irritantia commodissimè debere uti in omnibus affectibus soporosis, letargo scilicet, caro, apoplexia, paralysi, &c. quia in his morbis intestina sunt, quasi paralytica; & idcircò oportet ea enemata componi ex fortioribus purgantibus valentibus vehementer stimulare fibras nerveas; igitur cum suis particulis acrioribus excitatur motus peristalticus, ad hoc ut materia peccans expellatur. *Se-*

Secundum; ut in gravidis mulieribus semper injiciantur enemata in mediocri quantitate; verum si excesserint à mediocritate, tunc abortus subsequi solet, quia intestina distenduntur, & uterus adstringitur, contrahiturque ad excretionem fœtus.

Tertium reducitur ad animadvertendum, quod informulis omnium enematum non præscribuntur specificè circa omnes ætates, quia attendendo Practicantes ad primas formulas, facilè regulare possunt, & componere diversas formulas enematum, si exactam notitiam habuerint speciei medicamentorum, quæ ad compositionem enematis talis intenti conducunt.

CAPUT XXIX.

DE CLYSTERE NUTRIENTI, & de extrinsecis nutrientibus.

DAri enemata verè nutrientia constat experientia, quamvis aliqui parum anatomici, & minus operum naturæ speculatores renuant, quia in eis adest opinio, quod similitudines sunt falaces, etiamque quædam falaciæ experiuntur in externis sensibus; sed antequam agrediar ad explorandam veritatem circa hunc assertum, notare debeo, quod enema nutriens dupliciter consideratur, videlicet ad unum intentum, vel ad plures: Ad unum, quando solum dirigitur ad alendum, quod componi potest ex jure galinæ, arietisque cum vitelis ovorum, vel ex lacte Caprino, cum Chocolata, & alijs nutrientibus. Sequens enema ad intentum nutriendi est utilissimum.

℞. *Micæ panis albi triticei.* ℥ij.
Intestinorum Arietis. ℥iiij.
Coquantur in aqua fontis, donec remaneant. ℥vj.
Postea fiat colatura, & expressio, & in ea dissolve.
Saucci carnis vitulinæ mediocritèr assatæ. ℥iß.
Vitelorum ovorum, num. ij. *me.*

Amplius, quam ad nutriendum, solet componi enema, scilicet, ut simul nutriat, & leviter purget, de quo clystere nutrienti, & purganti utimur dum præter nutritionem, necessum est, ut alvus postea laxetur, tunc enim enemati nutrienti admixceatur pulpa cassiæ fistulæ, vel aliquid electuarij lenitivi cum oleo rosaceo, aut violaceo.

Certum est in sensibus externis adesse falacias, sed non venit ad rem; contra experimen-

rimenta enim nulla ratio firma esse potest. Plurimi casus occurrunt in praxi, in quibus ægroti aluntur nutrientibus clysteribus, & extrinsecis, vulgò *Reparos*. Quomodo fiat hæc nutritio est valdè difficilè agnoscere; sed porrò per anathomicas disectiones, armatis oculis cùm optimo microscopio, deteguntur viæ, per quas partes alititiæ communicari possunt.

Sed ut hoc detegi posit plena veritate, oportet prius demonstrare vasa sanguifera adesse insuperficie interiore intestinorum, tam arteriosa, quam venosa, ut demonstrantur in fig. I. tabulæ IX. ABCD. asignant arteriam. GFED. denuntiant venam. Et littera D significat extremos ramos arteriæ, & venæ. Hæc enim vascula sanguifera suos ramulos undequaqne dispergunt, ut patet partim ex prædicta figura ra inspiciendo litteras BLE. & CLF. tales ramuli arteriosi, & alij plurimi disperguntur ad alendas partes circumsitas, sicut vidimus in alijs corporis partibus, arterias idem facientes, ac etiam venas eo modo jacentes, ut reducant sanguinem versùs cor, sed hæc vascula sanguifera una cum ramulis suis intra circumferentiam suam manent, & denuò venulis coniunguntur.

Advertant impugnantes enemata nutrientia; quod sicuti sanguis per arteriarum tunicam, quæ ex fibrosa substantia constat, potest penetrare, eodem etiam modo particulas alimentitias per fibras, ex quibus constant tunicæ vasium sanguiferorum, lacteorum, & lymphaticorum, non tantum penetrare, sed & parvulos venarum ramulos hoc modo multum materiæ alimentitiæ deducere ex intestinis versus cor.

Non desunt Neoterici, asserentes tales particulas alititias non posse penetrare per fibras tunicarum prædictorum vasium intestinalium, quia magna copia aeris, sive venti, quæ continetur in cavitatibus intestinorum, impedit transitum particulis alititijs. Sed instantia est nullius momenti; quia experientia demonstravit modum, quo liquor alititius queat ex intestinis transire ad venulas, & arteriolas, ac ventus in intestinis inclusus manere debeat. Accipe vesicam bovis, eamque inflabis, ac siccabis, ut demonstratur in fig. II. prædictæ tabulæ per litteras ABCD. postea sumere debes frustum intestini porcini ritè mundati, circiter longum digiti indicis, idque coligabis vesicæ, ubi asignat


littera E, ac tunc ei tantum aquæ infundi debet, ut ad quartam partem repletum sit intestinum, postea eius tres partes aere inflentur, & tunc obligabitur in alio extremo vesicæ, ubi asſignat littera F, tunc intestinum vesicæ alligatum, suspendatur per illam partem, quam indigitat littera B, in loco calido; & si tale experimentum fiat in tempore frigido, debet suspendi in angulo camini, ubi accedat moderatissimus calor, & videbis aquam in intestino contentam non solum ad modum vesicam madefacientem in loco ubi ei contiguum erat intestinum, sed & duobus distinctis locis ex vesica defluentem, ac tarde destilantem quasdam guttulas ex superficie vesicæ; & quod vix delapsis viginti horis, omnis aqua ex intestino evanuerit, sine ullo cum ea simul egrediente aere, sive vento.


Si iam vesicæ comparemus intestina in corpore nostro, ac intestino vesicæ imposito, cibum, ac aerem, vel ventum intestinis contentum; vesica (idest intestina) cibum recipiet, ac aerem in intestinis relinquet, consequenterque aqua transire, & penetrare potest eo, ubi aer excluditur; sed non alium, hic dico aerem, quam communem, & non subtilem.


Ut liquor alititius, qui per clysterem introducitur intestinis, absorveatur à vasculis sanguiferis, requiritur, quod adsit laxitas in fibris, quæ musculum interiorem intestini constituunt; tales fibræ sunt longiores, & arctius coniunctæ, & ideo parum liquoris inter suos tubulos habent illæ fibræ, ubi intestinum vacuum est, ac contractum; & quando in intestina reddit cibus, quo ea extenduntur, hæ fibræ necessarió breviores debent esse, ac multo laxius cohærentes, quam ubi intestina contrahuntur, unde fit, ut vascula sanguifera, lactea, ac limphatica facilius absorbeant suum liquorem.

Insuper, ut ad oculos pateat veritas iam prædicti, accedamus ad quoddam experimentum anatomicum, quod demonstratur in fig. III. tabulæ IX. intestinum obliquè dissectum, & contractum asſignant litteræ ABC. per litteras AD significantur fibræ, quæ conficiunt interiorem musculum: Hocce intestinum extendi non potest ad latitudinem, quam significant litteræ EE. quin simul etiam contrahantur, ut EH asſignant. Quoniam ipsæ non solum partibus suis arctissimè sibi invicem sunt coniunctæ, sed etiam, quia sanguifera, aliaque vascula, quæ

Estampa IX







quæ magna copia per hunc musculum interiorem intestini dispersa sunt, eas quasi colligatas tenent; si enim hæ fibræ à se invicem separarentur, inter eas penetrarent partes crassæ, ac maiusculæ excrementorum.

Circa extrinseca nutrientia assero, novum non esse, illa apposita, quæ vulgò vocantur *Reparos* eodem modo, ac ex intestinis transfunditur alimentum iniectis enematibus nutrientibus, ita ex corporis extremitate communicantur partes alititiæ, ex appositis, & ideo Magnus Hypocrates, in lib. de Alimento scripsit animadversionem sequentem: *Forinsecus alimentum ex extrema superficie ad intima pervenit.* Sed ignorare non licet extrinseca nutrientia magis alere, si suprà ipsam regionem umbilici apponantur, quia in utero materno corpus per umbilicum accipiebat nutrimentum, usque ad eius perfectam maturationem.

SCHOLIA.

PRæter demonstrationes assignatas in tabula IX. probare amplius intendo, ut perfectiori claritate omnibus pateat, quod ex intestinis alimentum communicari potest iniectis clysteribus nutrientibus. Suponamus radicem arboris exiguam, ac tenuiorem esse pilo; hæc radix ab aqua, quæ in terra est, accipit alimentum, & penetrat æquè per radicis corticem, ac si per aliquem locum intermedium hausisset, ita accidit iniectis clysteribus nutrientibus: hoc mirum nobis non erit, considerantibus, si vas lacteum, limphaticum, aut sanguiferum mille quidem vicibus sit pilo tenuius, quam tenuis oportet ergo sit tunica, cui est inclusa materia, quam appellamus lac, limpham, ac sanguinem; imo quam tenues sint fibræ, ex quibus constant tunicæ horum vasium; ac quam celeriter per has venulas aliquis humor penetrare queat, præsertim si in intestinis sit tenuior materia, quam, quæ continetur in prædictis venulis.

Ac præterea facile Practicantibus possumus representare, ubi sumpserimus aliquod medicamentum, quam cito, ex eo quædam particulæ queant ad nostrum sanguinem transire, ac etiam quam facile quædam particulæ acres in eo existentes adeo lædant hasce venulas, ut inde excrementa san-

gui-

guine obsita deponantur. Attentè inspiciant purgantia medicamenta lenia, quæ per clysterem iniecta ex intestinis modo iam præscripto penetrant per fibras tunicarum vasorum, & purgare faciunt, ac si per os fuissent assumpta; hoc pluries observavi in Praxi, palamque feci, cum eram Medicus Villæ Methinæ Duelij in Marchione de *Tejada* alijs Medicis adversantibus, ut æger per os acciperet laxativum purgans; sed adhuc renuentibus venerunt in consilium, quod sub forma enematis securè exhiberi posset; tunc enim cũ memor essem de præcedenti Doctrina, ex communi consensu omnium Medicorum accepit æger ipsum purgans per clysterem, quod retentum fuit per duarum horarum spatium, postea cœpit operatio medicamenti, & copiosè sexies deiecit, & facta purgatione, melius se habuit æger cum adstantium omnium admiratione.

Etiam ad comprobationem occurrit Praxis, in qua frequenter experti Medici clysteribus febrifugorum medicamentorum compositis auferunt tertianas, quartanas, aliásque intermittentes febres: ergo si hoc accidit cum enematibus ex medicamentis febrifugis compositis, non est mirum, quod per clysteres alimenti corpus valeat nutriri, ut milliès probatum est cum experientijs; & ad confirmationem memor iam legisse apud Hyldanum observat. 30. centuriæ 4. quod mulier per sex hebdomadas nihil ferè per os assumebat, sed clysterum beneficio ita fuit nutrita, ut gravida ad constitutum tempus fœtum gestaverit, feliciterque peperit.

Pro coronide huius capitis animadvertere oportet, quod ut clyster valeat nutrire, debet liquor nullis particulis acribus constare; quia tunc statim ab earum contactu contrahuntur fibræ, & tam strictè, ut particulæ alititiæ nequeant penetrare; hoc videtur manifestè in copiosis alvi fluxionibus productis à nimia laxitate fibrarum componentium vascula sanguifera limphatica, & lactea intestinorum; tunc enim iniectis enematibus adstringentibus, cessat alvi fluxus, quia strictè constringuntur tales fibræ eo modo, quod nec per poros earum propelli possit humor mordax, & irritans ad cavitates intestinorum; ita similiter non potest per assignatas fibrilas tunicæ intestinorum transferri alimentum, si fuerit saturatum particulis acribus.

CA-

CAPUT XXX.

DE SUPPOSITORIO, Pessario, & eorum differentijs.

SUppositorium est *medicamentum solidum, digito simile, quod apponitur intra rectum intestinum ad diversas utilitates exequendas.* Dividitur suppositorium in deiectorium, anodinum, & consolidans; & quia deiectorium usitatissimum est, scire licet, quod pro ratione operationis est triplex, videlicet lene, mediocre, & fortius, seu irritans.

Lene suppositorium est, quod solo ferè tactu materiali movet; tale fit ex radicibus Betæ, Brasicæ, Petroselini, & similium, aut ex ficu inversa, ex Lardo, sevo hircino, &c. *Mediocre* est, quod stimulat aliqua acrimonia. Talia præparantur ex melle communi ad crassitiem cocto, vel ex therebintina cocta, quibus interdum additur sal communis, sacchrum, &c. & sequenti modo præscribi potest.

℞. *Mellis communis.* ℥j.
Salis gemmei. ʒß.
Stercoris murium. ℈j.
S. A. fiat suppositorium filo appensum.

Fortius suppositorium est, quod lacescit vi purgante, tale fit ex purgantibus fortioribus, Agarico scilicet, Aloe, Hiera Picra, Heleboro, Scammonio, & similibus; de hac specie suppositorij utimur in apoplexia, in letargo, & in alijs affectibus soporosis, &c. quod ad hunc modum apparari potest.

℞. *Pulveris trociscorum Alkandal.* ʒß.
Aloes succotrini. ℈ij.
Salis communis. ℈j.
Scammonij. ℈ß.
Cum sufficienti quantitate mellis communis S. A. formetur suppositorium.

Notare oportet, quod suppositorium anodinum, & consolidans, seu exsicans facilè componi potest ad formulam suprascripti, variando medicamenta, quæ opportuna fuerint ad satisfaciendum indicationibus.

Pessarium, seu Nascalium est medicamentum solidum suppositorio simile, sed est longius, & crasius, quod utero apponitur ad varios effectus. Componitur vel ad menses ciendos, & lochialem purgationem in enixis promovendam, vel ad uteri hemorragiam sistendam.

Ut ritè posit componi pessarium Practicantes debent in promp-

promptu habere notitiam simplicium medicamentorum, quæ valent satisfacere indicationi. Pono exemplum, ut sciant adaptare pesarium ad supprimendam uteri Hemorragiam.

R. *Stercoris asinini exsicati, & pulverisati.* ℥vj.
Terræ sigilatæ. ℥j.
Vitrioli ad rubedinem calcinati. ℥ß.
Opij thebaici. gr. iiij.
Omnia benè mixta includantur sacculo lineo oblongo, vel panno serico, vel incorporentur cum melle, ut S. A. fiat pesarium.

CAPUT XXXI.
DE RUBEFACIENTIBUS, caustico, & vesicatorio.

R*Ubefacientia* sunt medicamenta, quæ in cute rubore excitant, non tamen exedunt. Talia sunt herba, quæ vocatur flammula Jovis, urtica viridis, folia persicariæ, semen erucæ, & sinapi, gummataque acria, ut euphorbium, sagapenum, &c. Notatur, quod hæc medicamenta agunt in cute propter eorum acres particulas, quibus velicando, concitant maiorem affluxum humorum, & spirituum; & sic inducunt quasi leviorem inflammationem.

Causticum, seu cauterium potentiale, quod aliàs vocatur scharoticum, est medicamentum, quod corrodendo partes, quibus applicatur solutionem efficit in illis, & simul crustam excitat. Causticum duplex est, fluidum, & siccum; *fluidum*, ut aqua fortis, oleum vitrioli, Butyrum Antimonij, &c. *Siccum*, ut sublimatum corrosivum, vitriolum ad rubedinem calcinatum, lapis infernalis, præcipitatus ruber, vulgò *Polvos de Juanes*, &c.

Sciant Practicantes causticum multum servire in medicina, v. g. in aperiendo thorace, apostemate, alijsque, ne forfice, vel scalpello incidendum sit tam profundè, quoque sic apertio evadat tutior, minusque dolorifica, item ad auferendam carnem luxuriantem, ad extirpandas verrucas, etiamque ad fonticulos excitandos, sed cavere oportet nervos, tendines, & maiora vasa ab eius adhibitione, ne corrodantur, & inde gravia simpthomata sequantur.

Vesicatorium est medicamentum de natura caustici, quod instructum est ad vesicas excitandas in cute pro curatione graviorum morborum, tam acutorum, quam cronicorum. Duplex est, mite, & fortius.

Mit-

Mite, ut vermes maiales in ſtercore geniti, araneæ, earum telæ, fuligo, foliæ flammulæ Jovis, &c. *Fortius*, ut folia vegetabilis ranunculus dictus, allium, cantharides, &c.

Primus, qui uſus fuit veſicatorijs, iuxta mentem aliquorum Neoteoricrum, eſt quidam familiæ Arabicæ, qui vocabatur Oribaſius; ſed veritate caret, quia Magiſter Galenus eis utebatur, uti conſtat ex lectione eius diverſorum librorum, ubi etiam invenitur illa memorabilis Hiſtoria cuiuſdam epileptici, in cuius pede appoſuit folia ranunculi.

Veſicatorij uſus inſignis eſt in febribus malignis, & in ſoporoſis affectibus, in paralyſi, epilepſia, emicranea, in opthalmia; item adhibetur maxima cum utilitate in omnibus morbis malignis, & in pleuritide, peripneumoniaque dum ſputum nimis viſcidum apparet, & dificillimè expuitur, tunc enim mirabilitèr inſcindit, & attenuat, ſputumque adiuvat, & etiam ægros à ſuffocationis periculo promptius liberare ſolent.

Pro coronide huius capitis adnotationes aliquas oportet facere: *Prima*, ut ſciant Practicantes, quod veſicatorium agit primò rubefaciendo cutem; ſecundo promovendo affluxum ſeri; tertióque veſicas excitando. Dixi ſupra, veſicatorium eſſe de natura cauſtici; ergo neceſſum eſt, ut ſimili modo agat; agit, ſed debilius, quo fit, ut cuticula non ita diſolvat, ergo veſicatorium motu ſuarum particularum tenuium agitatarum à materia ſubtili, partes non nihil alterat, laxat, vaſa aperit, & procurat ampliorem affluxum humorum verſus illas, qui ante cuticulam, cute denſiorem retenti illam attolunt in veſicã veſicatorio proportionatam.

Secunda, quod veſicatorium non tantum adhibetur in brachijs, & cruribus, ſed etiam in toto capite, & in alijs corporis partibus, v. g. in cervice, retro aures, &c. Porrò, quod tutior eſt uſus veſicatorij, quando applicatur partibus carnoſis, quam membranoſis, & nerveis, quia in his inflammatio, & vehemens dolor ſequi ſolet; ſed ignorare non licet, quod adhuc cautiſsimè applicandum eſt in carnoſis partibus corporum cachecticorum, & hydropicorum, quia facilè gangrena excitatur.

Tertia, quod tanquàm ab angue fugere debemus ab uſu veſicatorij in delirantibus, & in ardentibus febribus; ín delirantibus, quia auget ſpiritibus motum irrequietum, etiamque me-

meninges cerebri magis irritantur, unde augetur delirium, quia magis, ac magis cum stimulis cantaridarum impeditur somnus, qui omni cura procurandus est, ut inducatur pax. In febribus ardentibus, in quibus coliquatio timetur, nunquàm vesicatorium securum est, quia vel eam auget, vel eam excitat, & idcircò præcipuus eius usus est in malignis febribus, & in alijs morbis à coagulatione, & humorum crasitudine pendentibus, quia in his conducit fundere, & coliquare, conciliareque motum spiritibus.

Quarta, quod auxilium præstantisimum est vesicatorium in curandis aliquibus morbis cronicis, qui ab humore acri, & mordaci pendent; puta contumacisimum capitis dolorem, epilepsiam interpolatam, motus epilepticos continuos, &c. Experientia me docuit, confirmando, quidquid legi, ac perlegi in varijs Auctoribus Neotericorum. Circa hanc quartam annotationem plures casus narrare poteram, in quibus feliciter usus fui vesicatorio cantharidarum: inter illos memor, cùm eram Medicus Civitatis Segoviensis, filiam D. Philipi de Almedina cum vesicatorio cantharidarum fuisse liberam ab emicrania contumacisima, producta à seroso humore acido acri, & mordaci pericranium occupante. Etiam recordationem facio, quod à me in Villa vulgò de *Caceres* sanatus fuit puer decem annorum, qui erat oppressus asiduis motibus epilepticis, & totum corpus veluti saltans agitabat, ut accidit in his, qui à Tarantula icti sunt, per rectum usum magni vesicatorij cantharidarum, quod nuchæ appositum fuit, quia acritudinem acidam velicantem temperavit sal volatilis cantharidarum.

CAPUT XXXII.

DE ERRHINIS, ET *sternutatorijs, eorumque differentijs.*

ERrhina, seu Nasalia sunt medicamenta destinata ad evacuandos humores crassos, & viscidos, hærentes in tunica narium glandulosa, in vestiente cavernulas, & sinus superioris maxilæ. Duplicia sunt, Errhina, scilicet solida, & liquida; *Solida* dicuntur quæ in forma pulveris præparantur ex vegetabilibus aromaticis cephalicis, ut Origano, Maiorana, Ruta, &c. *Liquida* sunt, quæ constituuntur ex prædictis plantis distilatis, ut Aqua, Spiritus, &c. Aut decoctum, vel succus alicuius hervæ herrinæ, quod sequenti modo componi potest.

R.

R. *Radicis ireos.* ℥j.
Foliorum thymi. m. j.
Seminis Ruthæ silvestris. ʒij.
Coquantur S.A. in aqua fontis, usque ad ℥viij.
Colaturæ, & expressioni dissolve.
Mellis Anthosati . ℥ij. *me.*

Notatur, quod Errhina agunt in prædictis humoribus crasis eos incindendo, coliquando, & deturbando propter particulas acres nimis subtiles, quarum vi velicant, ac stimulant.

Sternutatoria sunt medicamenta, quæ, particulis acribus irritando, suscitant externutationem, & resolvunt, evacuantque cum isto motu violento substantiam mucosam hærentem in tunica narium glandulosa. Duo sunt sternutatoria, videlicet mitiora, & fortiora; *Mitiora* dicuntur omnia medicamenta, quæ appellantur Errhina: *Fortiora* nominantur omnia, quæ dicuntur sternutatoria; v.g. Radix Piretri, Elebori albi, & nigri, Piper, semina staphisagriæ, & sinapi, folia Necotianæ, Euphorbium, &c. Quæ reducuntur in pulverem subtilissimum, quia ita frequenter utuntur.

Solent adhiberi sternutatoria in affectibus soporosis, ut ægri evigilent, excitatis velut, & in motu repositis spiritibus, velut humores vias spirituum ad nervos obsidentes excutiantur. Etiam utuntur in doloribus capitis, in Epilepsia, in fluxionibus oculorumque, maximè si ægri assueti fuerunt copiosiori evacuatione per nares. Item contra singultum valent externutatoria, & ad fœtus mortui, secundinarumque expulsionem.

Animadvertere oportet, quod ex irritatione membranæ interioris narium facta à particulis acutis sternutatoriorum, sive Ptarmicorum medicamentorum tota reliqua fibrilosa substantia cerebri etiam irritatur, quia in consensum rapiuntur cerebri membranæ: & conveluntur; unde ipsa cerebri substantia etiam per vices se contrahitur, & explosis una spiritibus in nervos paris vagi, necessum est, quod diaphragma, & musculi intercostales in consensum rapiuntur, & thorax violenter contrahatur, quousque res irritans excutiatur. Unde sternutatoria fortiora multa mala inferre possunt; v.g. Convulsiones, Hemorragias, Nervorum obstructiones, depresis scilicet ad illos humores, idest, nervos, aliquando etiam mortem.

CAPUT XXXIII.

DE SALIVAM MOVENTIbus, & Apophlegmatisantibus.

S*Alivantia* sunt medicamenta, quæ per ductus salivales educunt serum, & humores pituitosos, viscidosque latitantes, tam in sanguinis massa, quam in quocumque loco. Præcipua medicamenta salivam moventia sunt ipsum Argentum vivum, & omnia ex illo conposita, quæ sive intus data, sive tantum extrinsecus illinita, potenter humores lentos, immo coagulatos in lue venerea spectantur educere, sed non solum in morbo galico in veterato prosunt salivantia Medicamenta, verumtamen in alijs morbis cronicis; v.g. cephalalgia diuturna, Paralysis, Quartana, &c. Ubi causa lenta est latens.

Porrò salivam moventia, Mercurialia saltem non semper perductus tantum salivares evacuant, sed non rarò etiam per urinas, sudores, & vehementes secessus, ut satis patet in sufferentibus curam luis venereæ solicitatam cum hydrargiri in unctionibus.

Apophlegmatisantia sunt medicamenta, quæ evacuant humores viscidos, & tenaces, hærentes in faucibus inscindendo, Ptyalismumque promovendo. Hæc evacuatio vocatur salivatio particularis. Apophlegmatisantia dividuntur in acria, & insipida: insipida dicuntur, quæ sine acrimonia salivam è glandulis eliciunt, diu in ore masticata, seu agitata, uti sunt Chrystallus, Globulus plumbeus, mastix, &c. & hæc sunt, quæ propriè Masticatoria appellantur.

Acria sunt, quæ strictè vocantur Apophlegmatisantia, quia propter particulas acres irritant, atque stimulant glandulas, & salivales ductus, unde à natura maior excitatur afluxus partium serosarum; & tunc etiam viscositates inscindūtur, diluuntur, & excernuntur. Propriè, & strictè Apophlegmatisantia sunt duplicia, videlicet leniora, & fortiora: Leniora, quæ leniter irritant, & evacuant, ut radix imperatoriæ, Hysopus, Maiorana, Nux moschata, Cubebæ &c. fortiora appellantur, quæ totis viribus agunt, & stimulant, ut copiosè evacuentur prædicti humores viscidi, & tenaces, qualia sunt radix Pyrethri, Zinziberis, omnes species piperis, semen Nasturtij, sinapi, &c.

Pro calce huius capitis aliqua notare convenit ad rectum usum Apophlegmatisantium: *primò*, quod insignis eius usus in affectibus capitis serosis, & á pi-

pituita viſcida pendentibus, ſcilicet dolor capitis diuturnior, ſopor gravis, hebetudo oculorum, difficultas auditus, tinnitus aurium, paralyſis linguæ, convulſio canina, &c. *Secundò*, quod Practicantes ſciant uſum Apophlegmatiſantium contraindicari ab inflammatione pulmonum, à pthiſi, ab ulceribus gingivarum, oris, laryngis, pharyngis, &c. *Tertiò*, quod numquam talia medicamenta in uſum trahantur, niſi remedia univerſalia præceſſerint, & cacochimia ſit expurgata.

CAPUT XXXIV.

DE INSCINDENTIBUS, DEtergentibus, Diaphoreticis, Sudoriferis, & Diureticis.

INſcindentia ſunt medicamenta, quæ dividunt, diſſolvunt, & comminuunt humores viſcidos, & glutinoſos propter particulas amaras, vel aromaticas, vel ſalinas, quibus ſcatent. Notatur, quod huius naturæ ſunt omnia medicamenta aperientia, ut radices aſparagi, fœniculi, apij, &c.

Detergentia medicamenta ſunt quæ expurgant ſubſtantiam purulentam, & quoſcũque ſuccos ſanioſos ex quacumque parte corporis, ſive interna, ſive externa. Utimur in empiemate, & in omnibus ulceribus ſordidis, etiam putridis, quæ poſt diſruptionem abceſſuum manent. Talia medicamenta appellantur balſamica, & vulneraria, quia in eis adeſt vis nitroſa, amara, & attenuativa, talia ſunt radix utriuſque ariſtolochiæ, gentianæ, &c. foliæ agrimoniæ, centauræ minoris, abſinthij, &c. Gummi, ut aloes, myrrha, therebentina, ſyrupi, ut mel roſaceum, roſarum ſiccarum, &c.

Diaphoretica ſunt medicamenta, quæ inſenſibiliter evacuant ſerum ſuperfluum per cutis poros. Notare licet, quod diaphoretica tantum gradu differunt à ſudoriferis, & quia leniora ſunt, leniter exagitant ſanguinis maſſam. Diaphoretica verò præferenda ſunt in aliquibus naturis; & ideo magis conveniunt in morbis Infantum, puerorum, gravidarum, & puerperarum, quam fortiora ſudorifera, uti ſunt diaphoretica thericalia, camphorata, & bezoardica media, & fixiora, ut Antimonium diaphoreticum, Balſamus Antimonij, &c.

Sudarifera ſunt medicamenta evacuantia ſenſibiliter humores per poros cutis ſub forma ſudoris. Sudorifera ſunt fortiora, calidioraque, quam dia-

diaphoretica; & ideo suis particulis subtilioribus agunt maiore impetu excitando in massa sanguinea maiorem exagitationem, qualia sunt radices angelicæ, contrajervæ, chinæ, smilacis asperæ, scorcioneræ, gentianæ, zedoariæ, vincetoxici, &c. Carduus benedictus, scordium, scabiosa, saxafras, cornu cervi *præp.* mandibula lucij, dens apri, Antimonium diaphoreticum martiale, sal cardui benedicti, sal volatile cornu cervi, theriaca magna antiqua, syrupus papaveris erratici, &c. Notare licet, quod sudorifera indicantur in omnibus morbis à pituita, & ab impuritate seri ortis, sive sint acuti, sive chronici, ut lues venerea, scabies, &c.

Animadvertendum est circa diaphoretica, & sudorifera, quod in corporibus gracilibus, & siccioribus, & etiam in illis morbis, ubi deficit serum, magis nocent, quam prosunt, sed sunt magis nociviliora sudorifera, quia potenter agunt in fibras, & in sanguinem, atque hinc producendo vehementem commotionem in humoribus, efficiunt, ut sanguis reddatur minus apta ad sudandum, quia parum serum, quod in talibus naturis adest, in sanguine facile exhalatur ob nimiam calescentiam, quæ in sanguine introducitur vi medicamentorum sudoriferorum. Etiam Practicantes sint memores, quod sudorifera numquam exhiberi debent, dum adest lentor, & viscositas in humoribus, nisi antea reddantur fluida, & partim evacuentur cum purgante specifico.

Diuretica sunt medicamenta, quæ fundunt sanguinis massam, atque promovent urinæ secretionem, & excretionem. Conveniunt talia medicamenta in morbis partis givæ jecoris, venosi generis universi, renum, vesicæ, uteri, &c. Diuretica medicamenta dividuntur in calida, & temperata: *Calida, seu acria*, & acerrima sunt, quæ propriè fundunt humores, & magis separant humores aquosos, & serosos, & excernunt per urinas: talia sunt radices raphani, fœniculi, anonidis, petroselini, eryngij, apij, &c. Urtica, pimpinela, chamedrios, centaura minor, baccæ juniperi, therebinthina, sanguis hirci, cantharides, oximel simplex, & compositum, spiritus vitrioli, sal tartari, &c.

Diuretica *temperata*, *seu frigida* dicuntur, quæ leniter abstergunt, & attenuant humores, qui in vasibus, & renibus continentur, vel suppeditando materiam aquosam, simul rapiunt humores contentos

tos in venis sine notabili molestia, & irritatione, qualia sunt radices altheæ, oxalidis, graminis, asparagi, &c. parietaria, capillus veneris, bismalva, quatuor semina frigida maiora, hordeum, avena, spiritus sulphuris, sal prunella, syrupus de acredine limonum, dealthea, conserva cucurbitæ, &c.

Pro calce huius capitis notare oportet, quod diuretica calida acria sunt insigniter proficua in omnibus morbis frigidis, v. g. cachexia, hydrope, morbo gallico, & ubi humores sunt dulciores: talia verò nocent in scorbuticis, biliosis, & ubi acres humores redundant; item ubi adest exulceratio, aut inflammatio renum, vel metuenda hemorragia; & idcircò in corporibus calidis, & siccis, quæ corripiuntur hypochondriaca affectione, aut scorbutica, acerrima diuretica, v. g. cochlearia non exhibentur, nisi cum admixtione radicum oxalidis, vel alterius diuretici acidi; ob idque in talibus temperamentis prædictis affectionibus opresfsis, moneo, ut bibant manè, & vesperè per plures dies decoctum foliorum cochleariæ, & tamarindorum.

Diuretica temperata sunt commodissima in curatione morborum, in quibus peccant particulæ viscidæ, tartareæ, & salinæ, & quando adsunt obstructiones tartareæ in visceribus; item ubi causa morbosa sensim evacuari debet per meatus urinarios, ut in arthritide, reumatismo, hypocondriaca affectione, scorbuto, &c. sed si in talibus morbis, & corporibus gracilibus, diutius, & vehementius utantur diureticis calidis, tunc ægri sensim disponuntur ad hoc, ut incidant in febrem, aut in jecoris inflammationem, vel in atrophiam totius corporis.

CAPUT XXXV.

DE ABSORBENTIBUS, Alexipharmacis, Bezoardicis, spiritus recreantibus, & febrifugis.

ABsorbentia sunt medicamenta, quæ imbibunt, & contemperant acidos, & acres humores, & in tertium quoddam mutant. Ista medicamenta dupliciter debent considerari: *Una*, quæ tantum temperant acidos humores, & in tertium quoddam mutant, ut oculi cancrorum, Margaritæ, Corallia, Mater Perlarum, Conchæ præparatæ, Cornu Cervi calcinatum, Ebur ustum, &c. *Alia* sunt, quæ maiori, vel minore untuositate temperant, figunt,

gunt; atque enervant humores acres salsos, & inflammabiles, v. g. Cornu Cervi philosophicè præparatum, Dens Apri, Mandibula Piscis Lucij; Bolus Armena vulgaris, terra sigillata, Cerusa Antimonij, &c.

Circa absorbentia notare oportet, quod omnia in eo conveniunt, quod acidum absorbeant, ac præcipitent; sed tamen differunt inter se ratione energiæ peculiaris, atque virtutis, quam unum præ altero possidet; sic constat experientia Martis limaturam, præter virtutem absorbentem restituere tonum ventriculi, & intestinorum labefactatum. Coralia, Mater perlarum, Conchæ præparatæ, & lapides cancrorum absorbent, sed simul diaphoresim, aut diuresim excitant: tamen creta valdè refrigerat, atque incrassat. Bolus Armeniæ, & terra sigillata identidem incrassant, & adstringunt. Alabastrum præter virtutem absorbentem habet magnam efficaciam contra morbos ardentes, &c. Non minus debent scire Practicantes, quod usus absorbentium sit rarior, vel planè nullus in obstructionibus viscerum, jecoris, & lienis, in morbo regio, in cachexia, & in quacumque dispositione, ut æger incidat in hydropem, quia augent obstructiones, & morbum reddunt peioris indolis.

Alexipharmaca sunt medicamenta, quæ resistunt venenis, & massam sanguinis præservant à putredine, & ideo vocantur etiam alexiteria. Talia sunt radix Angelicæ, contrajerva, serpentaria virginiana, Doronicum, Vincetoxicum, Scorcionera, Bolus Armeniæ, terra sigilata, terra de Nochera, Camphora, Cornu Cervi, & omnia ex eo præparata, Lapis Bezoar Orientalis, & Occidentalis, confectio hyacinthorum, theriaca magna, mitridatum, diascordium fracastoriij, &c.

Animadvertere oportet, quod venena duplici ratione in nostrum corpus agunt, & tyramnidem exercent, vel quia sunt dativa, & per os assumuntur, & subitó interimunt, vel intus nata, pedetentim agunt, & destruunt; & quia in præsenti casu tantum loquimur de venenis in corpore natis, à quibus producuntur febres, & alij morbi maligni; scire debent Practicantes prædicta medicamenta alexipharmaca restituere sanguini mixturam naturalem, quæ turbata erat à venenis; etiam inducere motum, & circulum æqualem; itemque præservare à putredine. Insuper non ignorare licet, quod hæc medicamenta appellantur universrlia Alexipharmaca, quia eliminant quamcumque noxiam

è

è corpore, promovendo in sanguinea massa leniorem diaphoresim.

Bezoardica Medicamenta dicuntur omnia, quæ in primis resistunt venenis, in corpore genitis, & illa expellunt, v. g. Margaritæ, Corallia, Radices Vincetoxici, & Serpentariæ Virginianæ, Lapis Bezoar, Lapis de Goa, Bezoardicum minerale, Bezoardicum animale, &c.

Circa hæc medicamenta Bezoardica notare licet, quod non nisi nomine ab Alexipharmacis differunt, quia habuerunt nomen ab illo famigeratissimo lapide concreto in ventriculis quarundam caprarum indicarum, qui appellatur *Bezoar*; cui Lapidi Veterani Medici tribuebant primum locum inter Alexipharmaca. Verùm etiam scire debent Practicantes, quod nomen huius lapidis initium accepit ab hoc Arabico vocabulo *Bel*, quod significat Dominus, & à sequenti *Zoar*, quod vocabulum interpretatur venenum.

Spiritus recreantia sunt medicamenta, quæ vocantur Analeptica, & tenuitate sua facile citò convertuntur in spiritus, vel eos iam in cerebro, nervisque, velut torpidos, aut minus saltem motos excitant, & reponunt in maiore motu. Analeptica dividuntur in fortiora, & temperata. *Fortiora*, quæ etiam confortantia calida dicuntur, sunt omnia illa, quæ gaudent sapore, ac odore forti, & penetrante, sive sint intus sumpta per os, sive naribus applicata; qualia sunt vinum generosum, eius spiritus, aqua cinamomi, & omnia aromata, & quæcumque remedia, quæ apparantur ex plantis aromaticis, ut rosmarinum, maiorana, pulegium, lavendula, cubebæ, cardamomum, &c. velut aqua Reginæ Ungariæ, aquæ Apoplecticæ, &c.

Analeptica temperata sunt illa medicamenta, quæ sanguinis massam nimis disolutam, & impotentem ad spiritus suos continendos, constipant, firmantque, ut non nihil frigida, & subacida, ut succus granatorum acidorum, Citri, Aurantiorum, de Agresta, &c. Aqua totius citri, fragorum, cerasorum acrium, rosarum, &c. & ideo cordati Medici prohibent analeptica spirituosa in omni ardore præter naturam maximè in febribus acutis, inflammatorijsque: etiam prohibentur in corporibus siccioribus, calidis, biliosis, & proclivibus ad pthisim, vel hecticam.

Febrifuga sunt medicamenta, quæ sedant, vel tolunt febrem; etiamque dicuntur antife-

febrilia, & antipiretica, quia fermenta febrilia præcipitant, & effervescentias mitigant febriles. Oportet notare, quod iuxta Neotericos communitèr vocantur remedia febrifuga illa, quæ communiter utuntur adversus intermittentes, & remittentes febres. Qualia sunt quælibet absorbentia, præcipitantia quævis, Radix Gentianæ, Absinthium, Carduus Benedictus, Flores Centauræ minoris, Cortex Chinæ Chinæ, quæ vulgò dicitur *Quina*, Extracta Centauræ, Gentianæ, Absinthij, &c. Omnia nitrata, Sal Cardui Benedicti, Sal Absinthij, Sal Armoniacus, &c.

CAPUT XXXVI.

DE REFRIGERANTIBUS, Incrassantibus, Adstringentibus, sistentibus, & repellentibus.

R*Efrigerantia* sunt medicamenta, quæ imminuunt æstum præter naturam, sitim extingunt, & motum effrenem irregularemque animalium spirituum compescunt. Usitatiora refrigerantia sunt Oxalis, Lactuca, Portulaca, Plantago, Malva, Flores Violarum, Nimpheæ, Rosarum Rubrarum, Quatuor semina frigida maiora; Saccharum Saturni; Nitrum, & omnia, quæ præparantur ex Nitro, ut Sal Prunela, &c. Animadvertere debeo, quod inter omnia interna refrigerantia anteponitur nitrum, & eius præparationes, & ideo securissimè exhibetur in omnibus morbis, ac febribus inflammatorijs, v. g. Variolis, Phrenitide, Angina, Pleuritide, Peripneumonia, &c.

Incrassantia sunt medicamenta, quæ humores liquidiores reddunt crassiores, & eorum acrimoniam infringunt, atque temperant; qualia sunt omnia mucilaginosa, ut Radices, Hervæ, & semina, quæ sub coctione præbent mucilaginem, ut Althea, Malva, Psylium, &c. etiam sunt incrassantia omnes terræ untuosæ, seu pingues, ut terra sigillata, Bolus Armenus, &c. item Sal Prunela, Saccharum Saturni, opium, & omnia ex illo præparata, ut Laudanum opiatum, &c.

Notandum est incrassantia medicamenta præsertim mucilaginosa esse proficua in omnibus morbis productis ab humoribus salinosis, & tenuioribus; ubi eorum particulæ acres, seu spicula salina sunt mitigandæ, demulcendæ, & temperandæ; & idcircò adhibentur in scorbuto bilioso, in catarrho salso, scabie, tusi sicca, tabe, atrophia,

phia, &c. Verum si tantum prosunt in prædictis morbis, etiam oportet non ignorare, quod multum nocent in frigidis morbis pendentibus à cacochimia pituitosa, ut in cachexia, & in obstructionibus viscerum, ventriculi, & intestinorum, factis ex copia humorum pituitosorum tenacium.

Adstringentia sunt medicamenta, quæ sistunt fluxum humorum præternaturalium fibras partium constringendo. Quia adstringentia differunt gradu inter se, dividuntur in leniora, mediocria, & fortiora. *Leniora*, ut Mentha, Nux moscatha, & omnia remedia, quæ ex eis præparantur, v. g. Syrupus simplex Menthæ, eius oleum essentiale, & oleum nucis moschatæ per expresionem factum, &c. *Mediocria* veluti radices tormentillæ, bistortæ, &c. folia quercus, baccæ Myrthillorum, cortices granatorum, balaustriæ, terra sigilata, cathecu, ossa sepiæ, &c. *Fortiora* sunt omnia illa medicamenta, quæ dicuntur stiptica, v. g. alumen, & vitriolum, & omnia, quæ ex his componuntur, ut liquores stiptici varij generis, v. g. aqua arterialis, spiritus vitrioli, oleum vitrioli, aqua fortis, &c.

Circa medicamenta adstringentia tria notanda efficere licet: *Primum*, quod leniora agunt propter particulas oleosas quodam modo acres, & aromaticas, quæ naturæ sunt gratæ. Mediocria propter particulas crassas fixiores operantur: fortiora constringunt propter particulas minerales acidas: *Secundum*, quod semper cautissimé exhibeantur adstringentia gravidis, per quæ sæpius abortus sequi solet: *Tertium*, ut maxima prudentia adhibeantur Infantibus, quia alvum nimis possunt adstringere, facilèque inducere insultus epilepticos, aut gravisima ventris tormina.

Sistentia sunt medicamenta, quæ habent vim, partim adstringendi, & partim refrigerandi, & vocantur composita, quia componuntur à Medicis, quando urgent duæ indicationes, videlicet refrigerandi, & adstringendi, ut accidit in febribus ardentibus cum alvi fluxu complicatis, vel cum alijs immodicis evacuationibus.

Repellentia sunt medicamenta, quæ in principio inflammationum applicata, impediunt humorum fluxum, eosque eliminant ab inflammata parte. Magister Galenus scripsit in lib. 14. meth. medendi verba sequentia: *Repellunt quidem non solum ea, quæ adstringunt, sed etiam, quæ sine adstrictione*

refrigerant. Per quæ occasionem dedit, ut repellentia dividantur in propria, impropria adstrictoria, & accidentalia: *Propria* repercusiva sunt medicamenta frigida, sicca, & moderatè adstringentia, qualia sunt Oxalis, Plantago, Sumach, Radices tormentilæ, Bistortæ, &c. Balaustriæ, Rosæ rubræ, Cortices Granatorum, Acetum, &c. *Impropria*, quæ vocantur repellentia longa ab aliquibus veteranis, sunt medicamenta frigida, & humida sine adstrictione, quibus utuntur in illis casibus assignatis, quæ commodè adhibent in illis casibus, in quibus eis prohibentur repellentia propria, & adstringentia, v. g. Portulaca, Lactuca, Malva, Viola, Cucurbita, Pepon, Melo, Psylium, &c. *Adstrictoria* repellentia sunt, quæ præter frigiditatem, & siccitatem gaudent fortiori vi adstringendi. *Accidentalia* repellentia dicuntur illa medicamenta, quæ licet sint calida, simul adstringunt, ut duæ Aristolochiæ, Zedoaria, Absinthium, Stechas, Abrotanum, Myrrha, Thus, &c.





CAPUT XXXVII.

DE APERIENTIBUS, CALculum frangentibus, Scorbuticis, Carminativis, & Antihelminticis.

A*Perientia* sunt medicamenta, quæ reserant obstructiones, fluidificant sanguinis massam, & eius circulum efficiunt liberiorem. Aperientia medicamenta dupliciter debent considerari, scilicet vegetabilia, & mineralia: *Vegetabilia* dividuntur in amara, & in acria mitiora: *Amara*, ut fumaria, Gentiana, Carduus Benedictus, Absinthium, Centaura minor, Chamedryos, &c. *Acria mitiora*, v. g. Radices Fœniculi, Apij, Asparagi, Petroselini, &c. quæ gaudent tenuibus particulis acribus mitioribus. *Mineralia*, quæ maximum locum merentur inter aperitiva medicamenta, sunt omnia martialia, & vitriolata, sive arteficialia sint, sive naturalia. Artificialia, ut Sal Martis, Crocus Martis aperitivi, Extractum Martis aperitivi, tinctura Martis aperitivi, Tartarum Vitriolatum, Tartarum Martiale, Vitriolum Martis, &c. Naturalia, ut variæ aquæ Minerales, sive Martiales sint, sive Acidulæ, seu Vitriolicæ,

ut

ut quæ inveniuntur in ipso termino Villæ de *Puerto Llano*, &c.

Frangentia calculum, seu *Lythontriptica* sunt medicamenta, quæ comminu unt lapidem concretum in renibus, vel vesica urinaria, atque è corpore expellentia. Notatur, quod medicamenta, quæ movent calculum, & expellunt, conveniunt cum diureticis medicamentis; quæ verò gaudent virtute comminuendi, sunt: Radices Saxifragiæ, Lappæ maioris, Lignum nephriticum, virga aurea, Fragaria, Semina Urticæ, Petroselini, & Milij Solis, Lapis judaicus, Nephriticus, Chrystalus præparatus, sanguis hirci, Lapides Cancrorum, Mandibula Piscis lucij, Millepedes, Spiritus Salis Communis, &c. Circa usum talium medicamentorum circunspectè sese debet gerere Medicus, quia si sæviente dolore, illa exhibeat, tunc dolores augentur, & alia simpthomata, urgendo calculum.

Bechica, seu *expectorantia* sunt medicamenta, quæ corrigunt humores viscidos, vel acres salsos, vel etiam putrefactos, hærentes in pulmonum bronchijs, illorumque cellulis; & evacuant per screatum, seu sputum. Dividuntur expectorantia in dulcia, insipida, acria, & mitiora. *Dulcia*, ut Liquiritia, Ficus, Juiubæ, Sebestem, Semen Anisi, Fœniculi, Saccharum, Mel, &c. *Insipida*, seu incrassantia, ut Radix Chinæ, Tragacantum, Flores Altheæ, & Malvæ, Radices Altheæ, Quatuor semina frigida maiora, Hordeum, semen papaveris albi, Syrupus Violaceus, papaveris albi, Diatragacanthum frigidum, Laudanum opiatum, &c.

Acria expectorantia sunt, ut Radices Ari, Enulæ Campanæ, Raphani, Scillæ, Folia Hysopi, Marrubij albi, Thymi, Myrrha, Flores Benzoini, & Sulphuris, Electuarium Diaireos simplex, Oximel Schiliticum, Syrupus Hysopi, Syrupus de Nicotiana, Looch de Scilla, &c. *Mitiora* dicuntur, quæ levi acritudine, & vi amaricanti, & vulneraria agunt, ut Tusilago, Pulmonaria, Pilosella, Hedera Terrestris, Capillus veneris, Syrupus Tusilaginis, Capillorum veneris, Oximel simplex, Looch de pulmone vulpis, Looch sanum, & expertum, tinctura croci, cum aqua Brasicæ extracta, &c. Animadvertere oportet, quod omnia prædicta Bechica, seu thoracica medicamenta agunt, vel resolvendo, inscindendo, atque stimulando, dum humores sunt viscidi, qualia sunt acria,

& mitiora ; vel demulcendo, temperando , ac incrassando; qualia sunt dulcia, & insipida.

Carminativa sunt medicamenta , quæ discutiunt , dissipant , & ejiciunt flatus præcipuè contentos in primis vijs. Hæc medicamenta duplicia sunt; alia propria : alià verò impropria : *Propria* carminativa sunt omnia aromatica , & quodam modo acria , v. g. Zinziber , Piper , Galanga maior, & minor , Zedoaria , Cortices citri , & Aurantiorum , Nux moschata, Bacchæ Lauri , Anetum , Chamonilla , aqua Naphæ , Spiritus aromaticus ex Silvio , & omnia medicamenta tam simplicia , quam composita , quæ agunt irritando fibras intestinorum , & accelerando eorum motum peristalticum. *Impropria carminativa* dicuntur , quæ per accidens discutiunt , & dissipant flatus , quatenus removent causam materialem inflationis abdominis, quia nimirum evacuatur humor viscidus , & glutinosus , ex quo flatus gignuntur.

Antihelmintica sunt medicamenta, quæ fugant, enecant, & è corpore humano educunt vermes , præsertim intestina inhabitantes , quæ etiam mitigant simpthomata , quæ ab ipsis oriri solent. Predicta medicamenta iuxta cordatos practicos, dividuntur in quatuor classes : *Prima* continet ea , quæ vermes , seu lumbricos in fugam conjiciunt , quia illis sunt contraria , & inimica , scilicet ingrata amaricantia,v. g. Agrimonia , Absinthium , Centaura minor , Crocus , Costus, Rutha , Sabina , Aloe , Myrrha, &c. Simulque omnia,quæ componuntur ex amaricantibus , ut elixir proprietatis Paracelsi, &c.

Secunda clasis est illorum medicamentorum , quæ vermes interficiunt , quæ multiplici sunt genere , scilicet terrea , & calcinata , ut Cornu Cervi , & ebur ustum , Corallina , seu muscus Marinus , Bolus Armeniæ , Coralia , &c. *Alià* sunt acida , ut succus citri, Limonis, & Granatorum , Syrupus acetosus simplex , Spiritus Salis communis , Spiritus Vitrioli, &c. *Alia* sunt acria , ut Allium, Cepa , Raphanus , & alia , quæ sua acrimonia solent esse venenum istis vermibus. *Alia* sunt pinguia , & oleosa , ut oleum olivarum , amigdalarum amararum , florum hyperici per infusionem factum , & omnia remedia , quæ untuositate impediunt transpirationem in vermibus. *Alia* sunt methalica, & mineralia , ut cinnabaris , sive nativus sit , sive artificialis, Limaturæ Martis , & omnia,

quæ

quæ ex Marte præparantur, Argentum vivum, & omnia, quæ ex illo apparantur, ut Mercurius dulcis, Æthiops mineralis, &c. Aqua extinctionis methalorum liquefactorum, v. g. stamni, &c.

Tertia classis est eorum medicamentorum, quæ evacuant vermes iam mortuos; v. g. Rhabarbarum, radix Mechoacannæ, & alia purgantia, sed præ alijs in hoc casu laudantur omnia composita ex aloe, quæ assumuntur per os, vel injiciuntur sub forma enematis. *Quarta* est illorum medicamentorum, quæ lumbricos satiant, adeoque simptomata præsentia mitigant, & graviora imminentia præcavent; qualia sunt omnia dulcia, nimirum Saccharum, Mel, ficus, Dactili, passulæ, Lac recenter mulctum, vel cum dulcibus maritatum.

CAPUT XXXVIII.

DE CORDIALIBUS, Hystericis, Menstrua moventibus, & fœtum, secundinasque expelentibus.

CORdialia sunt medicamenta, quæ prohibent languorem cordis subvenientem, & efficiunt liberiorem circulationem sanguinis. Dividuntur in calida, & temperata; *Cordialia calida* conducunt in morbis frigidis, in nimio mœrore, atque tristitia, & ideo sanguini à terrore coagulato prosunt omnia aromatica, & spirituosa, ut cinamomum, cubebæ, cardamomum, Aqua vitæ, Aqua lavendulæ: Aqua essentialis cinnamomi, &c. *Temperata* sunt Mater Perlarum, Margaritæ, terra sigilata, Aqua florum tiliæ, Aqua cerasorum, tabellæ de Manibus Christi, Diamargariton frigidus, confectio Hiacinthorum, Syrupus violaceus; de succo oxalidis, &c. Notatur, quod medicamenta cordialia appellantur etiam Cardiaca; quia specifica proprietate resistunt morbis malignis, & venenis, spiritus vitales reficiunt, & corroborant.

Hysterica sunt medicamenta, quæ conducunt contra uteri affectus, sed præsertim contra suffocationes, quæ ex vaporibus ab utero elevatis producuntur; v. g. Camphora, succinum album præparatum, ebur præp. Mater Perlarum, Aqua mellisæ camphorata, Aqua Liliorum convalium, Syrupus florum peoniæ maioris, Syrupus florum tiliæ, Syrupus corticum aurantiorum, Bezoardicum joviale, sal volatile succini, tinctura castorei, Laudanum liquidum, elixir proprietatis Paracelsi, &c.

Mens-

Menstrua moventia, quæ vocantur subdititia medicamenta, & Emmagoga, seu Emmenagoga, sunt, quæ attenuant crassitiem, & viscositatem sanguinis, aperiunt obstructiones uteri, eius poros dilatant, emolliunt, & stimulant ad orgasmum menstruum: qualia sunt omnia, quæ habent acrimoniam amaram, & salsam; v. g. Artemisia, Assarum, Absinthium, Betonica, Calaminta, Chamedris, Crocus, Chamemalum, Dictamus, Pulegium, Pimpinella, Syrupus de Artemisia: Aqua Cinamomi, confectio Alkermes, tinctura castorei, omnia mirrhata, & aloetica, ut elixir proprietatis Paracelsi, &c.

Expelentia mortuum fœtum, & secundinas, sunt medicamenta fortiora moventia menstrua; v.g. Assa fœtida, castoreum, eius tinctura, Aristolochia rotunda, Gentiana, Matricaria, Semen Ruthæ Silvestris, Borrax nativus, & Artificialis, trocisci de Alkandal, eius extractum, & tinctura, trocisci de Myrrha, elixir proprietatis Paracelsi non distilati, sal volatilis succini, Syrupus sabinæ, &c. Notatur, quod potest ex his medicamentis componi potio specialis modo sequenti:

℞. *Decocti Sabinæ, Dictami cretici, & Menthæ crispæ.* ℥iiij.
Trociscorum de Myrrha. ʒß.
Aristolochiæ rotundæ. ℈j.
Castorei. ℈ß.
Syrupi Matricariæ. ℥j.
Elixir proprietatis Paracelsi per infus. fact. gut. xx. *me.*

CAPUT XXXIX.

DE HYPNOTICIS Anodinisque.

Hypnotica, seu *Narcotica*, sunt medicamenta, quæ vigilias dissipant, & somnum provocant; talia sunt Mandragora, Hiosciamus albus, opium, semen Hiosciami, & omnia, quæ citius ad somnum disponunt, quia continent maiorem copiam vaporosarum particularum. Sciunt Practicantes, quod Narcotica prosunt viribus valentibus contra acutos dolores, & graviora simpthomata, quæ ex illis nascuntur; item sunt utilissima in excessivis doloribus colicæ, & calculi, etiamque valens auxilium est in omnibus morbis, in quibus somnum conciliare est omnis ancora salutis; v. g. In Phrenitide; mania; vomitu; Diarrhea; Disenteria; Hemorragijs profusissimis, &c. Ergo non est mirum, quod circa somnum plurimi Neotericorum cum Paracelso scribant laudationem istam: somnus enim tantum arca-

canum in Medicina, ut libenter ex aliquo scire velim, an & quæ Medicina sit, quod in omnibus morbis tam præsens, ac repentinum sit auxilium, adeoque corpori ad sanitatem conducat æquè ac somnus; somnus enim Medicina est superans omnia Arcana gemmarum, & lapillorum pretiosorum.

Quamvis afferant an, & quæ Medicina sit, quæ in omnibus morbis, tam præsens, ac repentinum sit auxilium, non intelligi debet, quod Narcotica in omnibus morbis securè exhiberi posse, sed tantum in suprà assignatis; quia dantur affectiones, in quibus nocentissima, & venena sunt, videlicet Hydrops, Cachexia, Asthma humidum, Difficultas respirandi cum metu suffocationis, Debilitas vitalis facultatis, &c.

Anodina sunt medicamenta, quæ sistunt nimium motum humorum, atque spirituum, dolores sedant, & somnum inducunt Dividuntur Anodina in mitissima, Mediocria, & fortiora: *Mitissima* sunt Absinthium, flores violarum, Nimpheæ, sambuci, chamomilæ, Meliloti, verbasci, semen anethi, &c. *Mediocria* sunt crocus, Papaver album, Papaver rubrum, omnia Laudana, tam solida, quam liquida, &c. Anodina *fortiora* dicuntur narcotica, qualia sunt Mandragora, Hiosciamus, &c.

Animadvertere oportet omnia Anodina esse interna, & externa: *Interna* sunt, quæ per os exhibentur, & per anum injiciuntur sub forma enematis, ut Laudanum opiatum, Syrupus Papaveris albi, &c. *Externa* anodina sunt, quæ partibus exterioribus applicantur; v. g. Oleum Anethi, Hiosciami, oleum Nucis moschatæ per expressionem factum, oleum amigdalarum dulcium sine igne extractum, Axungia Castorei, oleum eiusdem, crocus, emplastrum oxicroceum, emplastrum anodinum, &c. Notatur, quod hæc anodina exterius applicata, non modò dolores sistunt, verum etiam somnum inducunt.

SCHOLIA.

Practicantes scire debent, quod anodina agunt propter particulas vaporosas sulphureas, quæ copiosè penetrando per porosam corporis substantiam, replent nervos, sanguinem nimis expandunt, & sufflaminando quodam modo spirituum animaliũ fluxum, inducunt torporem, atque somnum, auferunt dolores, calorem extingunt, humorum acrimoniam demulcent, & excretio-

tiones præter naturam sistunt.

Inter Anodina mediocria numeratur illud medicamentum, quod ex opio componitur, & tam frequenter utitur in praxi, dicitur Laudanum, & est idem, ac velle dicere medicamentum laudatum ob insignes operationes, quas producit in aliquibus morbis gravibus, & summè periculosis; vocatur Opiatum, quia opium est vasis huius compositionis. Ex dictis infertur, quod Laudanum opiatum est quoddam extractum opij correcti per admixtionem sudoriferorum, & alexipharmacorum. Quia multæ sunt compositiones laudani opiati, & aliquæ multum laboriosę, ut compositio Quercetani, &c. Ob distrahendum laborem, & ut opiatum efficiat, tam promptiores, quam securiores effectus, referam duas compositiones, quibus in mea Praxi frequentèr utor: Prima compositio Laudani opiati sequenti modò præscribitur.

R. *Opij optimi.* ℥iiij.
Croci electi. ℥ij.
Radicis contraherva. ℥j.
Margaritarum præparatarum. ʒiij.
Trociscorum de viperis iuxta Descriptionem Neotericorum. ℥ß.
Opium, Radices, & Crocus crasso modo contundantur, & cum ℔ij. *Aquæ fontis leviter coquantur, & decanta.*

Residuis iterum affunde novam aquam, ut fiat decoctio, & decantatio, quod fieri debet per quatuor vices, & in ultima decoctione colaturam facito cum expressione: omnes decantationes mixceantur, & lento igne evaporetur humiditas, usque ad mellis consistentiam; tunc adde Margaritas, & trociscos, & cum spatula exactè mixceantur, lentoque igne reduci debent in formam extracti.

Secunda compositio Laudani opiati est illud extractum, quod ingreditur in compositione Rotularum Christalinarum meæ Descriptionis, quod appellatur Laudanum opiatum Cinnabarinum, valdè proficuum contra tusses convulsivas, singultum, Rheumatismum, Colicam Hystericam, Artriticos dolores, epilepsiam, &c.

R. *Extracti opij.* ℥j.
Extracti croci. ℥ß.
Cinnabari Antimonij, & in eius defectu Cinnabari nativi præp. ʒiij.
Mixceantur S. A. & in formam extracti redducantur.

Cir-

Circa rectum usum opiatorum varias animadversiones in promptu habere debent Practicantes: *Prima*, quod melius adhibentur opiata in tempore æstatis, quam in hiemali tempore: *Secunda*, quod semper exhiberi debent cum præcautione in inflammationibus internis, ut in pleuritide, &c. quia numquam danda sunt opiata nisi summa urgentia, & tunc propinentur in dosi refracta, & mixta cum diaphoreticis; si ad manum non habuerint præscriptas compositiones Laudani opiati: *Tertia*, quod opiata non facilè exhibeantur Infantibus, senibus, & debilibus; si tamen necessitas postulet, tunc opiata danda sunt in dosi minutissima: *Quarta*, quod nullo modo adhibeantur opiata corporibus obesis, & eis quæ laborant alvi obstructione, item nocent ægrotis, qui proclives sunt ad somnum, & in eorum primis vijs abundant viscidi humores: *Quinta*, quod non commodè exhibentur opiata melancolicis, pituitosis, & qui habent crassum sanguinem: *Sexta*, quod attentè observent opiata esse convenientiora ægris calidis, biliosis, in morbis cholericis, ut in scorbuto calido, &c.

Pro coronide huius capitis tres notas oportet facere: *Prima*, ut observent Practicantes, quod quandó usus externorum anodinorum sufficere potest, nunquam progrediendum est ad interna; quia experientia constat narcotica extrinsecus applicata, somnum inducere, interdum etiam sedare, ac compescere vehementissimos dolores in partibus remotis existentes: *Secunda*, ut se nè terreant, scire debent vomitum sequi sæpius ab exhibitione opiatorum, & aliquandò diarrheam in illo die, vel in sequenti; hæc enim vis emetica ab opio accidit cum exhibetur ventriculo repleto pituita, vel scatente biliosis humoribus acribus, etiamque in naturis biliosis, facilè enim vomitus inducitur, quia subsistens in stomacho, eius fibras disponit ad contractionem: Etiam credendum est alvum turbare, quamvis non sit tam frequenter, quam vomitum excitare. Aliqui casus occurrunt in Praxi, & ego iam vidi, sed in Pthisicis quotidie experientia docet, in quibus opiata sæpe purgantis vice obeunt: *Tertia* nota dirigitur, ut palam fiat opium distilatum esse validum anodinum contra omnia experimenta, quæ iam sunt facta ab aliquibus Neotericis, & Chymicis: Verum est, ex purgantibus, & Narcoticis non potuisse

per destilationem virtutem extrahere, quod contingit, quia opium distilaverunt cum aqua, sed si destilationem fecisent cum vini spiritu, sine dubio observasent talem spiritum esse Anodinum, qui citra ullum incommodum exhibetur interius, & exterius adhibetur contra vehementes dolores.

CAPUT XL.

DE EXCITANTIBUS, EMOlientibus, Demulcentibus, Diluentibus, Discutientibus, seu Resolventibus, Suppurantibus, & de Exsiccantibus.

E*Xcitantia* sunt medicamenta, quæ exigunt spiritus animales in motu languidos, promoventque maiorem humorum influxum in hanc, vel illam partem Excitantia dividuntur in externa, & interna: *Externa* sunt omnia, quæ cons[illegible]nt odore penetrante plus mi[illegible] ut Balsama Apoplecnus grato, [illegible]uida, vel ma[illegible]tica in forma liq[illegible]aquæ Apogis consistente; item [illegible] succiplecticæ, & spiritus, ut [illegible]a ni, &c. *Interna* sunt omn[illegible] spirituosa salia volatilia, & oleosa, videlicet Analeptica calida, & acria, quæ superius descripta sunt. Notatur, quod adhibentur excitantia in Apoplexia, Affectibus soporosis, Paralysi, Lypothimia, Syncope, Affectione Hysterica, in omnibusque morbis in quibus motus impotentia observatur.

Emolientia sunt medicamenta, quæ id quod concretum, vel coagulatum est, disolvunt, & ad pristinum statum reducunt; communiter emolientia dividuntur in interna, & externa: *Interna* sunt, quæ commodè adhibentur in alvi obstructione producta ab induratis fœcibus, & cum laxantibus solent mixci, & præscribuntur in forma decocti, vel clysmatis, Hæc medicamenta agunt propter particulas lubricas, flexiles, mucilaginosas, ut Radices Altheæ, Malvæ, Liliorum alborum, herva Mercurialis, Atriplex, Malva, &c. *Externa* emolientia adhibentur in externis tumoribus, uti sunt Parietaria, Viola, Malva, &c.

Demulcentia sunt medicamenta, quæ involvunt acrimoniam humorum, obtundunt, temperant, & quodam modo infringunt vim stimulantem, ac pungentem propter particulas mucilaginosas, ac blandas oleosas; talia sunt Radices Altheæ, Scorcioneræ, Liliorum alborum, Chinæ, Foliæ Malvæ, Parietariæ, &c. Oleum Amigdalarum dulcium per expressionem factum, ac aliorum semi-

minum copiosum oleum continentium, Lac ovillum, Bovillumque, Gelatinæ Cornu Cervi, Carnium, &c. Notatur, quod demulcentia commodè utuntut in omnibus morbis à sale pendentibus, scorbuto bilioso scilicet, scabie, omnique impuritate, ac defectione cutis, in ulceribus tam externarum, quam internarum partium; in catarrho salso, in tusi sicca, &c.

Diluentia sunt medicamenta, quæ propter particulas acres lubricas fluidificant humores viscidos crassos, diluunt, ac temperant omnia salsa, & acria. Hæc medicamenta sunt omnia aquea, v. g. aqua simplex, vel decocta cum varijs vegetabilibus temperatis, ut scabiosa, Borrago, Scorcionera, Hordeum, Radix Chinæ. &c. Animadvertere oportet, quod diluentia conducunt in omni deffectu humidi, & ubicumque salia copiosè abundant in sanguine, etiamque ubi adest densitas, atque crassities humorum. Circa usum diluentium scire licet, quod largum contraindicant obstructiones viscerum jecoris, & lienis, colluvies humorum viscidorum in primis vijs hærens, oclusio emunctoriorum, paucitas urinæ, & alvi adstrictio.

Discutientia, seu Resolventia sunt medicamenta externa tumoribus apropriata, quæ hos ipsos disipant, stagnantem materiam resolvunt, atque dejiciunt per poros cutis, quæ dividuntur in simplicia, & composita: *Simplicia* sunt Camomilla, Maiorana, Salvia, Rutha, Ros Marinus, Melilotus, Verbena, Verbascum, Betonica, Fenugræcum, Feniculum, Baccæ Lauri, & Juneperi, Anethum, Flores Roris Marini, Sambuci, Meliloti, &c. Champhora, Vinum generosum, &c. *Composita* sunt olea Anethi, Ruthæ, spicæ nardi, Hyperici, Amigdalarum amararum, scorpionum, &c. Unguentum, Agripæ, Martiati, Aregonis, &c. Emplastra, ut de Ranis cum Mercurio, de Meliloto, de Baccis Lauri, de Cicuta, Diaphoreticum Minsichti, Diabotanum, &c.

Supurantia sunt medicamenta, quæ humores stagnatos in tumoribus disponunt ad maturationem, ut in verum pus commutentur; talia sunt Radices Liliorum alborum, Altheæ, Ireos, Malvæ, Cepa, &c. Folia Malvæ, Oxalidis, Parietariæ, &c. Semen Lini, Fœnugreci, &c. Butyrum, Medulla Vitulina, Adeps suillus, Oleum commune, Liliorum alborum, Unguentum Basilicum, de Althea, tam sim-

plex, quam compositum Emplastrum de mucilaginibus, Diachilon magnum, Cataplasma Radicum Altheæ ex Vidos, Emplastrum Benedictum, &c.

Exicantia sunt medicamenta externa, quæ in ulceribus utuntur ad absorbendam nimiam humiditatem, & promovendam consolidationem. Hæc medicamenta dividuntur in sarcotica, & epulotica: *Sarcotica* dicuntur, quæ moderatè exicando, promovent generationem deficientis carnis in ulceribus, ut Myrrha, Sarcocola, Thus, Aloe, Cerusa, Plumbum ustum, Unguentum aureum, Emplastrum de Gratia Dei, Emplastrum de Betonica, &c. *Epulotica* sunt medicamenta, quæ valdè exicando, & adstringendo promovent, & inducunt cicatricem cuti consimilem, ut Alumen ustum, Antimonium ustum, Calx lota, Lapis Ematites, Bolus Armeniæ, Terra sigilata, Scoria ferri, Crocus Martis adstringens, Lapis calaminaris, Unguentum album Rasis, Emplastrum de Diapalma; stipticum Crolij, &c.

SCHOLIA.

Circa emolientia medicamenta animadvertere oportet, quod ad eorum rectum usum, Practicantes debent attendere ad causas à quibus omnis durities produci solet, quæ sunt tres videlicet concretio, tensio, & siccitas. Dum producitur à conc·etione, tunc auferri debet medicamentis propriè dictis emolientibus. Si verò durities producitur à tensione, tunc inspicere debent Practicantes, an tensio fiat à replectione, & humorum multitudine, quia tunc aufertur cum convenienti evacuatione: Verum si tensio oriatur à contractione, & crispatione fibrarum, tolitur durities emoliendo, lubricando, & laxando. Quandò durities producitur à siccitate curatur humectatione, v. g. cum Balneo aquæ dulcis simplicis, vel aquæ in qua decoquerint Radices, Hervæ, Flores, & semina, quæ habent vim emoliendi.

Notatur, quod resolventia medicamenta habent maiorem vim calefaciendi, quam emolientia, & eorum substantia est magis tenuis; & ideo suæ particulæ subtiliores facillimè penetrant, dilatant poros cutis, attenuant humores, & eos in vapores vertunt, ut à natura possint evacuari per insensibilem transpirationem.

Pro calce huius capitis memor Magistrum Galenum in cap. 6. lib. 5. de Facultat. simplic.

plic. medicam. docuisse, quod in nostro corpore fieri solent tres alterationes, scilicet naturalis, præternaturalis, & media: *Naturalis* est, quæ secundum naturam fit, videlicet cum alimentum concoquitur in ventriculo, in jecore, & in singulis partibus ad nutritionem. *Præter naturam* dicitur, quandò substantiæ in corpore contentæ contrahunt putredinem. *Media* alteratio est partim naturalis, partim veró præter naturam, quæ vocatur supuratio. Ex qua Doctrina infertur, quod maturatio, seu supuratio, quia media alteratio est, neque fit à calore tantum naturali, neque à solo præternaturali, sed humor alteratur, & concoquitur ab utroque calore simul operante. Ergo est asserendum, quod medicamenta suppurantia agunt moderato suo calore, & humiditate, atque aptitudine ad occludendos poros partis, illique adhærendum, ut inhibeant effluxum spirituum, ac si calorem partis augendo, supurent sanguinem in illa extravasatum. Maturantia medicamenta debent occludere poros partis, sed tali moderatione, ut eius calor non extinguatur, & pars non contrahat gangrenam; & idcircó meus Magister Galenus in lib. de Occultis scripsit hanc animadversionem: *Maturativa obstructionem faciunt, sed non tantam, ut dissolutioni repugnent.*

CAPUT XLI.

DE MEDICAMENTIS speciali parti, & morbo appropriatis.

NEmo cordatorum Medicorum negare potest dari medicamenta, quæ medeantur uni potius, quam alteri parti. Unum enim medicamentum ob diversam dispositionem particularum suarum potest admitti in poros alicuius partis, & non alterum: item unum ob maiorem suam activitatem potest ostendere suum effectum in aliqua parte, sic ut alterum hoc non posit. Pariter dubium non est, quin medicamentum aliquod magis huic, quam illi morbo expellendo sit accommodatum.

Ex iam dictis infertur diversa nomina medicamentis obvenire, atque aliud dictum est cephalicum, seu capiti magis accommodatum: Opthalmicum, seu oculis: Oticum, seu auditui: Odonticum, seu Dentibus. Pneumonicum, seu Pulmonibus: Cardiacum, sive Cordi; Nephriticum, seu Renibus; Cysticum, seu vesicæ

ficæ magis apropriatum: Hepaticum, sive jecori: Stomaticum, uterinum, &c. Vel pro diversitate morbi, cui magis adversatur, dicitur medicamentum Antifebrile, Alexipharmacum, Antiapoplecticum, Antiscorbuticum, &c.

Sed notandum est hæc medicamenta adeo distincta non esse, ut in effectibus suis híc, & inde non simbolisent, ita cephalica maiore parte solent esse uterina, & hysterica, & è contra; eo quod affectus hysterici maiore parte sint convulsivi, producti ex quadam inordinatione spirituum. Ita etiam cardiaca solent esse cephalica, quia quæ cordi benè faciunt, benefaciunt, & cerebro, & è contra, eo quod cor, & cerebrum inseparabiliter dependeant à mutuo iuvamine.

Pro coronide huius capitis, ut Practicantes liberentur de tanto labore circa intelligentiam medicamentorum cuique parti corporis speciali roborantium, animadvertere oportet, quod non indigent scire de particularibus roborantibus, quia eis sufficit non ignorare adesse generalia roborantia, quod evidentissimum est, si attentè inspiciant robur, & vitam omnium partium nostrum corpus componentium pendere ab influxu universali spirituum: ergo quælibet pars roborari, & confortari potest exhibendo, & adhibendo medicamenta recreantia, & restaurantia spiritus, quæ vocantur Analeptica, seu Medicamenta spiritus recreantia, de quibus diffusè egi Cap. XXXV. præsentis Tractatus.

CAPUT XLII.

DE ALIQUIBUS MEDICAmentis communibus memoria, & exercitio dignis.

Quinque Radices aperitivæ, seu Diureticæ maiores sunt Apij, Asparagi, Fœniculi, Petroselini, & Brusci.

Quinque Radices aperitivæ minores sunt Graminis, Eringij, Capparis, Anonidis, & Rubiæ.

Duæ Radices communes diureticæ, sunt Fœniculi, & Petroselini.

Quinque hervæ emolientes sunt Althea, Malva, Beta Mercurialis, Parietaria, & Branca Ursina.

Hervæ Capitales communes sunt Stechados, Adianthum album, & nigrum, Salvia, Betonica, & Maiorana.

Hervæ communes uterinæ sunt Hypericus, Dictamus, Maiorana, Rutha, Mercurialis, Artemisia, & Rubia.

Quin-

Quinque Flores cordiales sunt Rosarum Violarum, Borraginis, Buglossæ, & Melissæ.

Flores communes calidæ sunt Chamemali, & meliloti.

Quatuor semina frigida maiora sunt Cucurbitæ, Cucumeris, Citruli, & Melonis.

Quatuor semina frigida minora sunt Endiviæ, Cichoriæ, Lactucæ, & Portulacæ.

Quatuor semina calida maiora carminantia sunt Fœniculi, Anisi, Cimini, & Carui.

Quatuor semina calida minora sunt Ameos, Amomi, Apij, & Dauci.

Tres confectiones cordiales communes sunt Hyacinthorum, Alkermes, & Gentilis Cordialis contra Melancholiam.

Electuaria frigida roborantia sunt de Gemmis sine speciebus, Diamargaritonis frigidi, & Diatrium Sandalorum.

Electuaria calida roborantia sunt Aromaticum Rosatum, Letitiæ Galeni, Theriaca magna, & Theriaca de Smaragdis.

Trocisci refrigerantes, adstringentes, incrassantes, & corroborantes facultatem retentricem sunt de terra sigilata, de Ramich, de Electro, & de Spodio.

Trocisci calidi roborantes cor, cerebrum, ventriculum, jecur, & uterum, sunt Galiæ moschatæ, Aliptæ moschatæ, & Galiæ Alephanginæ.

Trocisci deobstruentes sunt de Absinthio, de Myrra, de Capparibus, & de Rabarbaro.

Tria olea stomatica calida corroborantia sunt Absinthij, Masticis, & spicæ.

Olea stomatica frigida corroborantia, & cohibentia immodicas fluxiones sunt Cydoneorum, Myrtilorum, Papaveris albi, & oleum Rosaceum Omphancinum.

Olea inscindentia, & attenuantia humores crassos, sunt Castorei, Euphorbij, & Costi.

Olea deobstruentia sunt croci, Liliorum, Costi, & de capparibus.

Olea sputum adiubantia in pleuritide, pulmonia, &c. sunt sesaminis, seminis Lini, Croci, Ruthæ, & Hyperici.

Olea uterina sunt Castorei, Liliorum alborum, Ruthæ, Nardi, & Croci.

Olea carminantia communia sunt Anethi, Ruthæ, & Camemali.

Olea nervos roborantia, & dolores sedantia sunt Hyperici, lumbricorum, Mastichis, seminis Lini Chamemali, & Vulpini.

Olea narcotica communia contra vehementes dolores, & ad deliria sedanda, sunt Papave-

veris albi, Mandragoræ, & Hyosciami albi.

Unguenta refrigerantia sunt cucurbitæ, Refrigerantis Galeni, Rosatum Sanctalinum, & Populeonis.

Unguenta Cordialia sunt adeps naphæ, Rosatum, Pomorum redolentium, & Cordiale Guaineri.

Unguenta adstringentia, & fluxiones sistentia sunt Comitissæ, de Castaneis, & de Bolo Armeno.

Unguenta exicantia, & refrigerantia sunt album ex rhasi, Citrinum, Litargirij, & de tutia, quod alio nomine vocatur Pompholigos de Guido.

Unguenta calida deobstruentia, & tumores resolventia sunt Agripæ, Aregonis, Martiati, Altheæ, utriusque, exopilativum ex succis, & Artanitæ.

Quatuor unguenta manualia Chyrurgica, sunt Basilicum, quod digerit, & maturat, viride Apostolorum, quod mundificat, Aureum, quod incarnat, & album, quod cicatrizat.

Emplastra emolientia, & resolventia tumores duros, sunt Meliloti, Filij Zachariæ, Diachilonis communis, Diachilonis magni, Cicutæ, & Ranarum cum duplicato Mercurio.

Emplastra Extergentia, & exicantia sunt Diapalmæ, & stiptici Crolij.

Emplastra cohibentia alvi fluxiones contumaces sunt Diapheniconis, contra rupturam, confortativi Vigonis, Guillermi servitoris, & de Pelle Arietina.

CAPUT XLIII.

DE VICTUS RATIONE, ET eius differentijs, in Ægris.

Doct. Complutensis Franciscus Vallesius, Lib. 1. Method.

Victu, & auxilijs perficitur curatio, sanitatis tutela victu tantum.

IAm de Dieta, seu Victus ratione, tamquam sanitatis tutela, egi in Tractatu Quarto de Hygiena, sed in præsenti Capite pertractabo de Dieta, quæ observari debet in ægris, ut sanitas amissa recuperetur, adhibendo simul appropriata medicamenta. Victus ratio, quæ à Græcis vocatur Dieta: *Est ratio, ac Methodus in usu sex rerum non naturalium pro vario ægri statu observanda.* Invaluit, quod per victus rationem intelligatur maximè ratio in cibo observanda ab ægrotis, eo quod præ alijs afficiat, plusque difficultatis habeat, ideoque hic illam tractabo.

In-

Indicatur itaque hæc victus ratio à virium debilitate, ea quæ non ex opresſione, ſed diſipatione, tum ſanguinis, tum ſpirituum producitur, quia aliqui languent ſub maiori copia ſanguinis, vel humorum crudorum, qui ſtatim cibandi non ſunt, ſed potius evacuandi iuxta modum indicatæ evacuationis.

Summuntur diverſæ ſpecies dietæ à forma, à quãtitate, qualitate, utendi occaſione, & exhibendi modo. *Forma* victus deſumitur à modo ſubſtantiæ, quæ eſt *victus ratio, qua vires citra quantitatis conſiderationem conſervantur, ſecundum diverſam ægri virium rationem.* Forma victus apud Medicos triplex eſt, ſcilicet plena, tenuis, & mediocris. *Plena* eſt ea, quæ habet alimenta firma, ſolida, ac multum nutrientia, ac proinde non ſolum vires præſentes conſervat, ſed etiam auget. Plena Dieta dividitur in ſimplicisſimam, pleniorem, & plenitisſimam: *Simplicisſima*, quæ ægrotantibus convenit, fitque ſecundum Hypocratem per Ptiſanam hordeaceam integram, ſeu non colatam: *Plenior*, ſeu craſsior dicitur quæ fit per piſces, & ova. *Pleniſsima* eſt, quæ complectitur per carnes ſolidiores.

Tenuis Dieta eſt, quæ habet alimenta parum nutrientia, ac proinde ſi vires conſervat, etiam eas non nihil diminuit. Hæc tenuis Dieta dividitur in ſimpliciter talem, in tenuiorem, & in tenuiſsimam. *Simpliciter talis* eſt, quæ fit per ſuccum Pthiſanæ, quæ cremor hordei vocatur. *Tenuior*, in qua Mellicratum exhibetur, quod vocatur aqua Mulſa. *Tenuiſsima* eſt, quæ fit per inediam. Mediocris Dieta eſt, quæ mediat inter victum craſſum, & tenuem, ideoque vires conſervat in eodem ſtatu, ut illa quæ fit per ius panis, per ius puli, aliquam panetellam, pyrum, vel pomum aſſum, vel etiam per carnes pullorum, &c.

Quantitas cibi, quæ poteſt adhiberi in omni victu, ſive pleno, ſive tenni, ſive mediocri, triplex eſt, ſcilicet ſumma, media, & minima, & ut Medicus ſciat recte exhibere cibum in quantitate mediocti, ſumma, vel minima, debet agnoſcere acutiem morbi, & maius, vel minus certamen naturæ cum morbo.

Qualitas victus præſcribitur ab affectione, conſuetudine, & temperamento: non autem illa indicatur à viribus, quæ tantum indicant cibi ſubſtantiam, ſeu prout nutrit, non autem eius qualitatem, ſeu prout alterat, eatenus enim eſt

medicamentum; vel alimentum saltem medicamentorum, intelligitur autem hic per victus qualitatem illa, quæ inest ipsi, quatenus simul medicamentoso, ut calor, frigus, humiditas, siccitas, vis laxans, adstringens, inscindens, &c. Non autem intelligitur qualitas, quæ victu inest; ut alimento, seu mere cibo, ut esse digestionis facilis, vel difficilis, succi boni, vel mali, crassi, vel tenuis, &c.

Itaque affectus postulat victum contrarium, consuetudo autem, & temperamentum consimilem. Porrò consuetudo, & affectus non rarò sibi contraindicant, ut si affectus sit calidus, & siccus, postuletque proinde frigidum, & humidum victum, consuetudo autem ægri in victum calidum, & siccum, prohibeat victum frigidum, & humidum. Tunc autem ad instituendam debitam victus rationem, est considerandum unde æger contraxerit illam consuetudinem, nam si illam habeat, quia malè afficitur ab assumptis frigidis, & humidis, tunc uti debet victu medio, & temperato. Si habeat consuetudinem, quia victu frigido, & humido, non quidem malè adeo afficitur, sed peius equidem quam à calido, & sicco, tunc victu utatur affectui contrario, tribuendo simul aliquid consuetudini. Denique si victui calido, & sicco æger ita assuetus sit, ut tamen nullum patiatur nocumentum à frigido, & humido, tunc liberè uti potest victu contrario, etiam valido. Animadvertere oportet, quod temperamentum, & affectus numquam sibi contraindicant, nam affectus semper indicat sui ablationem, per quam redditur ad naturale temperamentum, illique indicationi semper consentit.

Occasio, seu oportunitas in victus ratione sumitur ex ægri consuetudine, tempore sanitatis, ac virium tolerantia; illo enim tempore debet æger cibari, quo minus patitur à morbo, eaque potissimum hora, qua ante morbum cibari consuevit; nisi morbus in illa vehementia hoc prohibeat; unde à sola consuetudine sumitur idoneum tempus in morbis, qui continentèr affligunt, seu sine typis; à sola autem tolerantia in morbis alijs, in quibus posthabita consuetudine eligitur tempus, quo morbus intermittit, vel minus affligit, vel declinat, nisi adsit maxima virium jactura, vel febris causa sit humor acris, & mordax, habitusque ægri sit Gracilis, & facilis resolutionis; tunc cibum exhi-

hibere convenit in ipsa accessione, quin obstet illud Hypoc. *In accessionibus abstinere oportet*; quia abstinentia à cibo in ipsa accessione, dum adsunt prædictæ circunstantiæ, æger vertitur in summum periculum sincopis, vel convulsionis, & ad minus, quod magis incandescat febris.

Modus exhibendi cibos, hoc est, an sit exhibendus paulatim, an repetitis vicibus significatur à viribus, & morbo: Patet, quia vires, vel sunt debiles, vel mediocres, vel validæ. *Debiles* autem vires paucum postulant cibum. *Mediocres* quantitatem mediocrem. *Validæ* copiosum. Pariter morbus adiunctus habet humores multos, vel paucos, vel corruptos: humores paucos habens, copiosum cibum exigit: habens multos, exigit paucum: corruptos habens, exigit copiosum cibum ad eorum correctionem.

Secundum hæc vires in morbis validæ sunt, & cum humorum copia, velut in Plethoricis, ubi raró, & parum alendum est. Ubi vires sunt validæ cum paucitate, vel corruptela humorum, ibi sæpè, & multum cibandum est; nisi obstent morbi tempora, aut paroxismi. Ubi debiles sunt vires cum humorum abundantia, aut mediocritate, ibi raró, & parum alendum est. Denique ubi vires sunt debiles cum humorum paucitate, aut corruptela, ibi parum, ac sæpè cibandum est.

SCHOLIA.

Oportet, ut Practicantes sciant, quo modo victus tenuis imminuat vires, cum sit species formæ victus, qua superius dixi conservari vires: Verum est, quod tenuis victus diminuendo vires adhuc eas conservat, nimirum dum morbi species talem victum petit; & ideo specificavimus suprà tenuem victum.

Non minus oportet non ignorare distinctionem inter victum tenuem, & attenuantem; hic enim victus qualitatem importat, ille formam victus. Is autem victus attenuans est, qui humores crassos inscindit, & attenuat, illique opponitur incrassans, qui incrassat, condensatque humores tenues, & nimis fluxiles, ut ius manum, & pedum arietis, vituli, &c, vel Gelatina, quæ ex illis apparatur. Insuper notatur, quod victus tenuis in morbis acutis convenit: Crassus corporibus sanis robustis, ac benè se exercentibus. Mediocris verò convenit morbis diuturnis, seu cronicis.

Circa victum nimis crassum, aut nimis tenuem peccari solet, sed gravius, hoc modo: in morbis longis, & periculosis gravius est peccare in victu nimis tenui, quam in nimis crasso; at in morbis acutis gravius est peccare in nimis crasso, quam in nimis tenui; quod mecum experientia textatur; numquam in morbis acutis videmus ægros peius habere à cibi tenuitate, sed benè ab eius crassitie. Imo sunt quibus in tantum degustant cibi, ut nihil ferè comedant, numquam tamen ex hoc observatur ita malè affecti, ac ex plenitudine cibi, ex qua sæpè labuntur in graves oppressiones, anxietates, vigilias, scandescentiam febris, vel debilitatem caloris nativi ex obrruptione; sic, ut sanguis non satis moveatur ad expellendam nocivam materiam.

Circa victum tenuissimum; qui per inediam fit, Magister Galenus lib. 1. de Art. curat. ad Glauc. scripsit hæc verba: *Inedia quidem in valentioribus utaris viribus, & morbo coctu difficili, largiori autem cibo, ubi vires sunt debiliores, nec morbus admodum concoctu contumax.* Largiori cibo uti debent Practicantes, ubi vires sunt debiliores, sed largiori non debet intelligi pro magna quantitate, quia passum debet esse proportionatum activitati agentis; verum non nutrit cibus, nisi qui coquitur, & idcircò dixit Philosophus: *Non quod ingeritur, sed quod coquitur, nutrit.* Quia sicut ignis à multitudine lignorum suffocatur, ita vires debiliores extinguuntur, cum largiori quantitate cibi: Ergo quando Magister dixit: *Largiori autem cibo, ubi vires sunt debiliores*; animadvertere vult, quod semel ægro non exhibeatur cibus largiori quantitate, sed quod utatur largiori cibo ad vires conservandas, & instaurandas, & ideo per breviora intervala in parva quantitate repetatur eius exhibitio, quia magis naturæ commodum est multiplicatio numeri, quam quantitatis; igitur tutum naturæ est, quod paulatim fit.

Pro coronide huius capitis animadvertere debeo Practicantibus, ut attentè inspiciant naturas febrium an sint continentes, intermittentes, vel malignæ, & venenosæ, ad rectam victus rationem instituendam. In febribus continentibus, seu continuis attendere debemus ad tempora universalia, idemque observare conducit in aliis morbis acutis: in principio verò cibus exhibendus est in pleniori dosi, quia tunc natura non pugnat multum cum causa morbifica, nec

est occupata in eius concoctione, & evacuatione, & ob id potest conficere maiorem quantitatem cibi. In augmento cibus exhiberi debet mediocri quantitate, quia tunc temporis iam occupata est natura circa coctionem materiæ morbosæ. In statu concedendus est Victus valdè tenuis, quia in illo tempore est natura vehementer occupata circa perfectam concoctionem materiæ, ac eius evacuationem, cum tale tempus sit aptissimum, ut natura pugnet cum morbo ad victoriam consequendam, quæ minimè turbanda est à suo instituto.

Hoc tamen non in omni morbo observandum est, quia non in initijs inflammationum præsertim partium nobiliorum, durante adhuc affluxu sanguinis ad partem affectam, minus enim tunc ægri cibandi sunt, ne augeatur fluxio, imo, nec in omni morbo ab inflammatione distincto, quia non, si cruditas aliqua in ventriculo, vel intestinis lateat, quod rarissimè non accidit, præstat enim tunc assumere parum cibi. Hinc mihi, & Discipulis meis mos est, & bonus quidem parum sumere alimenti in morborum initijs; nihilominus notare debeo, quod gravius delinqueret, qui in morbi initio tam nimis parum, quam nimis multum cibi suis ægris exhiberet: contrarium vero est in statu morbi, ut antea manet dictum.

Ad rectè cibandum in febribus intermittentibus, Practicantes debent in promptu habere curationem tam regularem, quam coactam: *De cura regulari* numquam exhiberi licet cibus, quando accessiones sunt, aut futuræ expectantur, sed ubi desinunt, aut quieverunt, & quam longissimè à principio, quia si non observatur tam rationalis regula, solent ægrotantes in tempore accessionis in aliquod funestum simpthoma incurrere, & tunc summè periclitari. Ad comprobationem sum memor Doctissimum Herediam Complutensem palam fecisse hunc casum: *Ego iam vidi ægrotum non longo tempore ab accessione tertianæ nota cibatum in apoplexiam incidisse, à qua satis difficele liberari potuit.* Ex quo infertur, quam vera sit hæc sententia Cornelij Celsi, quæ in lib. 3. de Re Medic. invenitur: *Optimum verò medicamentum est cibus opportunè datus.*

De cura coacta dum vires prosternuntur, non solum longè ab accessione tertianæ, quartanæ, &c. Cibari non debet æger, sed adhuc in quocumque tempore accessionis; quia plus

plus inters vires conservare, & instaurare, quam ut febris incrementum sumat: Huius Doctrinæ veritas constat ex lib. 11. Meth. ubi meus Magister Galenus ita me docuit: *Si nutris, febrem auges; si non nutris, vires deijcis.* Etiam corfimatur veritas ab Avicena, qui in lib. 4. fen. 1. sequenti modo loquitur: *Et de regimine bono est, quod ieiunet in die paroxismi, si non est quod probibeat, & non sumat cibum, donec consummatur paroxismus.*

In malignis febribus, & venenosis plenius ægri cibari debent, quia alimentum oportet, ut concipiamus tamquam antidotum, & Alexipharmacum ad obtundendam, & vincendam malignam, & venenosam qualitatem: idcircò Prisci Medici utebantur satiari cibo, quando assumpserunt aliquod venenum; etiamque dum metuebant, quod eis dedissent. Testis est Avicena, qui in citato lib. dedit hoc consilium: *Et cum timeatis veneni exhibitionem, multoties cibi plenitudo nos securos reddit, quoniam veneni virtus validissima cibo obtunditur.* Prudentissimè hic Arabus scripsit *multoties*; quia nesciebat an cibus haberet antidotalem proportionem contra venenum eius dandum.

Finis accedit Libro Primo, in quo fundamenta Theorica continentur. *Soli Deo Honor, & Gloria.* Omnia, quæ scripta inveniuntur in hoc opere, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Correctioni subijcio. Utinam peragenti cursum meorum studiorum, tanta mihi obveniret felicitas; (procul præsumptio recedat) ut simile opus (quod tamquam locupletissimus Index, aut directorium facultatis, lucem ad materiarum cognitionem tam facilé præberet) invenissem, ut sic á Librorum molle, & temporis magno dispendio immunis, in Medica brevi recollectione ex alieno labore commodum percipere potuissem.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

FINIS.

INDEX

INDEX

TRACTATUUM, ET CAPITUM LIBRI Primi Quintæ essentiæ Medicæ Theorico-Practicæ continens fundamenta Theorica.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PHYSIOLOGIA.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE PATHOLOGIA.

Cap.

TRACTATUS TERTIUS.

DE SEMYOTICA.

Cap.

TRACTATUS QUARTUS.

DE HYGIENA.

TRACTATUS QUINTUS.

DE THERAPEUTICA.

Cap.

FINIS.



.., ..Espi- .. de aver ..nas visiones, .. que le govier- ..odo que ha de tener .. discipulo en ellas, no .. demasiado particulari-zar mas vn poco esta doctrina, y dar mas luz del daño que se puede seguir assi à las almas espirituales, como à los Maestros que las goviernan, si son muy credulos à ellas, aunque sean de parte de Dios. La razon que me ha movido à alargarme aora en esto, es la poca discrecion que yo he echado de vèr, à lo que entiendo, en algunos Maestros espirituales. Los quales assegurandose acerca de las dichas aprehensiones sobrenaturales, por entender que son buenas, y de parte de Dios, vinieron los vnos, y los otros à errar mucho, y hallarse muy cortos, cumpliendose en ellos la sentencia de Christo, que dize: *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Si vn ciego guiare otro ciego, entrambos caen en la hoya. No dize que caeràn, sino que caen. Porque no es menester que aya caida de error para que

Matth. 15.14.

..solo el atrever à ..arse el vno por el ..o, ya es yerro, y assi en esso caen por lo menos. Y primero, porque ay algunos que llevan tal modo, y estilo en las almas que tienen tales cosas, que ò las hazen errar, ò las embaraçan con ellas, ò no las llevan por camino de humildad, y les dàn mano à que pongan mucho los ojos en ellas, que es causa de no caminar por el puro, y perfecto espiritu de Fè; y no las edifican, ni fortalecen en ella, haziendo mucho caso de aquellas cosas. En lo qual las dàn à sentir, que hazen ellos mucho caso de aquello, y por el consiguiente le hazen ellas, y quedanseles las almas puestas en aquellas aprehensiones, y no edificadas en Fè, ni vacias, desnudas, y desasidas de aquellas cosas, para bolar en alteza de escura. Y todo esto nace del termino, y lenguaje que el alma vè en su Maestro acerca de esto. Que no sè como facilissimamente se le pega vn lleno, y estimacion de aquello, sin ser en su mano, y quita los ojos del abismo de Fè. Y deve ser la causa de esta facilidad, el quedar el alma tan ocupada con ello, que como son cosas de sentido, à que el natural es inclinado, como tambien està ya sabo-

Ps.47.6 Que por esso o...
Mittit chrystallum sua... buccellas. Embiò su sabidu... à las almas como en bocados. Lo qual es harto de doler, que teniendo el alma capacidad como infinita, la anden dando à comer por bocados del sentido, por su poco espiritu, y inhabilidad sensual. Y por esto tambien à San Pablo le dava pena esta poca disposicion, y pequeñez para recibir el espiritu, quando dixo: *Et ego fratres non potui vobis loquì quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem petuistis, adhuc enim carnales estis.* Yo, hermanos, como viniesse à vosotros, no os pude hablar como à espirituales, sino como à carnales, porque no podiades recibirlo, ni tampoco aora podeis; como à pequeñuelos os dì à beber leche, y no manjar solido. Resta, pues, aora saber, que el alma no ha de poner los ojos en aquella corteza de figura, y objeto que se le pone delante sobrenaturalmente, aora sea acerca del sentido exterior, como son locuciones, y palabras al oido, y visiones de Santos à los ojos, y resplandores hermosos, y olores à las

1.Cor.3 ...

p... poco ... lesquier ... interior, qua... narias interio... nunciandolo todo, ... poner los ojos en aque... ritu bueno que causan, ... curando cõservarle en obrar, y poner por exercicio lo que es de servicio de Dios desnudamente, sin advertencia de aquellas represenraciones, ni de querer algun gusto sensible. Y asi se toma de estas cosas solo lo que Dios pretende, y quiere, que es el espiritu de devocion, pues que no las dà para otro fin principal, y se dexa lo que èl dexaria de dar, si se pudiesse recibir en espiritu sin ello (como avemos dicho) que es el exercicio, y aprehension del sentido.

CAP. XVIII.

Trata del daño que algunos Maestros espirituales pueden hazer à las almas, por no las llevar con buen estilo acerca de las dichas visiones. Y dize tambien como, aunque sean de Dios, se pueden ellas engañar.

NO podemos en esta materia de visiones ser tã breves como querriamos,

ta manera de estimacion, que si no es con gran cuidado de èl, no puede dexar de dar muestras, ò sentimientos de ello à la otra persona; y si la otra persona tiene el mismo espiritu de la tal inclinacion (à lo que yo entiendo) no podrà dexarse de comunicar mucha aprehension, y estimacion de estas cosas de vna parte à otra. Pero no hilemos aora tan delgado, sino hablemos de quando el Confessor, aora sea inclinado à esso, aora no, no tiene el recato que ha de tener en dessembaraçar el alma, y desnudar el apetito de su discipulo en estas cosas, antes se pone à platicar de ello con èl, y lo principal del lenguaje espiritual (como avemos dicho) pone en estas visiones, dandoles indicios para conocer las visiones buenas, y las malas. Que aunque es bueno saberlo, no ay para què meter al alma en este trabajo, cuidado, y peligro, sino en alguna apretada necessidad, como queda dicho; pues en no hazer mucho caso de ellas, negandolas, se escusa todo esto, y se haze lo que se deve. Y no solo esso, sino que ellos mismos, como vèn que las dichas tienen tales cosas de Dios, piden que rueguen à Dios les revele tales, ò tales cosas tocantes à ellos, ò à otros, y las buenas almas lo hazen, pensando es licito quererlo saber por aquella via; que piensan que por que Dios quiere revelar, ò dezir algo sobrenaturalmente, como èl quiere, ò para lo que èl quiere, que es licito querer que nos revele, y aun pedirselo. Y si acaece que à su peticion lo revela Dios, asseguranse mas para otras ocasiones, y piensan que Dios gusta de este modo de tratar con èl; y à la verdad, ni gusta, ni lo quiere. Y como ellos estàn aficionados à aquella manera de trato cô Dios, asientaseles mucho, y allananseles la voluntad naturalmente en ello; porque como naturalmente gustan, naturalmente se allanan à su modo de entender; y en lo que dizen yerran muchas vezes, y vèn ellos que no les sale como avian entendido, y maravillanse, y luego nacen las dudas, en si eran de Dios, ò no, pues no acaece, ni lo vèn de aquella manera. Pensavan ellos primero dos cosas. La vna, que era de Dios, pues tanto se les assentava; y puede ser el natural inclinado à ello el que causava aquel asiento, como avemos dicho. La segunda, que siendo de Dios avia de

sa-